Fr. Nicholas Myer

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

4 SECTION E SHELF 3

ANTONII BALLERINI

E SOCIETATE IESU

OPUS THEOLOGICUM MORALE

IN BUSEMBAUM MEDULLAM

ABSOLVIT ET EDIDIT

DOMINICUS PALMIERI

EX EADEM SOCIETATE

The Catholic Theological Union LIBRARY Chicago, Ill.

VOLUMEN VII.

CONTINENS

Tractatum XI. DE CENSURIS ET IRREGULARITATIBUS

cum

INDICE AUCTORUM

et

TOTIUS OPERIS INDICE ANALYTICO

WITHDRAWN

EDITIO TERTIA

IN NONNULLIS AUCTA ET EMENDATA

240 B191o3 v.7

EX LIBRIS PROVINCIAE PRO STUDIO THEOL. S. CORDIS JESU

PRATI

EX OFFICINA LIBRARIA GIACHETTI, FILII ET SOC.

1901

FRANCISCUS M. CARINI

PRAEPOSITUS PROVINCIAE ROMANAE SOCIETATIS IESU.

Cum opus, cui titulus *Antonii Ballerini e S. I. opus theologicum morale etc.* a Dominico Palmieri nostrae Societatis Sacerdote rursus edendum aliqui eiusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint; facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Romae in commemoratione omnium fidelium defunctorum, anno 1900.

(L. S.)

IMPRIMATUR

Prati. — Can. Archid. Ioachim Gori, Vic. Gen.

INTRODUCTIO

* DE DELICTIS ET POENIS *

1. *Delictum* presse sumptum distinguitur a *peccato* veluti eius species: delicti enim nomine intelligimus factum (vel omissionem) contra legem humanam, quod factum cum etiam adversetur legi divinae, peccatum est. Delictum appellatur quoque *crimen* (cuius tamen primitiva significatio in accusatione sistit). Definitur delictum: *externa legis poenalis violatio dolo malo facta.* Dicitur *externa:* leges enim ab humana potestate latae actus mere internos vel non curant, vel certe non puniunt. Dicitur *legis poenalis*, legis scilicet aliquid praecipientis vel prohibentis cum sanctione poenae. Oportet ergo exsistere legem, ut delictum habeat locum: si quis proinde legem putans esse, quae reapse non est, contra eam agat, *peccatum* quidem erit, sed *delictum* aberit. Dicitur *dolo malo facta:* quo significatur primo, requiri ad delictum actum internum tanquam principium et formam actus externi: quod enim lex quaelibet in homine punit, est actus humanus: significatur deinde requiri ad delictum voluntatem delinquendi, quae in eo est sita, ut quis sciens legem esse, velit tamen quod ipsa prohibet, vel non velit quod ipsa praecipit, facere. Hic est *animus delinquendi*, quem iuris periti dolum malum vocant. Non itaque necesse est, ut quis directe intendat violationem legis. Monent iidem iuris interpretes legem tripliciter violari posse, *casu*, *culpa*, *dolo*. Casu, cum citra negligentiam abest scientia legis, ut idcirco sit violatio tantum materialis: *culpa*, cum abest quidem scientia, sed propter *negligentiam*, ut idcirco imputabile in causa sit factum vel omissio. Hinc culpam iuristae vocant frequenter *negligentiam:* quae tanta esse potest, ut aequiparetur dolo, quemadmodum canones statuunt, cum ignorantia est *crassa et supina*. Distinctionem culpae in *latam*, *levem*, *levissimam* dedimus alibi (Vol. III. 338. seqq.), ubi disputatum est etiam, an ob culpam levissimam quis graviter possit obligari.

2. Porro violatio legis externa, ut poenae subsit, debet esse perfecta seu consummata, non quidem ex omni parte, sed in eo genere in quo

21907

prohibetur ut idcirco si furtum prohibeatur, eius poenam non contrahat qui solum consulit: si vero non solum delictum aliquod prohibeatur, sed simul favor, consilium praestitum et huiusmodi, iam qui favet, perfectum et consummatum opus posuit, dummodo actus principalis sit consecutus, propter ipsum enim puniuntur ceteri actus, qui sunt veluti accessoria: deficiente autem principali, deficiunt quoque accessoria; nisi tamen aliquis ex his actibus accessoriis, per se, ratione sui prohiberetur; sic enim evaderet obiectum principale legis poenalis. Ratio omnium est, quia in odiosis verba legis sunt accipienda cum effectu. Etsi vero cum violatio externa non est perfecta, poenam effugiat, id tamen valet pro poena inflicta ab ipso iure, quae dicitur *ordinaria;* nihil autem prohibet, poenam *extraordinariam* ab iudice infligi, permittente aut etiam suadente lege.

Illud vero notandum, externum dici, quod per se, si quis praesens esset, percipi posset: quocirca factum aliquod externum esse potest simulque occultum: at quamvis occultum sit, non est cur eximatur a vindicta legis; etsi enim notitia delicti requiratur in *iudice* ut sententiam ferat, haec non postulatur in *legislatore*, qui, antequam delictum exsistat, poenam statuit subeundam statim ac delictum admissum fuerit, cui propterea perinde est, sive delictum fuerit occultum sive manifestum. Cf. praetera quae disputat Ballerini in tr. *de Legibus* in quaestione, an possint a lege humana prohiberi aut praecipi actus mere interni, quod enim de potestate Ecclesiae decernit huc non minimum facere potest, ubi de delictis agimus, quae sunt contra leges ecclesiasticas. Cf. Vol. I. 310. seqq.

3. Quoniam, ut diximus, ad delictum requiritur uterque actus, externus et internus, fieri identidem potest, ut actus interior dirigens exteriorem, non eo reapse spectet, quod attingitur per actum externum. Si discrimen sit tantum in aliqua re accidentali, cum animus delinquendi quoad substantiam non desit, delictum imputabitur. Si ex errore discrimen sit substantiale, reputabitur casu factum, absente negligentia, et delictum aberit. Quaestioni locus erit forte, si erres in in persona, ut si volens occidere Titium, occidas Caium, quem putas Titium, aut si factum versetur circa rem spectantem ad personam et in hac mens agentis erret putans falso eam esse, quam laedere vult, cum tamen sit alia, ut si segetes Titii incendas, putans esse Caii, cui malum hoc pacto vis inferre. Sed quid in hac quaestione tenendum sit, iam Ballerini optime demonstravit. Vol. III. 441. seqq. Cf. quoad hactenus dicta D'Annibale I. 296. seqq.

4. Poena est in genere malorum: malum autem, quod a legitima auctoritate infligitur ad criminum coercitionem vel vindictam vel

expiationem, pro publica tuenda disciplina, est poena. Finis proinde poenae non est malum patientis, sed eo tendit, ut ordo turbatus redintegretur, vel in ipso delinquente quatenus emendatur, aut, si id noluerit, saltem fiat inhabilis ad rursus delinquendum, vel in ipsa societate, quatenus poena inflicta restituit securitatem et retrahit ceteros a malo. Est autem pressissimo sensu poena, quae in bonum publicum ordinatur, honestatem publicam morum vel publici boni tutelam spectans: si qua autem poena privatam utilitatem seu satisfactionem per se spectat, ea latiore sensu poena vocatur.

Quocirca advertenda est distinctio in poenam *publicam* et poenam *civilem*. Ea est, quae punitionem criminis respicit in favorem publici et communis boni; haec satisfactionem privatam spectat.

Atque haec triplex distinguitur, *legalis*, quae a lege statuitur, *iudicialis*, quam sententia iudicis infligit, *conventionalis*, quae paciscentium consensu apponitur contractui, ut firmior sit.

Porro poena publica vel personam tantum afficit, ut verberatio, vel eam in bonis suis punit, ut privatio beneficii, vel utrumque complectitur, ut excommunicatio, exilium. Prima *personalis* est, altera *realis*, tertia *mixta*. Rursus poena dividitur in *ordinariam* et *extraordinariam* seu *arbitrariam*. Illa est, quam leges et canones definiunt, haec quae iudici determinanda relinquitur.

Ordinaria hoc modo accepta dividitur rursus a Theologis alio sensu in *ordinariam* et *extraordinariam:* ut haec sit, quae, propter speciales circumstantias, praeter mensuram imponitur, quae communiter servari solet; ut idcirco ne in confuso quidem praevideri a delinquente possit. S. Alph. l. 7. n. 351. Alia autem est ordinaria. Modo *instar regulae* est, quod poenae extraordinariae ab ignorantibus non incurrantur, ait cl. d'Annibale V. 1. n. 312. not. 75. ex Schmalzgr. l. 5. tit. 37. n. 109.

Alia distinctio poenae est in *positivam* et *privativam*. Positiva est, quae ad sui exsecutionem exigit actionem, sive ipsius rei, ut solutio mulctae, sive alterius, ut flagellatio. Privativa est, quae amissione aliqua continetur et absolvitur, ut suspensio ab ordine, privatio vocis activae et passivae.

Alia est distinctio in poenam *medicinalem* et *simpliciter vindicativam*, illa ad frangendam contumaciam infertur eaque cessante tollitur, haec ad ultionem criminis et perseverare potest desinente reatu.

Poenae tandem aliae feruntur *ab homine*, aliae *a lege* vel *ipso iure:* poenae autem ab homine feruntur in casu aliquo speciali vel per modum praecepti singulis, vel per sententiam generalem omnibus; hae, quia universales, veluti leges censentur: sed quia ab homine sunt, cessant resoluto iure ferentis. Laymann. *de Censuris*. C. 2. 2. s. Alph. VII. 6.

Alia divisio est in poenam *latae sententiae* et poenam *ferendae sententiae*. Utramque ius ipsum seu lex statuit, sed illa effectum suum obtinet *ipso iure* h. e. solius legis seu canonis vi, quin opus sit sententia iudicis condemnatoria vel alterius exsecutione: altera ab iudice per sententiam decernenda est.

Ex indole poenae latae sententiae sequitur, eam sitam esse formaliter in privatione aliqua morali ordine contenta, non physico; iure scilicet ad aliquid, dominio, habilitate ipsa privare potest sicut et obligationem aliquid faciendi imponere; nequit autem per se sola privare ipsa re quae possideatur; ad hoc enim actus physicus requiritur, quem lex non ponit. Thesaurus de *Poenis* part. 1. c. 3.

5. Cum poena sit propter culpam, culpa autem non sit nisi eius, qui crimen admisit, nequit alius loco alterius puniri. Culpa quaevis scilicet suos tenet auctores, nec poena ulterius contra eos progreditur, qui procul sunt a delicto l. *Sancimus* C. *de Poenis*.

Nihilominus identidem contingit, eum, qui per se est innocens, propter connexionem, quam habet cum reo, participem fieri poenae, quam reus subit. Id tamen 1° locum habet in iis rebus, quae subsunt potestati sociali, cuiusmodi sunt bona externa, quibus ex certa causa et innocentes privare potest: 2° quoad eas personas quae aliqua reali habitudine nexae sint cum reis: 3° cum ratio communis boni id exigit, ad horrorem criminis et terrorem scelestorum gignendum. Dicitur autem poena, cum ad innocentes extenditur, amittere veram rationem poenae et retinere tantum rationem privationis. Nequeunt ergo poenae mutilationis, mortis et huiusmodi protendi ad innocentes, quia de his disponere nequit socialis auctoritas, nisi supposita culpa: neque poena potest extendi ad illos, qui prorsus alieni sunt a reo, ut si ex. gr. pro delicto quorundam civium huius urbis, interdicerentur cives alterius urbis: neque id fieri potest pro minoribus delictis, quae aliter facile compesci possunt.

6. *Cum nulla poena sine lege*, indubio de exsistentia legis favendum est reo: et quia *nulla poena nisi in iure expressa*, si clara non sit lex, benignior interpretatio est facienda c. 49. de reg. iur. in 6° nec permittendum, ut poenae *excedant proprium casum*, quo posito tolleretur omnis certitudo in legibus poenalibus explicandis (Suarez *de Legibus*, VI. 3.): ideoque in his non valet *argumentum a simili*. Ut vim habeant tum lex tum sententia iudicis in ferendis poenis, ab eo decernendae sunt qui iurisdictione polleat in reum: est enim actus iurisdictionis.

7. Quaestio ex praecipuis est, an a reo debeatur poena in conscientia, ante sententiam. Et quidem non agitur de poena ferendae sententiae,

quam ex ipsis terminis constat non incurri ante sententiam. Sed quaestio est de poenis latae sententiae, an subeundae sint ante quamlibet iudicis sententiam. Sententia iudicis vel condemnatoria est, vel saltem criminis declaratoria et debitae poenae, ut sic locus fiat exsecutioni poenae, quae exsecutio proinde distinguenda est ab iudiciali declaratione.

Principia quaedam hac in re videntur a Doctoribus communiter plus minus admitti. Scilicet:

1° Nullus reus tenetur esse in se ipsum actu positivo exsecutor poenae a se debitae, si haec sit gravis vel infamiam gignat, cuiusmodi esset mutilatio, ergastulum, triremes etc. Ratio est, non tantum quia debitor poenae tenetur pati, non agere, sed quia id foret praeter ordinariam hominum virtutem.

2° Si poena non est gravis et absit infamia, ut distractio pecuniae, ieiunium, abstinentia a petendo debito, potest legislator obligare reum ad illam subeundam ante sententiam iudicis; quia id non excedit ordinariam hominis virtutem et aliunde aliquid reum pati aequum est.

3° Nemo tenetur delictum suum prodere, quo sibi infamiam, aliis scandalum generet: quapropter si crimen, propter quod poena inflicta est, sit occultum, nemo ante omnem sententiam (quae heic non haberet locum) ad id tenetur, quo crimen suum manifestum fieret: sed ad id solum teneri potest, quod servari valeat absque criminis manifestatione. Cf. Suarez *de Censuris* disp. 6. sect. 3. et s. Thom. 3. p. q. 83. a. 6. ad 2[m].

4° Poenae *privativae,* quae privant iure non quidem iam quaesito, sed primum quaerendo, afficiunt delinquentem ante omnem sententiam iudicis. Sic dimittere tenetur beneficium parochiale, qui intra annum, sua culpa, non ordinatur sacerdos; sic dimittere debet fructus beneficii pro ratione temporis, qui negligit Horas canonicas recitare.

5° Cum poena gravis est *positiva*, de facto non constat, quod ulla ex illis in iure canonico ita lata sit, ut ad eam exsequendam in se reus ante omnem sententiam iudicis obligetur. Schmalzgr. l. 5. tit. 37. n. 49.

6° Cum poena *privativa* privat iure iam plene quaesito, *exceptis censuris, irregularitate et privatione iuris petendi debitum in coniuge incestuoso,* nulla alia regulariter hodie, ante sententiam omnem iudicis, ita afficit delinquentem, ut iste ius illud suum teneatur dimittere. Schmalzgr. n. 51.

Exceptio indicata admittitur communiter: convenit nempe inter omnes, poenas illas contrahi statim ante omnem sententiam iudicis, ut ideo dicantur secum ferre suam exsecutionem.

Cuius rei ratio est, quia id Ecclesia statuere potuit atque reapse ita statutum esse usus receptus probat. Cf. Sanchez *de Matr.* l. 9. disp. 30. n. 2. qui fatetur, se nullam rationem reperire discriminis inter huiusmodi poenas privativas, quod quaedam postulent sententiam iudicis saltem declaratoriam, quaedam non, nisi voluntatem legislatoris, quae ex usu demonstratur.

7° Cum poena latae sententiae privat *ipso iure* dominio alicuius rei, cuiusmodi est poena privans *ipso iure* beneficio clericum occidentem alium clericum, vel confiscatio bonorum pro delictis laesae maiestatis: possessio quidem non est necessario dimittenda ante sententiam (c. *Cum secundum, de Haeret.* in 6°) iudicis et interim dum beneficiatus obligationibus beneficii facit satis vel per se vel per alium, non prohibetur percipere fructus (qui sui erunt, nisi post sententiam repetantur): at cum sententia iudicis declaratoria prolata est, retrotrahitur eius effectus ad diem commissi criminis, cui alligata est poena; secus enim verba *ipso iure* nihil operarentur. Schmalzgr. n. 55. Reiffenst. l. 1. tit. 2. nn. 226. seqq.

Si autem absit clausula *ipso iure*, retinetur ante sententiam declaratoriam criminis non solum possessio, sed et dominium, nullumque effectum retroactivum habet sententia iudicis. Ibid. n. 58.

8. Quaerit idem Schmalzgr. n. 60., quid in istis legibus poenalibus latae sententiae operentur verba *absque ulla declaratione* seu *nulla exspectata declaratione* vel *nulla monitione praevia.* Respondet autem, quod, cum debeant aliquid operari praeter id quod operantur verba simul posita *ipso iure,* illud efficiunt, ut statim ad exsecutionem procedi possit, sine praevertente declaratione. Supponitur idcirco notum esse delictum, cui poena tali modo inflicta est.

Fatetur tamen idem Schmalzgr. aliquos cum Covarruvia aliter sentire, nempe adhuc opus esse sententia declaratoria criminis. Quam opinionem sequitur s. Alph. l. 1. n. 113. inquiens, eam clausulam ita explicari posse, ut non exspectanda quidem sit declaratio iudicialis *debitae poenae* (iuxta Reiffenst. l. c. n. 231. unum est obiectum huius declarationis iudicialis, nempe *crimen*): at sit nihilominus exspectanda declaratio iudicialis *criminis;* eo quod lex poenalis mitiore sensu, quatenus fieri potest, accipienda est. Quae sententia, ex auctoritate saltem, probabilis videtur.

9. Poenae medicinales, *absolutione* tolluntur, ceterae *dispensatione*, nisi latae sint ad tempus vel sub conditione; tunc enim expleto tempore vel impleta conditione, eo ipso desinunt.

Porro multiplex est discrimen *dispensationem* inter et *absolutionem.* Dispensatio eximit a lege, quae heic est lex poenalis: absolutio rite

disposito debitam remissionem poenae concedit. Harum proinde discrimina recenset Thesaurus *de Poenis* part. 1. c. 20. Primum est quod absolutio sit actus iustitiae, quae debetur ei qui contumaciam posuit et satisfecit si opus erat: dispensatio est actus gratiae seu misericordiae, quae idcirco per se et disposito negari potest. Cf. tr. III. vol. I. 400. seq. Hinc absolutio est secundum ius, dispensatio praeter ius: ideoque illa interpretationem recipit latam, haec strictam.

Alterum discrimen est, quod ut absolutio detur, nulla alia causa requiritur praeter dispositionem idoneam absolvendi: dispensatio praeterea causam aliquam iustam requirit, ut inferior valide dispenset in lege poenali superioris.

Aliud discrimen est, quod Episcopus a censuris absolvere potest, quoties non sunt reservatae superiori: dispensare autem nequit, nisi quando id ei concessum reperitur. Cf. tr. III. vol. I. 404.

Praeterea discrimen est, quod absolutio semel data nunquam cesset etiamsi cesset causa, propter quam data est; ablatus enim reatus restitui nequit. At dispensatio semel data revocari potest, restituta rursus obligatione legis.

Alia discrimina vide apud Auctorem citatum.

10. Quaeritur quis possit dispensare a poenis. Si poena lata sit *ab homine*, distingue: nam vel est per sententiam *particularem* ad modum praecepti a *superiore* et tunc dispensat qui eam inflixit vel successor eius, vel superior. Si *sententia particularis* est ab *iudice*, dispensat tantum legislator; nam iudex, sententia lata, desinit esse iudex. D'Annibale v. 1. n. 317. Et qui sive hanc sive illam contraxit, etsi desierit subditus esse ei qui poenam intulit, ut si secularis fiat regularis, ab eo tantum qui poenam inflixit, condonari ei potest. Ita d'Annibale l. c. etsi alii aliter sentiant.

Si lata est ab iure et est reservata, ille dispensat cui reservata est et cui is commiserit.

Si non est reservata, iam monuimus, absentiam reservationis non esse sufficientem rationem, ut dicatur facta inferioribus facultas dispensandi: sed concessio facultatis requiritur.

Porro advertunt DD. (Thesaurus l. c. c. 23. *dico* 4. d'Annibale vol. 1. n. 315.), ex iure decretalium eos, qui habent iurisdictionem episcopalem dispensare posse in poenis latis a iure ob delicta minora. Minora sunt adulterium, furtum, sacrilegium, periurium hisque inferiora: maiora sunt homicidium, simonia, haeresis et huiusmodi. Cf. c. *At si clerici* §. 1. *de Iudiciis,* ubi tamen poenitentia aliqua peracta a dispensando requiritur. Quod potest autem Episcopus, potest e plurium sententia et Praelatus regularis in suos. Thesaurus l. c. *Ampliant.* 3.

Episcopus dispensare potest etiam extra suam dioecesim, sive ipse sive dispensandus sive uterque sit extra (d'Annibale l. c.). Est enim actus voluntariae iurisdictionis.

In criminibus maioribus dispensare Episcopi possunt, quoties gravis necessitas urget et R. P. sine gravi incommodo adiri nequit. Thesaurus c. cit. resp. 2. d'Annibale l. c.

11. Antequam tractationem maiorum poenarum ingrediamur, iuverit breviter percurrere alias poenas, quae minoris sunt momenti vel non adeo frequentes.

Itaque inter ecclesiasticas poenas occurrit frequenter praesertim adversus Regulares *privatio vocis activae et passivae*. De ea canonistae agunt l. 1. tit. 6. ubi *de Electione. Vox activa* est ius vocis, h. e. ius in capitulis sive cleri secularis sive regularis, eligendi et decernendi: *vox passiva* est iuridica habilitas, ut possit quis eligi. Privatus voce activa et passiva nec suffragium dare potest nec ferre: si quis vero simpliciter privetur *voce*, id de activa tantum intelligitur; quia haec tantum proprie est *vox*, ait Pichler l. 1. tit. 6. n. 4.

Haec est poena gravis; est enim veluti deiectio a proprio statu, iure naturali et civili quaesito. Non est autem censura; nam nemo eam hactenus inter censuras retulit et infligi solet in vindictam criminis ad certum tempus, nec tollitur absolutione.

Ut dicemus suo loco, suspensus ab officio, non hoc ipso privatur (saltem probabilius) voce in capitulo: « neque enim, ut ait Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 298., vocem habere in capitulo per se est exercitium ordinis aut iurisdictionis ecclesiasticae, cum etiam feminae et laici conversi (imo et non conversi in iis religiosis ordinibus, qui laicis solum constant) vocem quandoque habeant ». Et sane vox activa et passiva non ab ordine (licet eum frequenter supponat) neque ab iurisdictione oritur, sed ab *iure collegii* seu *conventus*. Unde patet, referri non posse hanc poenam ad suspensionem.

Cum haec videatur poena extraordinaria (cf. tr. 1. n. 101. 5. et heic n. 580.), probabile est, eam ab ignorante ipsam vel nullatenus advertente non incurri; etsi in foro externo censeatur eidem obnoxius, qui in legem deliquerit ea sanctione munitam.

Privatio vocis passivae eo spectat, ut nequeat quis eligi (electione exsistente nulla) ad *officia honoris et praeeminentiae:* ad munera autem *onerosa* eligi potest, cuiusmodi sunt officia lectoris, concionatoris, magistri novitiorum, sacristae, oeconomi. Thesaurus part. 1. c. 29.

Similis est poena sita in *privatione officiorum, graduum, dignitatum* vel in *inhabilitate ad illa*. Cum haec privatio vel inhabilitas infligitur seu ecclesiasticis seu laicis non ob crimen proprium sed ob aliam

causam, criminosam tamen, puta infamiam vel haeresim parentum, nomine officiorum veniunt tantum *officia dignitatis*, h. e. administratio publica cum honore coniuncta.

Etiam quando est poena proprie dicta, nomine officii intelligitur pariter munus habens administrationem rerum vel personarum ecclesiasticarum cum superioritate, ut Generalis, Provincialis, Superior localis et qui delegatam habet iurisdictionem ratione certi officii, ut Visitator. Non continentur autem definitores seu assistentes, procuratores ad capitula generalia, concionatores, lectores, regentes studiorum, magistri novitiorum, consultores, sacristae, oeconomi.

Nomine autem *graduum* non veniunt gradus academici, sed dignitates seu officia cum honore et superioritate seu iurisdictione coniuncta. Ex Thesauro l. c. c. 28.

Qualis sit obligatio in conscientia has subeundi poenas et quis ab eis valeat dispensare, collige ex dictis generatim n. 7.

Illud adverte, quod si quis dispensatione egens crimen, cui poena talis annexa est, pluries commiserit, non opus est, ut numerum culparum recenseat, si sint eiusdem generis: sed satis est dicere, pluries se in eam incidisse poenam, imo simpliciter dicere, se in eam incidisse. S. Alph. l. 7. n. 353. not. 2.

Nota, supradictas poenas eas esse, quae in Constitutionibus Pontificiis contra Regulares eorumque Superiores ferri solent et dicuntur statutae ab iure cf. Lezana *Summa qq. regul.* Tom. 1. c. 10. n. 29.

12. Aliae poenae ecclesiastiae sunt *cessatio a divinis* et *privatio sepulturae ecclesiasticae*. De quibus paulo latius disserendum.

Cum interdicto locali cohaeret ea, quae dicitur *cessatio a divinis*. Scopus eius non est emendatio delinquentis ut in censuris, sed reparatio iniuriae illatae ecclesiae vel ecclesiasticae auctoritati et significatio est luctus ac moeroris.

Hinc censura non est; cuius rei indicium et in eo habetur, quod celebratio divinorum in loco interdicto inducit irregularitatem, non vero in loco, ubi indicta sit cessatio a divinis. In iure quidem identidem *interdictum* et *cessatio a divinis* promiscue usurpantur (c. *Dilectis* 55. *de Appell.*): ratio ergo distinguendi alterum ab altera ex utriusque scopo sumenda erit. In Clement. c. *de Sent. Excomm.* de utraque re sermo est, interdicto et cessatione a divinis.

Cessatio, non secus ac interdictum locale, potest esse *generalis*, afficiens, puta, regnum, civitatem, vel *particularis*, unam afficiens ecclesiam. Eadem, per se saltem, potest esse vel *totalis* vel *partialis*. Suarez *de Cens.* disp. 39. sect. 2. n. 16.

Nulla cessatio ab iure ferri dicitur: sed occasione data, ferenda est

ab homine: Suarez l. c. sect. 3. n. 13. Schmalzgr. l. 5. tit. 39. n. 403. Nihilominus cum ius praecipiat, cessandum esse a divinis in ecclesia polluta, haec videtur cessatio a divinis iure statuta: Schmalzgr. l. 3. tit. 40. num. 64.

Cessatio a divinis est prohibitio facta *primario* Clericis eoque spectat, ut hi abstineant a celebrandis Missis, sacramentis administrandis aliisque divinis officiis obeundis in aliquo loco sacro. D'Annibale n. 378. Sepultura vero sacra ibi non vetatur.

Causa est crimen aliquod gravissimum et notorium in ipso loco sacro perpetratum quod in iniuriam Ecclesiae vel ecclesiasticarum personarum redundat, et tunc cessatio indicitur, cum reus satisfactionem non exhibet. C. *Quamvis*, *de Offic. Ordin.* in 6°.

Quoniam convenit analogice cum interdicto locali, non immerito forte huius privilegia eidem asseruntur; quamvis cessatio a divinis sit prohibitio gravior: d'Annibale l. c. Qui advertit tamen, sententiam Suarez id negantis disp. 39. sect. 2. nn. 7. 13., forte esse veriorem. Ratio negandi est, quia privilegia haec in iure spectant semper interdicta, a quibus distinguitur cessatio a divinis, quae praeterea est poena gravior, quippe quae interdicto superaddi solet. Ita et Schmalzgr. l. c. n. 408.

Sacramenta tamen concessa tempore interdicti censentur concessa quoque in cessatione, ex Ecclesiae benignitate. Schmalzgr. n. 412. Et cf. dicenda *de Interdicto*.

Eam imponere possunt, quibus potestas est ferendi censuras. Scriptis ferenda est (c. 1. *de Sent. Excomm.* in 6°) publice authenticis, tradendis ei, si fieri potest, ob cuius delictum cessatio indicitur isque prius monendus est et interrogandus, an velit satisfactionem praestare, quam si offert, sententia cessationis non fertur; cum finis iam sit obtentus, propter quam indiceretur. Quamvis autem in scriptis non feratur, valet; quia nullo iure irrita dicitur, quae sine scriptis feratur.

Cessationis sententiam Religiosi quoque exempti servare debent. *Clement.* 1° *de Sent. Excomm.*

Violantibus cessationem laicis nulla ab iure imposita est poena: clericis aut religiosis olim excommunicatio imposita erat. Eadem cessat vel revocatione eius qui indixit aut eiusdem superioris, vel impleta conditione aut die, sub qua forte indicta fuit: d'Annibale l. c.

13. Sepultura et *actionem* significat, qua quis sepelitur seu in sepulcro conditur, et *locum*, ubi sepelitur. Hac altera significatione definitur sepultura: *locus auctoritate Episcopi* vel *ecclesiastico usu deputatus fidelium cadaveribus suscipiendis*. Deputatio Episcopi perfecta intelligitur accedente *benedictione* ab Episcopo vel eius auctoritate

data. Additur *vel ecclesiastico usu;* nam ecclesias sepulturas esse fidelium consuetudo ecclesiastica invexit, probante hoc legitima auctoritate. Porro privato iure nulla ecclesiastica sepultura constituitur nec, sicut olim apud Romanos, conditio cadaveris locum facit sacrum aut religiosum; sed locus prius sacer esse debet auctoritate publica, h. e. Ecclesiae, ut in eo fidelium corpora rite condantur.

Cum locus sacer evaserit, subducitur ab humano commercio et ex iis est rebus, circa quas versari potest simonia ecclesiastici iuris.

Sepultura ecclesiastica, ut actio est, est ritus religiosus, quo in loco sacro fidelium corpora conduntur. Duo proinde requirit, *locum sacrum* atque *ritum religiosum*, quem Ecclesia praescribit. Requirit duo, inquam, saltem ad sui perfectionem ; nam per se, qui in loco sacro aliquem conderet, iam illum donare diceretur sepultura ecclesiastica.

Sepultura ecclesiastica pars est communionis sanctorum, ut non tantum animae defunctorum suffragiis fidelium iuventur, sed et eorumdem corpora locum sacrum obtineant et ibi quiescant, ubi preces et sacrificia pro ipsis defunctis offeruntur.

Hinc illud principium ex veteri canone: ut quibus non communicavimus vivis, nec communicemus defunctis c. *Sacris est, de Sepulturis:* ideoque in loco sacro ii soli sepeliantur, qui in communione cum Ecclesia catholica defuncti sunt iique omnes: nisi ob specialem causam, in poenam aut detestationem criminis, aliqui ex iis quoque auctoritate Ecclesiae hoc beneficio priventur.

14. Quibus ergo sepultura ecclesiastica, iure communi (cf. *Rituale Romano de Exsequiis*) negatur, hi sunt:

1° *Infideles* omnes, etiam infantes catholicorum non baptizati.

2° *Apostatae*, a christiana fide, inter quos certe recensendi, qui scriptis atheismum, deismum, pantheismum docent, seu quicumque christianam revelationem negant.

3° *Haeretici notorii,* qui errores suos palam profitentur, eorumque fautores notorii, nec non *schismatici* publici. Huiusmodi enim, etsi non denuntiatos, privandos esse ecclesiastica sepultura, constat ex Const. Martini V. *Inter cunctas* et responso C. s. Offic. 6. Nov. 1641. probato ab Urbano VIII.

4° *Excommunicati* atque *interdicti nominatim*, si absque poenitentiae signis decesserint, nec desiderium ullum reconciliationis cum Ecclesia manifestaverint.

5° *Suicidae*, qui mentis bene compotes mortem sibi consciverunt, nisi signa poenitentiae ante obitum dederint. Non reiiciuntur qui in phrenesi aut alio morbi excessu vel amentes sese interemerunt, neque ii, quorum suicidium liberum haud est certum, ut enim hac poena

gravi fidelis plectatur, delictum debet essĕ certum. Utique, nisi contrarium probabiliter suadeatur, praesumitur hominem esse compotem sui: sed ipsum factum occisionis rationem in pluribus adiunctis dubitandi praebere potest. In dubio autem dari potest ecclesiastica sepultura, *vetitis tamen pompis et sollemnitatibus exsequiarum.* Congreg. s. Inq. 16. Maij 1866.

6° *Duellantes*, si ex ipso conflictu perierint, etiamsi signa poenitentiae dederint et absoluti fuerint. Cf. dicta *de Duello.*

7° *Peccatores publici et notorii*, qui impoenitentes mortem oppetierunt. Tales sunt, qui publice vitam ducunt in adulterio, in concubinatu, sacerdotes uxorati etc. Duo tamen requiruntur, nimirum impoenitentiam esse certam eamque ideo publicam, ut sepultura sine novo scandalo nequeat concedi.

In dubio autem, an danda sit ecclesiastica sepultura, consulendus, cum fieri potest, Episcopus. Secus recolenda sunt duo principia. Alterum est: *odia esse restringenda et in dubiis favendum esse reo.* Alterum est, *leges ecclesiasticas, cum gravi incommodo, non obligare.* Si ergo grave ex. gr. damnum merito timeretur tranquillitati fidelium, negata ecclesiastica sepultura, haec tolerari potest, dummodo absit contemptus religionis et scandalum fidelium. Cf. d'Annibale V. 1. n. 114.

Opus non est dicere, non prohiberi ecclesiastica sepultura damnatos poena capitali nec mimos aut histriones, nisi ad aliquam ex praedictis classibus pertineant.

15. « Quando benedicitur coemeterium (ait Gury V. 2. n. 1014.), pars aliqua extrema illius sine benedictione relinquenda est, ut inserviat pro sepultura infantium, qui sine baptismo e vivis excesserunt et infidelium, qui in locis christianorum mortui sunt necnon aliorum quorumlibet, quibus ecclestiastica sepultura deneganda est. Non requiritur absolute, ut pars illa v. gr. per murum aut sepem aut aliquam foveam a reliquo coemeterio separetur, sed sufficit, ut aliquo modo discerni possit ».

Debent, ut iam diximus, omnes catholici (nisi aliqua lex poenalis ecclesiastica obstet) in loco sacro sepeliri. Ita Rituale Rom. *de Exsequiis.* « Nemo christianus in communione fidelium defunctus extra ecclesiam aut coemeterium rite benedictum sepeliri debet ». Integrum est tamen fidelibus locum sepulturae sibi eligere. Si id non fiat, sepeliendus est defunctus in sepulcro maiorum: si hoc desit, in parochia, ad quam spectat, si in ea decedat aut eo commode transferri potest: secus, ubi vitam finivit. Clerici in ea ecclesia, in qua residentiale beneficium morientes habebant: Regulares in ecclesia sui Ordinis sepeliendi sunt, dummodo eo commode deferri possint. Sed cf. de hac re Canonistas in decretales lib. 3. tit. 28.

Nunc meminisse oportet, per recens instituta coemeteria communia leges ecclesiasticas quod iura ecclesiarum et cetera, quae adhuc servari possunt, non esse mutatas s. C. C. 16. Sept. 1871.

De iure Parochorum ducendi funus diximus satis alibi (tr. IX. vol. IV. *de Parochis*).

Quos autem non licet donare sepultura ecclesiastica, eos nec licet catholico ritu efferre aut eis iusta funebria persolvere; sunt enim haec pars ecclesiasticae sepulturae. Sed civilis mere honos non interdicitur, qui scilicet civili ritu, non ritu, qui proprius est Ecclesiae, exhibeatur. Cf. d'Annibale l. c.

16. Indignis propter peccatum ecclesiastica sepultura, sunt accensendi, ait idem n. 116., qui corpora sua post mortem cremari iubent. Haec enim iussio seu mandatum est peccatum grave, cui modo (post editas s. Sedis declarationes) accedit contemptus Ecclesiae. Sane quaesitum est, 1° an licitum sit nomen dare societatibus, quibus propositum est promovere usum comburendi hominum cadavera: 2° an licitum sit mandare, ut sua aliorumve cadavera comburantur.

S. C. Inq. 19. Maii 1886. respondit: « Ad 1^m^ *negative* et si agatur de societatibus massonicae sectae filialibus, incurri poenas contra hanc latas ». Ad 2^m^ *negative*. Factaque de his ss. D. N. Leoni Papae XIII. relatione, Sanctitas sua resolutiones Emm. Patrum approbavit et confirmavit et cum locorum Ordinariis communicandas mandavit, ut opportune instruendos curent Christifideles circa detestabilem abusum humana corpora cremandi utque ab eo gregem sibi concreditum totis viribus deterreant ».

Quorum autem cadavera aliena voluntate cremantur, iis iusta funebria solvenda sunt, nec eorum cineres a loco sacro reiiciendi; quamvis non deceat, coram iis in ecclesia positis exsequias peragere, ne ethnicorum mores probari videantur. D'Annibale n. 116. Verum, ut ait decretum s. C. Inq. 15. Decemb. 1886., « Ritus et suffragia iis adhiberi possunt tum domi tum in ecclesia, non autem usque ad cremationis locum, remoto scandalo. Scandalum vero removeri etiam poterit, si notum fiat, cremationem non propria defuncti voluntate electam fuisse ».

De poena *depositionis* et *degradationis* dicemus cum Auctore suo loco heic c. III. d. 3.

TRACTATUS XI.

DE CENSURIS ET IRREGULARITATIBUS

PARS I. — DE CENSURIS

CAPUT I.

DE CENSURIS IN GENERE

Dub. I.

Quid sit censura ecclesiastica.

1. Resp. Est poena spiritualis et medicinalis, per quam homini baptizato delinquenti ac contumaci, per potentiam Ecclesiasticam aufertur usus quorundam spiritualium bonorum Laym. l. 1. t. 5. p. 1. c. 1.

17. Censura, a censendo, olim penes Romanos denotabat officium et dignitatem censorum, quae ad morum correctionem et coercitionem spectabat. Aliquando significabat ipsam correctionem et decreta ad eam spectantia. Hodie latius accipitur pro quacumque sententia Ecclesiae correctoria vel poena, quin etiam et pro iudicio adprobatorio. Stricte vero et proprie censura est *poena spiritualis seu ecclesiastica, qua potestas ecclesiastica exterior fideles suos delinquentes et contra se ipsam contumaces bonorum quorundam spiritualium usu privat ad eorum correctionem.* Ita Schmalzgr. l. 5. tit. 39. n. 1.

Definitio A. communiter recepta est. Termini, qui aliqua egent explicatione, sunt *medicinalis*, *contumaci*, *quorundam* bonorum etc. Hoc postremum declaratur in resol. 1ª. Duo priora sibi invicem respondent; medicina enim dicitur censura, quia ad frangendam contumaciam adhibetur; non enim ad publicam vindictam criminis, sed ad correctionem delinquentis pertinet: non est proinde poena vindicativa si formaliter censura spectatur (cf. n. seq.). Porro *contumacia* est contemptus censurae (a) qui tamen non opus est, ut sit formalis, sed sufficit incompletus, qui interpretativus dicitur, in hoc consistens (ait Reiffenst. l. 5.

(a) Non tantum contemptus legis seu auctoritatis praecipientis; nam, ex ipsa Ecclesiae censuras ferentis dispositione, ignorans censuram eam non incurrit. — E.

tit. 39. n. 14.), quod quis sciat, aliquid per legem aut legitimum superiorem Ecclesiasticum sub censura esse prohibitum et tamen illud facere praesumat, talis enim iam censetur contemnere auctoritatem praecipientis. Oportet idcirco antea comminari censuram, ut talis dispositio animi delinquentis locum habere possit.

Contumacia quidem non semper praesupponitur actui, qui censuram fert, quod patet in censuris latae sententiae, sed est semper *conditio ad incurrendam* censuram adnexam alicui legi, quae violatur. Ideo enim superior censuram comminatur, ut per eam deterreat subditos ab inobedientia, ut sic censuram non incurrat, nisi qui eam parvipendens vult esse inobediens. Si contumacia cesset, censura remittitur.

Finis proinde censurae est vel cohibitio criminis (quod potissimum patet in censuris latae sententiae), vel emendatio delinquentis (quod patet in censuris ferendae sententiae, quae, crimine patrato, nisi delinquens resipiscat aut satisfaciat, infliguntur).

Haec tamen cum aliqua limitatione sunt accipienda. Utique s. Alph. verbis Auctoris subiicit hanc notulam: « Nota verbum *medicinalis*. Et ideo non sunt excommunicandi ii, de quorum correctione desperatur, nisi fiat ad terrorem aliorum. Salmantic. *de Cens.* cap. 1. n. 10. cum s. Thoma ».

Sed haec verba nimis stricte s. Alph. accipit quae neque integre referunt doctrinam Salmanticensium. Hii enim sibi proponunt obiectionem huiusmodi: « Multoties censura potest ferri in eos, de quorum emendatione desperatur: ergo non datur per modum poenae medicinalis in ordine ad resipiscentiam ».

Cui obiectioni respondent: « Licet censurae sint medicinae, non ad punitionem per se, sed ad correctionem et emendationem ordinatae, ut reus a contumacia discedat: sunt tamen poenae et ideo per accidens possunt ad punitionem dumtaxat ordinari. Quare licet medicinae, quae poenae rationem non habent, conferri non debeant aegrotis, de quorum salute desperatur; at censurae ferri possunt in eos, qui non sunt corrigendi nec de hoc datur spes aliqua, ut recte docent s. Thomas 1. 2. q. 87. art. 8. ad 2. (a), Coninch, Palaus, tum in *ultionem delicti*, tum ad *terrorem aliorum*, tum denique ut a *communicatione ceterorum avertantur ne forte illos inficiant* et hoc quando qualitas delicti enormis adeo est, ut id deposcat ». Loquuntur scilicet de censura, quae ut poena infertur non tanquam censura (formaliter spectata), ut mox dicemus.

(a) S. Tomas l. c. non de censuris agit, sed de poenis inflictis filio ob crimen patris: de quibus ait: « Sunt remedia quaedam vel medicinae, contra culpas sequentes ut vel ipsi, qui puniuntur, vel alii cohibeantur a similibus culpis ».

18. Sed Salmanticenses etiam nimis generatim statuerunt, censuras esse medicinas per se non ad punitionem sed ad emendationem ordinatas; utrumque enim vere intenditur, licet emendatio delinquentis, aut cohibitio criminis in futuro sit finis principalis censurae et punitionis. Sed melius quis dixerit, 1° illud *praesertim* competere censuris *ferendae sententiae*, quae supponunt crimen patratum et cuius emendatio ac reparatio per censuras intenditur; 2° *generatim* vero omnes dici medicinales poenas, quatenus censura non est solum punitio nec punitio per se perpetua (in quo differt v. gr. a degradatione), sed praeter punitionem aliud intendit, quod est bonum delinquentis et per eandem potestatem, qua lata est, aufertur et auferri solet ac debet, quando delinquens a contumacia discedit (vid. Suar. *de Censur.* disp. 1. sect. 1ª nn. 7. 8.), atque inflictionis hic est scopus (licet non unicus), ut delinquens gravi illa animadversione permotus resipiscat.

Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 5. ait: « Dicitur ad *correctionem:* hinc fit, ut emendatione posita, statim censura sit auferenda. Neque tamen sequitur, in neminem ferri eandem posse, nisi in eum, qui reputatur corrigendus; quia esto finis eiusdem sit principaliter emendare delicta, simul tamen Ecclesia per eam intendit punire. Unde cessante uno fine correctionis, non cessat hoc ipso finis punitionis ». Coninch. disp. 13. dub. 1.

Scilicet censura tum materialiter tantum tum formaliter accipitur. Cum sola punitio intenditur, etsi infligas poenam, quae censura nominatur, habes censuram tantum materialiter. Hinc quaedam suspensiones, quae imponuntur *solum* ut delictum puniatur et non ut a contumacia recedatur, non habent rationem censurae, sed solius poenae. Et hoc maxime differt inter duos suspensionis modos, quod illa, quae est poena et non censura, vel perpetua est vel imponitur ad certum tempus aut diem: quae vero est censura, non potest esse ex se perpetua vel certum habere terminum praefixum. Vid. Suar. *de Censur.* disp. 25. sect. 1. nn. 2. 3.

Hinc tales suspensiones melius dicerentur *inhabilitationes*, quae vox usurpatur in Decreto s. Inquisitionis 5. Aug. 1745. sub Benedicto XIV. quo decreto suspensio perpetua a celebratione Missae inflicta sacerdotibus sollicitantibus aut abutentibus sacrificio Missae ad sortilegia, appellatur *perpetua inhabilitatio ad sacrificii celebrationem.* Proinde qui huiusmodi interdicta violat, non incurrit irregularitatem, ut dicetur infr. *ad Resol.* 6. *Dubii IV.*

Itaque distinguenda est tum poena *vindicativa*, quae principaliter est in punitionem criminis atque ordinis moralis instaurationem, tum poena *medicinalis*, quae principaliter est in emendationem delinquentis

vel criminis cohibitionem (a). Haec est censura: cuius proinde ratio est, ut auferri debeat, cum reus est emendatus aut satisfecit: secus ac in vindicativa, quae vel ad certum tempus vel in perpetuum ferri potest eique etiam infligi, qui iam sit emendatus.

Cum ergo suspensio et interdictum in punitionem quoque infligantur pro certo tempore vel perpetuo, tunc desinunt esse censurae et evadunt poenae vindicativae.

Excommunicatio vero, ob eius gravitatem, ita semper fertur, ut cum reus se emendaverit, absolvi possit et debeat. Est semper scilicet censura.

Quocirca censura tollitur *absolutione*, quae est actus iustitiae, remissio scilicet poenae debita rite disposito: aliae poenae tolluntur *dispensatione*, quae est gratuita exemptio a lege. Cf. Suarez *de Cens.* disp. 41. sect. 1. n. 4.

Unde resolves.

II. 1. Per censuram non privatur homo bonis mere internis, v. g. charactere, potestate ordinis, nec bonis propriis ac privatis v. gr. fide, caritate, gratia etc. sed quibusdam externis et publicis, sive actionibus, quae habent spiritualem aliquem effectum vel commodum, ut sunt sacrificium, officium divinum, beneficium, administratio et susceptio sacramentorum, indulgentia, publica Ecclesiae suffragia; quia haec et non illa, subsunt dispositioni Ecclesiae. Unde, si interdum privetur bono aliquo temporali, v. g. convictu humano, per excommunicationem, id tantum fit secundario.

19. S. Alph. lib. 7. n. 2. mere addit, quod non privat communione Sanctorum, quae fundatur in interna fidei et caritatis unione cum Deo et Ecclesia, unde manant et bona, quae Salmantic. innuunt (*de Cens.* cap. 1. n. 8.) consistere in beneficiis, quae Deus confert intuitu aliorum fidelium, quibuscum quis unitur ceu membrum corpori.

Scilicet censura, quae est poena inflicta ab Ecclesia, privat iis bonis, quorum administratio et dispensatio pertinet ad Ecclesiam, non iis, quae privati iuris sunt. Auctor dicit esse bona externa et enumeratio bonorum ab eo facta id satis ostendit, quamvis fructus suffragiorum communium, quo censura aliqua privat, non sit proprie res externa, sed externa sunt suffragia.

Notant DD., censuram esse poenam externi fori, ut idcirco ab eo solo feratur, qui iurisdictionem habet in foro externo: id tamen non impedit quominus et in foro interno vim suam exerat et in eodem remitti possit.

(a) Nulla poena in hac vita destituitur ratione medicinae; cum valeat semper excitare delinquentem ad emendationem et cohibere crimina: sed interest, quid ab humano legislatore principaliter intendatur. — E.

Ceterum, ubi de singulis censuris agetur, disiinctius explicabuntur bona, quibus censurae privant.

III. 2. Exilium, carcer, servitus, privatio beneficii, nisi adiunctam habeant suspensionem aliquam spiritualium actionum, non sunt censurae, quia sunt poenae temporales.

IV. 3. Nec degradatio, vel depositio est censura; quia etsi sit poena spiritualis, non tamen medicinalis sed perpetua et ob peccatum praeteritum, etiam emendatum, potest infligi.

V. 4. Nec cessatio a divinis, quia non imponitur per modum medicinae, ad tollendam contumaciam, sed ad propulsandam iniuriam Ecclesiae factam.

VI. 5. Nec irregularitas, sive sit ex defectu, quia haec non est poenalis, sed tantum impedimentum Canonicum, sive sit ex delicto, quia haec non irrogatur per modum poenae medicinalis, sed punitivae et ex se perpetuae. Unde nec tollitur per absolutionem, sicut censura, sed per dispensationem. Bonac. d. 1. q. 1. p. 1.

VII. 6. Quando in lubilaeis vel privilegiis datur potestas absolvendi a censuris, non comprehenditur irregularitas, nisi expresse addatur.

20. Nihil in his notatu dignum. Sed haec A. posuit contra quosdam, qui censuris ea quoque accensebant, quae heic numerantur. Cf. Bonac. *de Cens.* q. 1. p. 1. n. 4. Suarez *de Cens.* disp. 1. sect. 3.: de quibusdam ex his inferius sermo occurret.

Dub. II.

Quotuplex censura.

VIII. Respond. Dividitur 1. essentialiter in Excommunicationem, Suspensionem et Interdictum. 2. Accidentaliter in eam, quae est ab iure et fertur per Canones, constitutiones vel statuta Ecclesiastica, stabili ac permanente lege et eam, quae est ab homine, quae scilicet fertur a iudice vel Praelato, per modum mandati, vel sententiae iudiciariae. Estque vel particularis, circa factum aliquod particulare aut certas personas, vel generalis, quae nulla singularis facti aut personae determinatione fertur. 3. in eam, quae est sententiae latae, quam scilicet ius aut iudex statuit ipso facto, quo quis v. gr. contra legem facit, sine alia sententia incurrendam et in eam, quae est ferendae, quam ius aut iudex non vult ipso facto incurri, sed per sententiam infligi. Pro quibus dignoscendis consideranda sunt verba, quibus censura fertur, quae si includant alterius actionem seu ministerium, significant censuram esse sententiae ferendae: latae vero, si non includant. Si vero ambigua sint, teneri potest regula 49. iuris in 6. quod in dubio circa poenas benignior interpretatio sit facienda.

21. Bene Busembaum advertit, primo membro divisionis *essentialiter* censuras distingui, in aliis membris *accidentaliter*. Excommunicatione, suspensione et interdicto contineri censuras expresse definitur in cap. *Quaerenti* 20. *de Verbor. Signific.* ab Innocentio III: « Quaerenti, quid per censuram ecclesiasticam debeat intelligi, cum eiusmodi clausulam in nostris litteris apponimus, respondemus, quod per eam non solum interdicti, sed etiam suspensionis et excommunicationis sententia valet intelligi etc. »

Altera divisio. *Ab iure,* vel *ab homine.*

Bene de hac re Suarez (*de Cens.* disp. 3. sect. 1. n. 2.): « Dubium non est, quin omnis censura proxime fundetur in alicuius hominis voluntate ac potestate; quo sensu omnis censura potest dici lata ab homine... At vero duobus modis potest homo ferre censuram. Uno modo ferendo legem stabilem ac permanentem, obligantem sub hac poena, quam ipso facto incurrant eius transgressores. Alio modo potest homo ferre censuram *proferendo sententiam* aut *praecipiendo aliquid in singulari actione vel negotio,* in quo non stabilitur ius aut statutum permanens, sed transitorium mandatum. Quando ergo censura fertur primo modo, dicitur esse *ab iure;* quia licet ius ab homine processerit, iam vero talis censura in ipso iure continetur. Quando vero censura fertur posteriori modo, retinet veluti commune nomen et quasi per antonomasiam vel accommodationem vocatur censura *ab homine.* Atque hoc sensu divisio illa communis est omnium theologorum et canonistarum ».

« Differunt a se invicem dupliciter. Nam 1° censura lata *ab iure,* auctore, qui eam tulit, mortuo, perseverat; quia nomine Dei seu communitatis nunquam deficientis fertur. Lata autem *ab homine,* cum ab huius iurisdictione et auctoritate pendeat et haec cessent eo mortuo vel ab officio remoto, etiam ipsa cessat: quod intellige, *antequam incurratur,* ut non amplius incurratur; nam postquam incursa est, perseverat ».

« Alterum discrimen est, quia censura lata *ab iure* nunquam ferri potest pro peccatis praeteritis, sed semper pro futuris; censura vero lata *ab homine* non solum pro futuris, sed etiam pro praeteritis in eorum satisfactionem et emendationem fertur ». Ita Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 9.

22. Adverte penes A. duplicem modum censurae ab homine, scil. 1° per *modum mandati,* 2° vel *sententiae.*

Priorem modum habes, cum Praelatus quidpiam mandat seu praecipit aut prohibet, sive alicui in particulari sive generatim, adiuncta sanctione censurae. Et hic modus respicit actiones futuras, uti patet.

Secundum modum habes, cum instituitur iudicium de aliquo facto et iudicialiter fertur sententia, imponendo censuram seu ferendo sententiam excommunicationis aut suspensionis etc. Et hic modus respicit factum praeteritum.

Et ad posteriorem hunc modum referri videntur verba Auctoris, cum ait: *Estque vel particularis circa factum aliquod particulare aut certas personas* (licet postrema haec particula referri queat etiam ad priorem modum); ad priorem vero spectant verba, ubi dicit: vel

generalis, quae nulla singularis facti aut personae determinatione fertur (licet postrema particula etiam ad posteriorem modum queat referri): imo ad utrumque modum referri omnia possunt.

S. Alph. lib. 7. n. 6. heic interserit hanc notulam: « Nota igitur, quod censurae, quas fert Episcopus in Synodo dioecesana, dicuntur latae per modum statuti et hae, tamquam latae ab iure, durant post mortem Episcopi. Aliae vero extra Synodum dicuntur latae ab homine per modum praecepti, seu mandati aut sententiae et hae per mortem ferentis cessant, sive praeceptum sit particulare sive generale. Ita Ronc., Salm., Croix, cum Dicastill. ».

Tertia divisio: *latae et ferendae sententiae.*

Auctor ad discernendum, lataene an ferendae sententiae sit censura, mere dicit considerandum, an verba includant vel exigant actionem alterius etc.

Quaenam vero sint verba, quae actionem alterius, qui exsequatur sententiam, exposcunt, declaratur in Resolutionibus.

Merito A. addit, si res dubia sit, tenendam esse regulam iuris, quae exigit, ut in dubio circa poenas benignior sit facienda interpretatio. Porro censura ferendae adhuc sententiae mitior est ea, quae sit latae sententiae.

Unde resolves.

IX. 1. Est censura latae sententiae, 1. si verba sint praeteriti aut praesentis temporis: ver. gr. excommunicavimus, excummunicatus est, fuit, excommunico, suspenduntur, interdicuntur, volumus aut iubemus esse excommunicatum, suspensum etc. 2. Si addatur particula, ipso iure, ipso facto, vel, sine alia sententia. 3. Si verba sint imperativi modi, v. g. incidat in excommunicationem, maneat interdictus etc. Ratio, quia haec omnia nullius actionem interponunt.

23. Quod secundo loco dicitur, clarum est. At aliae particulae addi possunt, in quibus animus rationabiliter haereat, nisi ex contextu res definiatur. Ita Bonacina *de Censur.* disp. 1. q. 1. p. 1. n. 6. ceu secundam regulam tradit, censuram esse latae sententiae, « quando cum censura ponuntur haec adverbia, *confestim, statim, illico, continuo, ex tunc, omnino, prorsus, incontinenti, mox, protinus* ».

Verum id videtur intelligendum cum Croix lib. 7. n. 9., quando istae particulae coniunguntur cum verbis praeteriti temporis, v. gr. *mox, protinus, ex nunc, ex tunc sit excommunicatus;* sed cum aliis verbis, v. gr. *mox excommunicetur*, est ferendae.

In tertio modo regula A. valet, cum immediate ipsa persona iubetur, ut ita dicam, incurrere censuram, quemadmodum patet ex exemplis allatis ab Auctore: secus si imperetur inflictio censurae (cf. n. seq. 24.).

Hinc Reiffenst. l. 5. tit. 39. n. 81. docet, esse *ferendae sententiae* has formulas: *reatum excommunicationis incurrat* vel *fiat reus excommunicationis*. Et sane ut reus quis sit excommunicationis, non opus est, quod nunc sit excommunicatus: sed satis est reum seu debitorem esse poenae infligendae ab alio.

X. 2. Sententiae ferendae, saltem ut plurimum, 1. si verba sint futuri temporis, v. g. excummunicabitur, suspendetur. 2. Si dicatur, excommunicetur, suspendatur, volumus excommunicari. 3. Si verba sint minatoria, v. g. sub poena excommunicationis, sub interminatione anathematis etc. nisi tamen ex adiunctis aliud colligatur.

24. Quoad 2. de formis *excommunicetur*, *suspendatur*, s. Alph. n. 8. dicit, hunc locum intelligendum sub ea distinctione, quam exhibet in fine, nempe ferendae esse sententiae, si praeceptum excommunicandi, suspendendi etc. alteri, puta Episcopo, imponitur: si vero absolute modo imperativo profertur, censuram esse latae sententiae idque pro certo asserere Bonacinam aliosque communiter apud Croix l. 7. n. 9.

Sed reipsa eiusmodi sententia tribui his DD. nequit, Quippe non de forma, *excommunicetur* aut *suspendatur* agunt, sed de aliis.

Ita Bonac. *de Cens.* disp. 1. q. 1. p. 1. n. 6.: « Quarta regula est (ut censura dicatur latae sententiae) quando censura fertur per verba temporis praesentis imperativi modi, ex. gr. *Qui hoc vel illud fecerit, subiaceat excommunicationi, habeatur pro excommunicato, subdatur excommunicationi, vel incurrat aut incidat in excommunicationem* ».

Item si in ipsa lege ponantur verba: *ipso facto*, *ex tunc*, *ipso iure*, censura incurretur: censura est certe latae sententiae. Suarez *de Cens.* disp. 3. sect. 3. n. 1.

Ait Croix l. c.: « Quando verba non significant actionem ipsam excommunicandi exercendam per ministerium alterius, tunc significant sententiam latam, ut si dicatur, *subiaceat*, *subiacebit*, *incidet*, *incurrat*, censuram. Et ita docent etc. ».

Porro quod non requiratur alterius opera, aut quod imponatur necne alteri munus exsequendi, isti DD. non desumunt ex verbi modo imperativo solum, sed ex indole *verbi*, quod nullam operam alterius requirit; uti *incidat*, *incurrat*, *subiaceat* etc. Nec inter haec apparent illa *excommunicetur*, *suspendatur* etc., quae suapte natura exigunt *excommunicantem* vel *suspendentem*.

Ergo conciliari debebat haec A. particula cum praecedenti, ubi et ipse A. *imperativum modum* dixit indicare *latam* sententiam: sed exempla protulit: *incidat* etc., *maneat interdictus* etc., quae per se operam excludunt alterius.

25. Quaestio occurrit et circa alias formulas. Formulam: *excommunicationis sententia duximus innodandum*, qua utitur Bonifacius VIII.

c. un. *de Schismat.* in 6°, censetur latae sententiae, quatenus exhibet ipsum legislatorem inferentem poenam. Subditur ibid. alia clarior: *excommunicationis sententia innodantes:* quae latam sententiam significat. S. Alph. n. 7. dicit, *Excommunicatus sit* censeri a pluribus latae sententiae, contra Sanchez, Laymann etc.; sed utramque sententiam esse probabilem. Nam verbum *sit* est etiam futuri temporis (Reiffenst. l. c. n. 84.).

Ergo (fas est concludere) ex generali principio, quod in dubio pars benignior est sequenda, debet accipi pro *ferenda.*

Solum adverte, falso a s. Alph. dici, id defendi ab aliis contra Laymann; nam hic lib. 1. tr. 5. part. 1. cap. 2. n. 3. solum dicit, hanc formam censeri dubiam a Navarro et Sanchez et ideo (ex generali principio) habendam esse ut *ferendae*, nisi alia iura obstent, scilicet nisi iura alibi edicant clare, crimen illud, de quo agitur, poena *latae* sententiae plecti.

Sanchez vero *Decal.* l. 2. c. 38. n. 91. et *de Matr.* l. 7. disp. 12. n. 2. post Navarrum allatis iuris et glossae textibus, probat, eam formam accipi etiam ut *sententiae ferendae.*

Forma: *anathema sit* nisi de haeresi agatur, accipitur pro *ferenda sententia.* Ita refert s. Alph. lib. 7. n. 8. a Sanchez et Dicast. dici, quin ipse improbet. Cf. et Reiffenst. l. 5. tit. 39. n. 84. Sane quoad enunciationem haec forma nihil differt ab alia: *excommunicatus sit,* (cf. n. praeced.). Specialis ergo ratio est pro haereticis, quippe per haeresim iam se ab Ecclesia separant et in Pontificiis Constitutionibus excommunicantur ipso facto.

Iam vero cum censura est latae sententiae, quae ipso facto incurritur, nulla, ut incurratur, opus est sententia iudicis vel declaratoria, « ad differentiam aliarum poenarum ecclesiasticarum, ut sunt privatio officii, inhabilitatis ad officia etc., quae semper sententia saltem declaratoria indigent » s. Alph. l. 7. n. 54.

Nihilominus, recolenda est regula communiter recepta: nempe *in foro externo* (nisi res notoria sit) *nemo est reputandus censura innodatus, absque sententia criminis declaratoria* (Benedictus XIV. *de Syn.* l. 10. c. 1. n. 5.

Dub. III.

Quis possit ferre censuram et in quos.

XI. Resp. 1. Censuram ferre potest omnis ac solus superior Ecclesiasticus, habens in foro externo seu contentioso iurisdictionem, sive ordinariam sive delegatam.

Porro ordinariam, quae est ratione officii vel alterius iuris potestque delegari Clerico Clericatus Privilegio gaudenti, ut Bonac. d. 1. q. 1. p. 2. Laym. l. 1. t. 5. par. 1. c. 3. n. 1. ex c. *cum Ecclesiarum*, s. Thom. etc. docent, habet, 1. Papa respectu totius Ecclesiae. 2. Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, eorumque Vicarii Generales. 3. Generales, Provinciales, et Superiores locales Religionum, respectu suorum subditorum. 4. Congregationes religionum, Concilia provincialia Episcoporum, Capitula Provincialia quorundam religiosorum et denique 5. quidam alii ex concessione, ut multi Archidiaconi, Archipresbyteri et Decani.

Delegatam habent, quibus ea committitur ab ordinariam habente, cuius morte exspirat: nec delegatus potest alteri delegare, nisi habeat specialem huius commissionem, ut si sit delegatus Papae.

26. Bene monet s. Alph. lib. 7. n. 9. de fide esse, in Ecclesia esse potestatem ferendi censuras, ut definitum est in Concil. Constantiensi et in Bullis Martini V. et Leonis X. atque ita semper senserunt omnes Catholici ac in praxi Ecclesiae servatum est. Colligitur ex verbis Christi ad Petrum Matth. XVI. 19. et XVIII. 18., quibus Petro et Apostolis potestatem facit ligandi. Sed haec a dogmaticis petenda.

Ratio sane est, quia in omni bene constituta republica debet esse potestas quosdam sibi noxios excludendi a suo corpore, alios male administrantes suspendendi a quibusdam officiis, aliis interdicendi certos actus; quae fiunt per censuras, scilicet excommunicationem, suspensionem et interdictum.

Auctor dicit ordinariam potestatem inesse ratione offici vel *alterius iuris*. Exempla posterioris huius membri habemus in Congregationibus Religionum, in Conciliis provincialibus, in Capitulis religiosis etc.

Cur A. dicat, ordinariam posse delegari *clerico clericatus privilegio gaudenti* dicetur infra n. 31.

Quoad 1^m^ de Papa respectu totius Ecclesiae nulla est difficultas; id enim postulat eius Primatus, per quem immediatam et ordinariam iurisdictionem obtinet in omnes fideles tum collective sumptos (dioeceses, provincias etc.) tum singillatim acceptos (a).

(a) Optime monet cl. Lehmkuhl V. 2. n. 870. vim excommunicationis, qua quis ab universa Ecclesia separatur, universique fideles iubentur illum habere ut excommunicatum ex consensu Romani Pontificis petendam esse, qui suppleat id quod iudicis inferioris, puta Episcopi, auctoritati deest. Poterit enim Episcopus aliquem removere a communione suae Ecclesiae sed a communione aliarum, puta Ecclesiae Romanae, quî per se potest? Ut quis ab universa Ecclesia sit alienus, oportet ab eo expelli, qui solus universae Ecclesiae praeest. Consensus ergo saltem tacitus s. Sedis habetur, quoties sententia excommunicationis efficax est. — E.

Quoad 2^m^ de Patriarchis, Archiepiscopis etc. bene notat s. Alph. lib. 7. n. 10., hos habere hanc potestatem « respectu tantum subditorum suae Dioecesis, non vero aliarum suffragranearum nisi tempore visitationis, aut nisi causa sit per appellationem ad ipsos delata seu devoluta ». Quod DD. probant ex cap. *Venerabilibus 7. de Sent. Excom.* in 6. (a).

Idem posse Cardinales in ecclesiis sui tituli, DD. tradebant olim communiter probantes ex cap. *His quae* 11. *de Maioritate et obedientia*, ubi iubentur presbyteri et clerici eius ecclesiae (quae tunc terrritorium proprium et separatum habebat) Cardinali manualem obedientiam, reverentiam et honorificentiam omnem exhibere, « correctionem ipsius Cardinalis recipientes humiliter et excommunicationis, interdicti vel suspensionis sententias, quas tulerit in eos et ecclesias eorundem, inviolabiliter observantes ». Verum post Constitutionem Innocentii XII. 17. Sept. 1692. qua adempta est Cardinalibus titularibus iurisdictio in populum et parochianos ac concessa dumtaxat iurisdictio domestica in respicientibus servitium Ecclesiae circa disciplinam et correctionem morum, non videtur amplius talis potestas Cardinalibus competere. Cf. Santi l. I. tit. 31. n. 36.

His addendi Legati a latere in provincia suae legationis. Patet ex cap. *Novit 7. de Officio legati* et cap. *Legatos* 2. eod. tit. in 6^o^, ubi dicitur: « Legatos, quibus in certis provinciis committitur legationis officium, ut ibidem evellant et dissipent, aedificent atque plantent, provinciarum sibi commissarum... *Ordinarios* reputantes etc. ». Ex quibus patet eos ceu *Ordinariam* habere potestatem.

27. Quoad Episcopos monet s. Alph. lib. 7. n. 10.: « Dummodo sint confirmati, esto non consecrati (b): quia per confirmationem iam accipiunt iurisdictionem ». Quibus verbis continetur doctrina certa et communis ac notissima.

Quoad generales Episcoporum Vicarios s. Alph. ibid. notat: « Hoc tamen negant Sayrus, Ugolinus et alii apud Croix lib. 7. n. 24; sed verius affirmant cum Busembaum, Fagnanus, Bonacina, Suarez etc.;

(a) Verum habentne potestatem hanc in suos suffraganeos Episcopos ? Archiepiscopus seu Metropolitanus, ait Santi l. I. tit. 31. n. 153., cum habeat iurisdictionem ordinariam in suos suffraganeos, potest eis, tanquam immediatus superior, praecipere quae pertinent ad eorum officium etiam per censuras. Verum in usu censurarum maximam moderationem adhibere debet; nec procedere nisi ex licentia s. C. C. ut probat Card. Petra in Const. 7^a^ Leonis IX. n. 88. Cum praeterea, iure Trid. C. 5. Sess. 24. causae criminales maiores Episcoporum reservatae sint S. Sedi, etiam earum cognitio cc. 6. 7. sess. 13.: causae vero minores Synodo Provinciali, occasio videtur oblata Archiepiscopo seorsim agenti, ferendi censuras in suffraganeos. — E.

(b) Cf. tamen Const. Bonifacii VIII. *Iniunctae nobis* inter Extrav. comm. *de Electione*, ubi praecipitur, oportere Episcopos electos et confirmatos Romae ostendere suis ecclesiis litteras Apostolicas, ut eis obedientia praestetur. Cf. quoque Const. Pii IX. *Romanus Pontifex* hac de re. — E.

quia hoc pertinet ad ordinariam potestatem Vicarii, qui cum Episcopo unum facit tribunal etc. ».

Et verissima quidem est conclusio s. Alphonsi; sed non ita firma est ratio addita, quippe quae nimis probaret. Et sane licet unum faciat tribunal Vicarius cum Episcopo, non potest tamen sine speciali eiusdem mandato v. gr. privare aliquem beneficio. Et generatim in cap. *Licet* 2. *de Officio Vicarii* in 6° habes: « Potestatem tamen inquirendi, corrigendi aut puniendi aliquorum excessus, seu aliquos a suis beneficiis, officiis, vel administrationibus amovendi, transferri nolumus in eundem (scil. Vicarium), nisi sibi specialiter haec committantur ».

Melius id probant alii Doctores ex cap. *Venerabilibus* 7. *de Sent. Excom.* in 6°.

Ceterum ne quis putet, rem ipsam forte esse ancipitem, de qua propterea in utramque partem DD. disputaverint, sciendum est, illam pugnam DD. non exstitisse nisi in capite Croix (a quo eam descripsit bona fide s. Alphonsus), nisi forte tribuenda sit negligentiae alterius, a quo Croix transscripserit.

Et sane Gregorius Sayrus (a) (*de Cens.* lib. 1. cap. 9. n. 8. dissertissime scribit: « Vicarius Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi, iudex ibidem ordinarius est et iurisdictionem hanc (scil. ferendi censuras) in sibi subditos exercere potest » et allegat glossam in cap. *Licet* 2. *de Officio Vicarii* in 6° v. *officialem*. Ergo Sayrus non discedit a doctrina communi.

Exceptionem tamen addit ita n. 9.: « Vicarius autem Archiepiscopi, praesente Archiepiscopo in sua provincia vel vicina, in Archiepiscopi suffraganeos excommunicationis aut alterius censurae sententiam ferre non potest »: quod confirmat auctoritate praedictae glossae ac multo magis ex cap. *Romana* 1. §. *Officiales* 1. *de Officio Ordinarii* in 6°, ubi dicitur: « Officiales autem... Archiepiscopi, *quandiu in sua provincia vel circa illam exstiterit,* in suffraganeos interdicti, suspensionis vel excommunicationis proferre sententias non attentent ». Ex hoc textu Ferraris v. *Vicarius* artic. 1. n. 13. concludit, Vicarium hoc etiam posse, si Archiepiscopus sit absens *distans* et iusta aliqua gravisque causa intercedat (b).

Ugolinus vero, quem Sayro addunt, non negat Vicario potestatem ferendi censuras; sed negat esse validas, si ferantur in suffraganeos, dum Archiepiscopus non est absens aut distans (apud Sayr. l. c.).

28. Eadem potestas competit Vicario Capitulari. Alii nominant *Capitulum* sede vacante, alii sedem vacantem; sed notum est, totam

---

(a) Quem s. Alph. post Croix accenset negantibus hanc vicario potestatem.
(b) Cf. sis Bouix de Episcopo, p. 4. sect. 2. c. 3. prop. 4. et 5. — E.

iurisdictionem Capituli absolvi actu eligendi Vicarium, qui dicitur Capitularis et iurisdictionem in Dioecesim per hunc solum exerceri. Hic itaque, aeque ac Episcopus, facultate ferendi censuras gaudet, nec ulla de hoc est controversia (a).

Quoad 3^m Superiores Regularium etc. Isti habent hanc facultatem ex privilegio Pontificis adnexo ipsorum muneri seu officio.

Idque clare eruitur ex cap. *In Ecclesiis* 10. *de Maioritate* et *obedientia*, aliisque textibus iuris Canonici (apud Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 13.).

4° Loco veniunt Congregationes etc. Dicit A., *capitula provincialia quarundam Religionum;* quia hoc pendere solet a cuiusque Religionis Constitutionibus.

Quod vero attinet ad Concilia, intellige posse ferre censuras in sua vel provincia vel natione etc., sicut et Congregationes Religiosae habent talem potestatem relate ad sibi subditos.

Auctor recenset etiam Archidiaconos etc. Videlicet intelligi debent Praelati et praepositi Ecclesiarum Collegiatarum, aliique obtinentes iurisdictionem in foro Ecclesiae externo.

Ubinam porro huiusmodi iurisdictio talibus praelatis competat et in quos competat, in singulis locis erit inspiciendum.

Engel lib. 5. tit. 39. n. 12.: « mihi semper probabilius et consuetudini, quae est optima legum interpres, conformius visum est, istis inferioribus iudicibus et Archidiaconis, Archipresbyterisque non competere potestatem ferendi censuras, nisi ex commissione Episcopi vel speciali alicuius loci consuetudine hoc habeant ». Hoc dicitur contra eos, qui censent, hanc potestatem ipsis competere vi iuris (per c. 3. *de Officio Iudicis Ordinarii*).

Interim adverte Praelatos dari, qui non sunt Episcopi et veniunt nomine *Ordinarii*, scil. in locis *Nullius Dioecesis*. Vid. Schmalzgr. in lib. 5. tit. 33. n. 248...

29. Nunc de potestate *delegata*. Dicuntur delegatam habere omnes, quibus committitur ab habente ordinariam; quippe generale principium est, quod potestas ordinaria, hoc ipso quod ordinaria est, delegari

---

(a) Gury n. 943. Reg. 2. allegat s. Alphonsum, quasi doceat hanc facultatem inesse Capitulo ante electionem Vicarii. Sed hoc falsum est et causa hallucinationis fuit modus aequivocus, quo s. Alph. ait lib. 7. n. 10.: « Ac Capitulum Ecclesiae Cathedralis Sede vacante, *seu* vicarius capitularis pro eo ». Nam illud *seu* significat *idest*. Videndi Salmantic. cap. 1. n. 32., quos s. Alph. allegat. Verum, cum Vicarius capitularis deputandus sit intra octo dies a cognita morte Episcopi, eo brevi tempore potestas administrandi Ecclesiam viduatam erit penes Capitulum, sicut antea erat toto tempore vacationis. Ita Leurin *De Vicariis Episcc.* n. 545. Secus eo tempore nullus foret, qui ecclesiae necessitatibus consuleret. Et si transit potestas a Capitulo in Vicarium, ergo prius erat in Capitulo. — E.

potest: ut patet ex cap. *Cum Episcopus* 7. *de Offic. Ordinarii* in 6°, ubi statuitur principium, quod Episcopus eo ipso quod in tota dioecesi habet *ordinariam* iurisdictionem, per *se vel* per *alium* potest causas ecclesiasticas audire, iudicare etc.

Quod vero delegatus non possit alteri delegare, nisi specialiter ipsi hoc fuerit tributum, ratum in iure est.

Exceptio, quae additur de delegatis a Summo Pontifice, fundatur in cap. *Si pro debilitate* 3. *de Officio Delegati*, unde hoc privilegium illis asseritur.

Auctor dicit, exspirare hanc potestatem morte delegantis: at advertenda duo sunt:

1° Id intelligendum, nisi causa a delegato iam fuerit inchoata etiam per solam citationem rei, ut patet ex Iure Canon. (cap. *Gratum* 20. *de Officio Delegati*).

2° Non haberi heic generale principium, quasi morte delegantis semper exspiret potestas delegati; nam id verum est (supposita iam dicta limitatione) cum delegatio est in favorem tertiae personae, non vero cum est gratia ipsi delegato facta (tr. III. vol. 1. 459.).

Unde resolves.

XII. Non possunt potestate ordinaria ferre censuram: 1. Parochi. 2. Laici; quia non sunt capaces iurisdictionis Ecclesiasticae, uti et religiosi professi non habentes primam tonsuram. 3. Feminae, licet sint Priorissae vel Abbatissae; quia non sunt capaces iurisdictionis, seu potestatis clavium: quando vero in iure dicuntur posse subiectos sibi Clericos suspendere ab officio vel beneficio, suspensio non accipitur proprie pro censura, cuius violator irregularitatem incurrit, sed late et improprie pro praecepto, quo Abbatissa Clerico sibi quodammodo subiecto prohibet celebrationem, donec satisfecerit, subtrahens ei reditus interea. Vide Bon. l. c. Laym. l. 1. t. 5. p. 1. c. 3. n. 3.

30. Quod parochis non insit facultas *ordinaria* ferendi censuras, constat apud omnes. Sed non ab omnibus redditur eadem ratio.

S. Alph. lib. 7. n. 11., ut patet ex notula Auctoris textui inserta, rationem reddit, quia « potestas eis concessa ex iure communi, sit abrogata per consuetudinem ».

Sed melius alii censent, negandum esse suppositum, nempe parochis unquam hanc potestatem iure concessam fuisse.

Dixi, *melius;* quia verius. Sane hi ita ratiocinantur. Censura ferri nequit, nisi ab habente iurisdictionem fori externi, ut clare evincitur ex iure canonico. Parochus autem iurisdictionem externi fori, nisi specialiter ipsi committatur, nullam exercet, ut eodem iure can. probatur. Ergo.

Ad textus vero iuris ab aliis obiectos respondet, in nullo illorum contineri ius, quod generatim faciat parochis talem potestatem. Nam

1° Canon *Nemo* 11. caus. 8. q. 1. agit de presbytero, qui iurisdictionem fori externi obtinuerat privilegio vel consuetudine legitime praescripta. 2° Qui in c. *Sacerdos* l. *de Officio Ordinarii* tulisse dicitur sententiam excommunicationis, non fuit simplex plebanus, sed Episcopus; qui autem c. *Cum ab ecclesiarum* 3. eod. tit. fertur tulisse sententiam excommunicationis et interdicti et appellatur plebanus s. Pancratii, praepositus erat ecclesiae collegiatae; vel si hoc negare quis vellet, dicendum pariter, istos potestatem hanc assecutos via praescriptionis seu consuetudinis, ut notat Abbas, Barbosa et Gonzalez (Schmalz. lib. 5. tit. 39. n. 20.).

31. Auctor secundo loco excludit laicos. Cum potestas ferendi censuras sit potestas ecclesiastica et ecclesiasticae potestatis seu iurisdictionis incapaces sint laici, qui nempe ne per primam quidem tonsuram in clerum adsciti sunt; hinc patet, cur laici censuras ferre non possint.

Conveniunt tamen DD., hanc viri laici incapacitatem esse de iure tantum ecclesiastico. Quam in rem allegant cap. *Ecclesia* 10. *de Constitutionibus*, in quo dicitur, quod Laicis etiam religiosis super ecclesiis et personis ecclesiasticis nulla sit attributa facultas.

Et ab hoc iure utique dispensare non potest quilibet Episcopus; unde recte concludit s. Alph. lib. 7. n. 12., Episcopum non posse sibi in Vicarium assumere laicum. At dispensare potest Summus Pontifex. Potest ergo Pontifex hanc potestatem laico delegare, sicut delegare ipsi potest facultatem cognoscendi de causis spiritualibus. Et hanc doctrinam *communem* vocat s. Alph. n. 12. et *omnium sententiam* dicunt alii apud Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 3. (a).

Quid vero de feminis, de quibus A. tertio loco? Auctor semper loquitur *de potestate ordinaria* atque adeo tam absolute negat, feminas esse capaces potestatis ferendi censuras et dein explicat, quomodo quaedam actiones priorissarum vel abbatissarum non profluant ab iurisdictione proprie dicta, quae sane foret ordinaria.

Negant etiam communi consensu DD., feminam esse capacem accipiendi hanc potestatem delegatione ipsi facta a *praelatis Pontifice inferioribus*, seu, quod idem est, negant Praelatis hisce facultatem delegandi feminae potestatem huiusmodi.

At non ita consentiunt DD., si quaestio sit, an ista incapacitas sit de iure divino, adeo ut nec Papa ex plenitudine potestatis possit hanc mulieri facultatem facere.

(a) Et certe si potest conferri simplici tonsurato, qui clericus est iure tantum ecclesiastico, volente Summo Pontifice, cur non poterit conferri et laico ab eodem, qui ecclesiasticam institutionem, quae ab ipso tandem pendet, observare non tenetur absolute? Ita cl. Lehmkuhl V. 2. n. 871. — E.

S. Alph. lib. 7. n. 12. post Salmantic. (*de Cens.* c. 1. n. 48.) tenet ut *probabilius, non esse incapaces solo iure humano*, atque adeo nec Papam posse tribuere illis eam potestatem. Quia (inquit) potestas haec data est Apostolis et eorum successoribus, quibus traditae sunt claves Ecclesiae; potestas autem clavium nullo modo feminis competit.

Aliis tamen videtur probabilius, quod femina potestatis istius incapax sit solum iure positivo humano atque adeo quod Pontifex ex plenitudine potestatis posset ei concedere facultatem ferendi censuras. Praeter alios, quos Salmantic. cap. 1. n. 47. memorant, tenet hanc sententiam Sayrus, Suarez, Laymann, Palaus, Pirhing, Croix (apud Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 16.) et Schmalzgrueber. Laymann allegatur pro opposita ab Auctore nostro: sed nihil est, quia allegatur quoad *ordinariam* potestatem.

Rationem afferunt (Schmalzgr. l. c. n. 16.), « quia potestas haec ferendi censuras, etsi spiritualis sit, non tamen est potestas ordinis, sed iurisdictionis tantum et hinc absolute etiam laico conferri potest. Atqui femina non videtur iure divino esse incapax iurisdictionis spiritualis; quia privilegio Pontificis potest conferre beneficia clericis, in ecclesia illos instituere ac tandem praecepta iisdem ponere, ut deciditur cap. *Dilecto* 12. *de Maioritate et obed.* (a). Haec omnia porro sunt munia iurisdictionis spiritualis ».

Licet vero (uti obiiciunt) communicari feminis non possint claves Ecclesiae, prout continent potestatem tum ordinis tum iurisdictionis, imo nec etiam solius iurisdictionis per se et directe, bene tamen indirecte et per accidens in uno aut alio casu, prout potestas ferendi censuras pro uno alterove casu, committi absolute potest etiam laico. Et sicut communicandae huic potestati laico non obest, quod laicus non sit successor Apostolorum, qui claves acceperunt; ita id nec feminae obstare debet.

32. Restat ut de aliis conditionibus loquamur, quae requiruntur ad potestatem ferendi censuras.

Aliqua confusio hoc loco cernitur penes aliqq. DD., dum simul congerunt tum quae idoneum faciunt ad habendam sive ordinariam sive

---

(a) Dilecta filia in Xto Abbatissa de Bubrigensi transmissa nobis petitione monstravit, quod cum ipsa plerumque canonicas suas et CLERICOS SUAE IURISDICTIONI SUBIECTOS, propter inobedientiam et culpas eorum, officio beneficioque suspendat, iidem confisi ex eo, quod eadem Abbatissa excommunicare eos non potest, suspensionem huiusmodi non observant: propter quod eorum excessus remanent incorrecti ». Dein Abbati, cui datae sunt litterae, praecipit, ut per censuras illos ad debitam obedientiam cogat etc. Et sanctus Thom. (in 4. disp. 19. q. 1. art. 1. a. q. 3. ad 4.): « Mulier nec ordinis nec iurisdictionis clavem habet; *committitur autem ei aliquis clavium usus* etc. ». Et Dist. 25. q. 2. art. 1. ad 2.: « Abbatissae non habent Praelationem ordinariam, sed quasi *ex commissione*, propter periculum cohabitationis virorum ».

delegatam potestatem, tum quae requiri solent ad usum vel licitum vel etiam validum eiusdem potestatis. Auctor, ut patet, illud unum notavit quod clarum per se est, ordinariam potestatem nec parochis, nec laicis, nec feminis competere.

Itaque, ut ex ordine agatur, si sermo de eo sit, cui haec potestas delegatur, iure ordinario (sc. abstractione facta a delegatione, quae ex plenitudine potestatis fiat a Summo Pontifice):

1° Masculus sit oportet.

2° Debet habere usum rationis, cum illam accipit; alias nulla erit acceptatio, quae ad accipiendam iurisdictionem ex communi sententia requiritur.

3° Debet esse baptizatus; quia non potest exercere munia Ecclesiae, qui intra illam nondum exsistit.

4° Debet esse insignitus saltem prima tonsura; nam laicus, ut diximus, est incapax huius iurisdictionis, quae proinde delegari ipsi, nisi a Rom. Pontifice, non potest.

5° Non debet esse coniugatus; nam etsi iste, si ordines minores habeat, habitum deferat et alicui ecclesiae deserviat, privilegio fori et canonis gaudeat, incapax tamen est ecclesiasticae iurisdictionis; ut proin ab alio, quam Pontifice de plenitudine potestatis, committi ipsi illa non possit.

Patet ex cap. unic. *de Clericis coniugat.* in 6°, in quo postquam dixit Bonifacius, eos privilegio canonis et fori gaudere, si tonsuram et vestes deferant clericales, subdit: « In ceteris autem vel nisi (ut praemittitur) tonsuram et vestes ferant clericales, etiam in praemissis, *eos gaudere nolumus privilegio clericali* ».

Exceptio tamen hac in re admittitur, si nempe clericus, etsi uxoratus, separatus ab uxore vivat, edito utrinque voto castitatis, ut notat Croix lib. 7. n. 25. (Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 14.).

33. Praecedenti numero notata sunt requisita necessaria, ut quis sit capax accipiendi potestatem ferendi censuras. Modo breviter innuendum quid requiratur 1° ut valide ferri possit censura et 2° ut iuste et licite quis ferat censuras.

Et quoad primum, patet requiri primo potestatem vel ordinariam vel delegatam et quidem opus est, ut tunc vigeat ista potestas, quando censura fertur.

Proinde nulla erit censurae impositio, si tempore, quo censura ligandus est delinquens, tu careas potestate, quomodocumque demum potestas cesset, sive per remotionem ab officio sive alia ratione.

Ita v. gr. cessat potestas iudicis primae instantiae in causa, in qua legitime appellatum est. Quippe causa, in qua appellatio intercessit, ab

iudice (a quo appellatum est) eximitur et ad Superiorem illius devolvitur, adeo ut si ante incursionem censurae appellatur, iudex *a quo* non possit amplius appellantem censura ligare. Ut tamen appellatio ita possit suspendere iurisdictionem praedicti iudicis *a quo*, duo requiruntur: 1° ut sit legitima, seu ex causa rationabili facta: 2° Ut incursionem censurae praecedat; nam censura incursa sola absolutione tolli potest.

Requiritur secundo, ut censuram ferens non modo sit rationis compos (unde lata ab ebrio esset irrita), sed ut voluntarie imponat ac modo humano ac insuper voluntatem hanc suam verbis aut aliis signis indicare debet.

Et ad voluntatem hanc s. Alph. lib. 7. n. 12. resp. IV. revocat, quod debet habere intentionem ligandi eum, contra quem fert censuram. Unde s. Alph. infert 1° quod censura non incurritur, si Praelatus censuram ferat sine animo ligandi: 2° quod censuram non incurrat ille, quem Praelatus *intendit* a generali aliqua sententia eximere: 3ª quod si quis excommunicatur ad instantiam partis, hic solum iuxta intentionem partis manet ligatus.

34. Heic autem fit quaestio, an valida sit censura lata ex gravi metu.

Et communius DD. affirmant. Verum non placet ratio ab ipsis allata (vid. s. Alph. lib. 7. n. 12. in fin. et Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 23.), quia nempe, ut aiunt, « actus metu gravi factus de se est validus, nisi speciali positivo iure irritetur ». Nam hoc principium tam generaliter acceptum et nulla aut actuum aut metus iusti iniustive facta distinctione, a plerisque et merito quidem reiicitur, ut vidimus, ubi de Contractibus. Suarez quoque, qui eandem rationem urgere videtur (*de Censur.* disp. 2. sect. 5. nn. 5. 6.), alibi tenet, promissiones metu iniusto extortas iure naturae esse irritas.

Ut ergo lux accedat quaestioni, adverte imprimis, supponi causam iustam ferendi censuram. Nam si haec causa deficit, censura erit nulla, etsi Praelatus maxime velit eam imponere. Inefficax enim et impotens est voluntas, ubi causa iusta desit (Suar. l. c. n. 8.).

Sed insuper vix cogitari potest vera censura per metum extorta. Nam censura valida esse non potest sine intentione ferentis. Atqui per metum non potest aliquis cogi ad habendam intentionem, quae est actus interior; sed ad summum cogi poterit ad *exterius* censuram proferendam. Ergo aut non affuit intentio et tunc nulla est censura: aut intentio affuit et tunc non est extorta per metum (Suar. l. c. n. 4.).

Neque dicas. Praelatum *cogi* consequenter; quia scilicet non posset honeste et licite actui externo non adiungere internam intentionem, quae esset fictio.

Nam, uti advertit Suarez l. c. n. 5. non omnis fictio est contra honestatem morum, sed illa tantum, quae mendacium includit. Potest autem exterius proferri sententia excommunicationis sine intentione ligandi et absque mendacio, sicut in sententiis comminatoriis; quia iudex non affirmat, se velle ut alter maneat ligatus, sed per modum imperii id profert. Non est autem necesse, ut qui imperat, velit ut imperium habeat effectum.

Praeterea impositio censurae per metum facta, habet facile remedium; siquidem iudex, qui eam tulit, potest velle eam revocare.

Quinimo notat Suarez l. c. n. 6., quod si non detur locus vel postulandi ab ipso iudice, ut eam revocet, vel ipsum adeundi et habendi declarationem non fuisse suae intentionis per talem censuram ligare; probabile est, praesumi in casu posse rationabiliter, talem iudicem non habuisse intentionem ligandi, sed solum exterius sententiam protulisse, nisi nempe alioquin ex verbis eius expressis, quae alium sensum continere sine mendacio nequeant, constet, illum habuisse talem intentionem: quanquam semper securius sit absolutionem a tali censura procurare, aut ab ipsomet iudice intentionem eius agnoscere.

35. Tertio requiritur, ut ferens censuram exsistat intra proprium territorium; nam extra illud exsistens *etiam sibi subditum*, censura ligare non potest.

Ratio, quia extra territorium nemini datur, iurisdictionem contentiosam exercere, ne iudici illius loci iniuriam inferat. Unde in Clementina Unic. *de Foro campetenti:* « Quamvis sacris canonibus sit generaliter interdictum, ne quis Episcopus iurisdictionem in dioecesi exerceat aliena etc. ». Atqui ferre censuras est actus iurisdictionis contentiosae (a); quippe feruntur in invitum et cum cognitione causae. Ergo (b).

Duae tamen exceptiones sunt. 1ª Si notoria sit contumacia ac manifesta, adeo ut ferri excommunicatio sine cognitione causae possit; aut etiam si cognitio causae iam praecesserit in proprio territorio. Hoc ipsum dici de absolutione a censuris potest. Nam Episcopus extra dioe-

---

(a) Hinc patet, haec dici de censura ferenda per sententiam. Non ergo sermo est de censura, quae feratur per modum praecepti aut statuti ad futura crimina praecavenda. S. Alph. lib. 7. n. 21.

(b) D'Annibale l. 72. aliter rem definit: *Contentiosa*, ait, est iurisdictio, quae exercetur inter eos, qui in iudicio contendunt; quae non sic exercetur, est *voluntaria*. Huic accenset irrogationem censurae per modum praecepti, quamvis exerceatur in invitum: atque hanc B. quoque negat spectare ad iurisdictionem contentiosam. Quod ergo feratur vel non feratur in invitum, non est ratio discriminis inter utramque iurisdictionem. Porro voluntariam Episcopus exercere potest etiam extra territorium in suos subditos et regulariter quidem, dum in proprio territorio versantur. D'Annibale l. c. n. 75. — E.

cesim exsistens potest sine strepitu iudicii absolvere; non tamen iudicialiter. S. Alph. lib. 7. n. 21. Cf. infr. n. 204.

2ª Si Episcopus a suis expulsus sit: quia eo casu petita licentia a loci Ordinario, licet non obtenta, poterit in sibi subditos censuras ferre. Id disserte cavet Clementina sup. citata (Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 24.). Imo si accedat consensus Ordinarii localis, poterit causam quoque cognoscere etc., licet non sit expulsus (ex can. *Nullus* 3. cap. 9. q. 2.). Tunc tamen requiritur consensus partium; quia nemo invitus trahi potest extra suum territorium. S. Alph. lib. 7. n. 21.

36. Porro conditiones ad licite ferendas censuras hae sunt. Prima est, ut iuste et licite quis ferat censuras non debet aliqua lege aut superioris praecepto esse interdictus: quae lex vel praeceptum aut circa modum aut circa alias circumstantias quoque versari possunt.

Secunda conditio est, ut iudex iste seu superior non sit censura innodatus, quae ad hoc iurisdictionis exercitium impediendum referri possit, videlicet ne sit vel excommunicatus, vel suspensus ab officio, atque adeo ne sit haereticus vel schismaticus; nam et hi excommunicatione ligantur.

Ratio est tum 1º quia generatim excommunicatus privatus est ab omni ecclesiastica communicatione; quae autem fit per aliquam iurisdictionis spiritualis administrationem, magna communicatio est; tum 2º quia specialis habetur prohibitio facta in iure canonico, eo quod cum excommunicatus sit suo modo ab Ecclesia separatus, indignus est, ut in illa ius dicat aut alium actum similis iurisdictionis exerceat (Suarez *de Cens.* disp. 14. sect. 1. n. 1.). Atque hinc fit, ut haec regula ad omnes actus, qui proprie iurisdictionis sunt, extendatur (ibid. n. 2.).

Addendum heic est, ex antiquo iure non modo illicite, sed etiam invalide censuras tulisse, qui ligatus censura foret, quando *publice* erat excommunicatus aut suspensus, aut *publicus* haereticus seu schismaticus. At in iure novo, post constitutionem: *Ad evitanda* Martini V., qua distinctio fit inter excommunicatos vitandos et non vitandos, extensum est ad excommunicatos non vitandos et haereticos seu schismaticos toleratos, licet publicos, quod prius solum valebat quoad excommunicatos seu haereticos occultos, nempe validos esse, licet illicitos, actus iurisdictionis.

Itaque peccabit semper, qui censura (usum iurisdictionis impediente) ligatus fert censuram; quia Constitutio Martini V. nihil suffragatur ipsis excommunicatis, nec aliquod privilegium ipsis tribuit; sed tamen actus erunt validi, nisi sint nominatim denuntiati aut notorii percussores clericorum et hic postremus casus pertinet ad defectum primae

conditionis pro validitate, quando scilicet potestas ferendi censuras non viget.

Tertio requiritur, ut ad ferendam censuram non ducatur affectu odii aut vindictae. Ita DD. omnes.

Hinc nemo potest censuram *per modum iudicii* ferre in causa propria; quia iudicans in causa propria praesumitur sinistro affectu duci. Dixi *per modum iudicii;* nam per modum iustae defensionis ferri potest censura, ut cum Diana et aliis advertit Croix lib. 7. n. 20.; sicut enim vis vi repelli potest, ita licitum est iniustum invasorem per censuram ab iniuria arcere. Imo si causa est ita manifesta, ut nec negari possit, nec opus sit examinari, in causa propria etiam per modum iudicii ferri censura posset (Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 25.).

Quidam addunt quartam conditionem, quod praecedere debeat *monitio.* Sed de hoc argumento inferius ad resol. 8. dubii IV.

XIII. Resp. 2. In omnes et solos subditos alicui Superiori Ecclesiastico potest ferri censura; quia subiectio et iurisdictio sunt correlativa. Laym. l. c. c. 3.

37. Responsio A. continet principia, quibus omnes quaestiones in Resolutionibus dirimantur.

Aliis verbis dici posset, censuram ferri posse in fideles baptizatos tantum, rationis et doli capaces, viatores, sive demum clerici sint sive laici, modo subiecti sint iurisdictioni ferentis censuram (Schmalzgrueber n. 35.).

Satis sit nunc advertere, censuris iure canonico latis suspensionis et interdicti non teneri, nisi expresse comprehensi fuerint, s. R. E. Cardinales et Episcopos (c. *Quia periculum est, de Sent. Excomm.* in 6°), excommunicatione vere eosdem teneri, si excommunicatio lata sit in clericos. Ferraris v. *Clericus* n. 19., d'Annibale V. 1. n. 325.

Unde resolves.

XIV. 1. Non baptizati non incurrunt censuras, licet sint catechumeni: nec mortui, quia non subsunt iurisdictioni Ecclesiae. Nec refert, quod quandoque mortui dicantur excommunicari; non enim de novo ligantur, sed excommunicatio prior tantum declaratur ac vivis prohibetur, ne cum iis agant, orando pro illis, sepeliendo etc. Similiter dicuntur absolvi ab excommunicatione, quando sepultura et orationes publicae pro illis permittuntur. Laym. loc. cit.

38. Ratio est expressa in Trident. Concil. sess. 14. cap. 2. « Cum Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus ».

Porro mortui nec quoad corpus nec quoad animam possunt excommunicari. Non quoad corpus; quia est quidpiam inanimatum,

subiectionis incapax. Non quoad animam; quia haec est quidpiam spirituale et invisibile atque adeo nequit subiici Ecclesiae visibili.

Praeterea ista anima vel in caelo est, vel in purgatorio, vel in inferno. Si in caelo vel purgatorio, non est in eo statu, quo affici censura possit, utpote grata Deo. Si in inferno, non est corrigibilis.

Consuetudo ergo excommunicandi mortuos non significat excommunicationem, quae tunc feratur, sed qua declarantur excommunicati, ad terrorem fidelibus incutiendum, ne cum mortuis sepultura vel precibus publicis communicent, quibus viventibus communicare non potuissent.

Absolutio vero, quae impertitur excommunicatis, qui cum signis poenitentiae decesserint, directe non ad ipsos, sed ad vivos porrigitur; quatenus isti solvuntur obligatione, qua secus tenerentur, ne cadaver defuncti in excommunicatione sepelirent in loco sacro. Schmalzgr. l. 6. tit. 39. n. 39.

S. Alph. lib. 7. n. 13. addit heic, requiri ut sit *homo*, quia bruta *improprie* dicuntur anathematizari. Hoc monere DD. heic solent, quia consuevit Ecclesia irrationales creaturas, quae fidelibus nocerent, anathematizare. At istud anathema non punitionem, quae culpam supponat, sed exsecrationem quandam dumtaxat seu detestationem spectat. Schmalzgr. l. c. n. 37. vid. et Suarez *de Cens.* disp. 5. sect. 1. n. 23. et cf. Tr. VI. sect. 2. n. 117.

Quod debeat quis esse doli capax, infra agetur ad resol. 1. dub. 4.

XV. 2. Advenae et peregrini brevi tempore alicubi commorantes non ligantur censuris locorum, generali sententia aut statuto decretis; quia non sunt subditi. Laym. l. c. n. 5.

39. Auctor negat solummodo, incurri ab advenis censuras latas generali sententia vel statuto, scil. ad crimina praecavenda latas. De qua re modo; nam de censuris per sententiam ferendis, paulo post. Quaeritur an doctrina Auctoris vera sit.

Quaestionis sic propositae solutio pendet a solutione alterius quaestionis: an advenae seu peregrini teneantur specialibus legibus seu statutis (quae afficiunt territorium) loci, in quo nunc versantur brevi tempore, quod scil. non sufficit ut contrahant ibi domicilium vel quasi domicilium.

Porro, ut vidimus in Tract. III. *de Legibus* Vol. l. 361. seqq., DD. non conveniunt; licet communior sententia sit, advenas non obligari hisce particularibus statutis. Auctor autem (*de Legib.* cap. 2. dub. 3.) communiorem hanc sententiam tenuerat. Consequenter negat modo, censuras per modum generalis statuti lege illius loci speciali impositas ab advenis incurri.

Ergo sive agatur de censura (speciali illius loci statuto) lata in delinquentes contra ius ecclesiasticum commune, v. gr. de observatione Festorum, vel ieiunii quadragesimalis (a), sive de censura in delinquentes contra legem non quidem communem, sed loci illius propriam, in neutro casu censura incurretur ab advenis. Non in primo, quia lex illa poenalis advenam non attinget, licet praevaricantem ; neque a fortiori in secundo casu, quia deerit etiam praevaricatio: quippe si lege non tenetur, nec aderit praevaricatio (b).

S. Alphonsus, qui (lib. 1. n. 156.) itidem docuerat, peregrinos *probabilius* non teneri legibus particularibus locorum, in quibus morantur, consequenter et ipse (lib. 7. n. 27.) dicit, sibi *probabilius* esse, alienigenas censuris per modum statuti generalis latis non ligari, v. gr. contra furantes in ecclesia.

Subdit ibid. s. Alph., nihilominus sibi improbabilem sententiam non videri, quod peregrini ligentur censuris huiusmodi, ob probabilitatem nempe generalioris doctrinae, quod iidem peregrini peculiaribus locorum legibus obligentur, quam probabilitatem meminerat et lib. 1. n. 156. dub. 2., tum etiam lib. 3. n. 332. §. *An autem*, ubi de audienda Missa. Verum hae probabilitates sunt inutiles. Nam obligatio ita incerta, ut contra se habeat probabiliorem non obligationem, nemini potest imponi. Sed vinculum, quod imponi non potest, non est practice obligatio. Ergo neque reus haberi potest is, qui eam violet. Ergo poenae certae subiici non potest; ergo nec censeri ligatus censuris. Ergo ad nihil ista deservit probabilitas iniusteque ageret, qui contra quempiam veluti excommunicatum ageret, v. gr. negando sacramenta etc.

40. S. Alph. lib. 7. n. 27. dicit, se tenere negativam praedictam doctrinam cum Salmanticensibus *de Censur.* cap. 1. n. 116., atque adeo cum Suarez aliisque.

Heic habemus sphalma Salmanticensium, qui praeterquam quod plures eodem loco congerunt quaestiones seiunctim tractandas, allegant

---

(a) Exinde Benedictus XIV. (Const. *Gravissimo* 31. Octobr. 1749.) postquam praemisit (§. 3.) ex Iure Can., et Synodo Trid. sanciri: « Monasteria adire monialesque invisere sine Custodis (scil. Ordinarii) iussu licere nemini, ac propterea debere OMNES huiusce rei veniam ab Episcopo impetrare, omnes demum subesse *directivae* interdicti (prohibitionis nempe profectae a praedicto iure communi) auctoritati: subdit (§. 5.): « Cum vero iidem (idest Episcopi exteri et Gubernatores aut delegati) ordinariae Episcoporum iurisdictioni minime subsint; ideo sunt immunes a vi coactiva, idest a poenis contra transgressores statutis, uti ex Responso patet Clementis III., Praedecessoris nostri in cap. *A nobis 21. de Sent. Excommunicationis* ». Attamen paulo post supponit, per transgressores illos infringi Synodorum sanctiones atque Episcoporum edicta, et ut ibi vertitur, *contro lo stabilito de' sinodi Episcopali o nelle episcopali costituzioni o bandi.*

(b) Sicuti tamen exceptio quaedam fit et DD. unanimiter docent quasdam esse leges locorum ad quas servandas etiam peregrini tenentur (saltem ex pacto tacito, ut diximus Tr. *de Leg.* 1. c.), ita quaeri potest, an in iis casibus obstringi censuris peregrinus possit.

Suarez *de Relig.* t. 2. l. 2. c. 14. n. 8., qui quoad quaestionem praesentem oppositum tenet, sicut generatim tenet, peregrinos (nisi per *merum transitum* brevem alicubi sint) particularibus loci legibus obligari.

Neque decipiat quempiam, quod Suarez *de Cens.* disp. 5. sect. 4. n. 1. ad sufficientem subiectionis titulum exigat, ut quis *habeat domicilium* in dioecesi ferentis censuram. Nam ibi agit de censura lata ab homine per sententiam particularem in singularem personam. Quoad censuras vero latas per statutum (ibid. sect. 5. n. 14.) manifeste et expresse docet, eas etiam ab advenis incurri. Et rationem reddit, quod hi legibus loci teneantur; ideoque poenas violatoribus inflictas incurrant.

41. Alia est ratio *censurarum ab homine, seu per sententiam.* Communis doctrina est, quam habet s. Alphonsus lib. 7. n. 26., Episcopum posse censuris ligare alienum subditum in sua Dioecesi delinquentem. Quod quidem probant ex generali principio, quemque delinquentem sortiri forum illius loci, in quo delinquit, uti edicitur in cap. fin. *de Foro competenti.*

Quae tamen doctrina limitatur alia doctrina, quam idem s. Alph. lib. 7. n. 27. sic effert: « Si censura lata sit per modum praecepti particularis seu *sententiae in casu particulari*, v. gr. si lata sit excommunicatio contra non revelantes furem, haec non ligat alienigenas; quia praeceptum particulare non potest non subditos adstringere ».

Et his quidem affirmationibus tota doctrina de hac re absolvitur. Nonnihil tamen obscurum relinquit. Nam arguere quispiam sic posset: Advena non tenetur servare *statuta* particularia loci, nec rursus tenetur servare *praecepta* Praelati localis. Atqui praeter *leges et praecepta* nihil superest, in quo possit delinquere. Ergo nunquam accidet, ut ratione delicti possit ibi sortiri forum et censuris ligari.

Resp. s. Alph. reipsa non adnotasse, quando contingat, ut quis ita delinquat in Dioecesi aliena, ut forum ad praesentem effectum incurrendi censuras sortiatur. Et idcirco obscura evadunt ea s. Doctoris loca. Alii vero sunt, uti Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. nn. 47. 48., qui huius omissionis incommodum alio cumulant, inducentes oppositionem inter Doctores, qui reipsa inter se non pugnant. Ita Schmalzgrueber l. c. inducit Lugo dissentientem a Croix, quando Lugo agit de alio (sc. agit de casu indicato secundo loco), ac agat Croix (qui loquitur de casu indicato ab initio huius num. priore quidem loco) et ipse Croix lib. 4. n. 32. male velut sibi oppositum exhibet Lugo, qui de alio tamen casu, ac ipse, disputat et imo de casu agitato a Croix, Lugo expresse consentit.

42. Lugo igitur (*Resp. Moral.* lib. 6. dub. 22.) quaestionem facit, « An peregrinus incurrat excommunicationem latam ab Episcopo illius loci ob furtum ibi commissum ». Agit igitur de censura lata ex

praecepto particulari et similis casus est casui proposito a s. Alph. sup. n. 41. secundo loco.

Respondet igitur negative (ib. n. 3.) et rationem reddit cum Suarez *de Censuris* disp. 5. sect. 5. a n. 7., quod haec sit differentia inter statuta et praecepta seu sententiam, quod statuta respiciunt territorium, sententia vero respiciat personas subditas, ubicunque sint. Sententia igitur excommunicationis non potest obligare quempiam, nisi prius subditus hic sit proferentis sententiam; nam sententia non facit hominem sibi subditum, sed debet illum invenire subditum, ut legitime proferatur. Porro peregrinus ille ante sententiam non erat subditus huius Episcopi. Ergo.

Neque dicas, peregrinum in casu fieri subditum ratione delicti atque adeo puniri ab Episcopo loci posse.

Reponit Lugo l. c. n. 5. haec in casu locum non habere, ut docet et Suarez l. c. Ratio, quia delictum, ob quod fertur excommunicatio, debet continere inobedientiam et contumaciam subditi non obedientis Episcopo. Ad hanc inobedientiam et contumaciam necessario supponitur, quod potuerit Episcopus illi praecipere restitutionem. Atqui nos supponimus, Episcopum non posse *per sententiam* seu *per praeceptum* praecipere quidpiam subdito alterius dioecesis ob defectum subiectionis requisitae. Ergo non adest delictum inobedientiae et contumaciae, quod immediate puniatur per excommunicationem.

Neque addas, furtum esse delictum contra legem naturae.

Respondet quippe Lugo ibid., per hoc non violari legem ullam ipsius Episcopi. Quare de peccato illo poterit cognoscere Episcopus in ordine solum ad salutem animarum suorum subditorum, quorum spiritualem curam habet ex officio; non tamen potest illos punire poena excommunicationis, nisi subsequatur inobedientia ad praeceptum illis impositum restituendi. Porro hoc praeceptum peregrino imponere non potest, qui ipsius Episcopi praeceptis aut sententia speciali vel generali non obligatur *nisi praecesserit aliud delictum pertinens ad forum Episcopi*, ratione cuius factus sit illi subditus. Ergo nullus est titulus cur peregrinus excommunicari possit.

43. Quaeres ergo, quando praecedat delictum illud pertinens ad forum Episcopi, ob quod ligari censuris peregrinus possit.

Respondet Lugo ibid. n. 6., id contingere, « si delictum commissum a peregrino, esset prohibitum lege ecclesiastica de iure communi canonico, vel lege pontificia sub excommunicatione aut aliis poenis ab iudice ecclesiastico infligendis. Tunc enim peregrinus ratione delicti ibi commissi sortiretur forum Episcopi illius loci, in quo deliquit, et ab eo puniri posset; quia tunc iam praecederet vere delictum lege

ecclesiastica prohibitum et ratione illius fieret subditus iudicis ecclesiastici illius territorii, in quo deliquit. Quod quidem concedi debet tam in opinione eorum, qui negant, peregrinos obligari legibus propriis loci illius, quam in opinione eorum, qui id concedunt. Nam utrique fatentur, peregrinos obligari legibus iuris communis, atque adeo delinquere illas violando. Quare ratione delicti debent pertinere ad forum iudicis illius loci. Idque videmus observari in praxi, ut peregrini delinquentes in causis fidei iudicentur et puniantur ab Episcopo illius loci, in quo delictum committunt et non remittuntur ad Episcopum domicilii ». Hucusque Lugo.

Et hic quidem est casus, in quo valet doctrina supra (n. 41. priore loco) allata s. Alphonsi, quod Episcopus nempe potest censuris ligare alienum subditum in propria dioecesi delinquentem, delinquentem nempe contra ius commune.

Et huc demum recidit doctrina Croix lib. 7. n. 32.; nam licet non bene prius traducat Lugo veluti aliter sentientem, concludit tamen hisce verbis: « Quod intellige, si delictum sit contra legem communem Ecclesiae; quia specialibus praeceptis talis Episcopi non tenentur peregrini, ut notant Laymann et Krimer etc. ».

Atqui hoc ipsissimum est, quod Lugo docebat, ut mox iam vidimus. Vane ergo Lugo uti sibi oppositus exhibebatur (sup. n. 41.).

44. Praeterea Croix nimis vage proponit casum, quo Episcopus ligare extraneum possit censuris.

Et sane fieri posset, ut violationi legis Ecclesiae de iure communi per statutum cuiuspiam Dioecesis infligeretur aliqua censura, v. gr. violationi diei festi. Porro nisi supponas cum sententia, quam non admisimus (sup. n. 39.), peregrinos obligari legibus specialibus locorum, non dices, hunc advenam censuras incurrere. Ratio est, quia per illud delictum advena non est contumax et inobediens contra statutum illud Episcopi, cui censura est adnexa. Nemo enim contumax et inobediens dicitur respectu legis, quam servare non tenetur. Atqui, (ut diximus), advena probabilius non tenetur servare specialia locorum statuta. Ergo.

Neque valet dicere cum Gibalino (qui hac in re minus sibi cohaeret; quippe qui *de Cens.* disp. 4. quaest. 3. n. 11. tenet, advenas non ligari censuris sive per modum sententiae sive per modum statuti latis), quod advena fit subditus ratione delicti (ibid. nn. 12.-13.).

Nam, ut egregie ratiocinatur Suarez *de Cens.* disp. 6. sect. 5. n. 13. ratione delicti non potest fieri subditus primo et immediate in ordine ad vim directivam illius statuti, contra quod contingit delictum, ut tale est. Quia delictum non habetur, nisi praesupponatur advena iam subiectus quoad vim directivam, ante quam contra eam delinquat.

Subiectio ergo ad quempiam legem non potest oriri ex delicto contra legem eandem, sed praesupponi debet. Haec autem in casu deest ex hypothesi.

45. Est tamen alius casus, quo peregrinus feriri censura potest in aliena dioecesi; quem tamen Lugo non attigit, quia non spectabat ad quaestionem ab ipso propositam.

Casus est, quando aliquis delinquit in aliena dioecesi contra ius commune et ratione delicti sortitur ibi forum et non quidem quia eodem iure communi poena censurae tali delicto est imposita (quem casum sup. n. 43. Lugo tetigit), sed quia reus contumax sit contra ea, quae iudex iuste ab ipso exigere potest.

Etenim, uti ex omnium sententia, inquit Suarez *de Censur.* disp. 5. sect. 5. n. 12.: « Si extraneus in alieno territorio delictum committat, per illud fit ita subditus, ut contra illum ibi procedi possit, ubi deliquit (ib. n. 13.), fit subditus nempe in ordine ad vim coercitivam seu punitivam et ideo dicitur fieri subditus; quia iuste ibi puniri potest, ubi deliquit: *consequenter vero obligari poterit secundum vim directivam ad ea omnia, ad quae iustus iudex potest obligare reum,* non vero ad alia, praecise ex vi illius subiectionis ». Et si pertinax et contumax sit contra eiusmodi iustum iudicis scil. Episcopi mandatum, cogi etiam poterit per censuras.

Ut exemplo res declaretur, suppone advenam, qui stuprum virgini intulerit in aliena dioecesi, in qua hoc crimen etiam puniatur excommunicatione ipso facto incurrenda, ex speciali loci illius statuto.

Ex dictis sup. n. 44. iste non incurret quidem excommunicationem; quippe qui dum delinquit, non potest dici contumax contra speciale loci illius statutum, cui nempe non subiicitur.

Attamen cum crimen eiusmodi lege ecclesiastica puniatur, atque adeo reus contra legem quoque ecclesiasticam deliquerit, Episcopus potest contra eum procedere, utpote contra iam subditum effectum ratione delicti. Cum vero in iure Canonico cautum sit (cap. *Si seduxerit* 1. *de adulteriis et stupro*): « Si seduxerit quis virginem nondum desponsatam dormieritque cum ea, dotabit eam et (DD. intelligunt disiunctive *aut*) habebit uxorem. Si vero pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt »: Episcopus sane potest iuste reum citare et convictum damnare poenis praedictis. Haec autem cum iuste possit praecipere etiam advenae, qui in ea re factus est subditus ratione delicti, iam patet, quomodo Episcopus ad comparendum coram se, seu obediendum citationi, vel ad dotem solvendam aut puellam in matrimonium ducendam etiam censuris compellere possit.

46. S. Alph. lib. 7. n. 26. quoad potestatem Episcopi circa ligandos censuris advenas, excipit, 1° si delinquens esset Superior Episcopo, scil. ipsius Episcopi Metropolitanus aut Patriarcha. Secus, si Archiepiscopus quidem esset aut Patriarcha, sed non respectu illius Episcopi. Nam licet par non habeat iurisdictionem in parem, ratione tamen delicti ille fieret subditus. Imo addit s. Alph., hac de causa posse Episcopum censuris ligare etiam suum Metropolitanum, qui in Dioecesi Episcopi delinquat.

Ut rite haec intelligantur, adverte commune principium, quod *aequalis non potest excommunicare sibi aequalem aut superiorem*. Ratio, quia haec potestas solum in subditos valide exerceri potest.

Quod intellige de censuris potestate sibi propria ferendis. Namque ex commissione superioris seu altioris potestatis, inferior poterit utique censuras ferre in aequalem aut superiorem sibi, si uterque altiori illi potestati subdantur. Ita presbyter ex commissione Pontificis poterit excommunicare Episcopum vel suum vel sibi alienum (Salm. *de Cens.* cap. 1. n. 39.).

Verum aequalitas illa vel superioritas duplex distingui debet; 1° vel tantum in gradu et dignitate, vel 2° in iurisdictione *circa eosdem subditos*.

Quando igitur sermo sit de aequali vel superiore tantum ratione dignitatis et gradus, non autem ratione iurisdictionis circa idem territorium eosdemque subditos, nihil repugnabit, aliquem aequalem vel superiorem, qui in aliena dioecesi et iurisdictione delinquat, subditum fieri alterius aequalis aut inferioris dignitate. Ita Archiepiscopus v. gr. mediolanensis aut Patriarcha Olyssiponensis si delinquerent Tibure, subditi fieri possent episcopi Tiburtini ratione delicti et censuris plecti, prouti supra de advenis notatum est.

Non item iudicari debet, quando delinquat ille, qui par est iurisdictione in eodem territorio, uti v. gr. si forent duo Vicarii eiusdem Episcopi, aut si in eodem territorio superior sit, qui delinquit, cuiusmodi est Metropolites relate ad suum suffraganeum, in cuius Dioecesim Archiepiscopus aut Patriarcha aliquam iurisdictionem habet. Tunc enim superior ligari censuris ab inferiore non posset, nisi ille superior peccaverit intra Dioecesim alterius contra legem ab alio quopiam utriusque superiore sancitam et in illius inferioris iurisdictione promulgatam; v. gr. si leges circa administrationem alicuius orphanotrophii vel nosocomii aut Universitatis ita a Pontifice sancirentur, ut ad Episcopum spectaret coercere perturbatores etiam per censuras (Gibalin. *de Cens.* disp. 4. q. 1. n. 4.).

Doctrina igitur s. Alphonsi, quae ex Croix lib. 7. n. 32. desumpta est, his limitibus est coarctanda ; nec ita generalibus verbis efferri debet, posse Archiepiscopum suo suffraganeo fieri subditum ratione delicti etc. Et rursus falsa item habenda est doctrina Salmanticensium qui (*de Cens.* cap. 1. n. 37. penes s. Alph. l. c.) negant, unquam posse Metropolitam a suffraganeo suo censuris ligari, quod tamen limitant (n. 39.), scil. *auctoritate sibi propria.*

47. Insuper s. Alph. lib. 7. n. 26. scribebat de ea re: « Sentit Croix lib. 7. n. 32. (contra Salmanticenses cap. 1. n. 37.) cum Pignatelli et Gibalino afferente declarationem s. Congr. quod Episcopus etiam Archiepiscopum suum in dioecesi suffraganei delinquentem possit excommunicare ».

At 1° heic habes ex inadvertentia s. Doctoris declarationem illam tributam Gibalino; quod verum non est, neque id dicit Croix; nam eam affert Pignatelli et Pignatellio eam tribuit Croix.

2° Pignatelli praeterea (*Cansult.* 1. tom. 1. *consult.* 170. n. 8.) nullatenus loquitur (contra ac insinuat Croix, transscriptus dein a s. Alph.) de casu Archiepiscopi excommunicandi a suo suffraganeo, sed mere dicit: « Ita etiam Episcopus offendens iurisdictionem alterius Episcopi in illius Dioecesi, efficitur subiectus, adeo ut ad censuras contra illum procedi possit, ut post Alterium... censuit s. Congr. Conc. in una Barensi die 27. Febr. 1627. ». Quinimo haec subiectio *ratione delicti* potius pertinet ad casum, in quo agitur de aequali aut superiore tantum quoad dignitatem, non vero de metropolita relate ad suum suffraganeum. Unde declaratio ibi allata non videtur ad rem facere.

48. Altera exceptio est, si peregrinus reus (inquit s. Alph. eod. n. 26.) antequam eius causa cognoscatur ab Ordinario loci, ab illius territorio exeat... Secus, si antequam discedat, praeveniatur citatione; tunc enim ratione iudicii inchoati subiectus remanet Episcopo loci ».

Tertia exceptio tangit Regulares. Quandoquidem s. Alph. eodem loco subnectit mentionem huius rei, etiam nos hoc argumentum heic tangemus, nec est omnino abs re; quippe cum Regulares sint exempti ab iurisdictione Episcopi, quidquam commune habent cum peregrinis, nempe *quod non sint subditi.*

S. Alph. itaque lib. 7. n. 26. mox subiicit: « Regulares autem sunt simpliciter exempti ab iurisdictione episcopali ex cap. *Ne aliqui* 5. *de Privileg.* in 6°. Et in Religiosos exemptos sive privilegiatos, ut mendicantes et Iesuitas (vid. infr. sub dub. 9.) nequit Episcopus ferre censuras, etiamsi procedat tanquam delegatus Apostolicus, ut Croix lib. 7. n. 30. cum Pellizar. et aliis ».

Ita s. Alphonsus. Sed ut plena esset sententia Claudii La-Croix,

quam s. Doctor referre voluit, dicendum fuerat, non posse Episcopos censuras ferre in religiosos exemptos sive privilegiatos, « *nisi id in specie concessum illis sit* » : quae verba idcirco sunt subintelligenda.

49. Sed ut rite haec intelligantur, distinguendi apprime sunt Regulares seu Religiosi *exempti* a *non exemptis*.

Definiri in rem nostram solet *exemptio*, ut sit *liberatio ab iurisdictione Ordinarii* seu « est *privilegium*, quo persona vel locus ab Episcopi vel alterius Superioris, ordinariam iurisdictionem habentis, potestate subtrahitur et immediate subiicitur Romano Pontifici » (Schmalz. lib. 5. tit. 33. n. 246.).

Exemptio alia *personalis* dicitur, quae adhaeret personae eamque sequitur, quocumque veniat.

Alia *localis*, qua locus, v. gr. ecclesia, cappella, monasterium, territorium subtrahitur iurisdictioni Ordinarii, ita ut licet in dioecesi sit, non tamen sit de illius dioecesi, sed loco extra eam sito aequiparetur.

Alia *mixta*, qua personae simul et loca eorumque res ab Ordinarii potestate eximuntur, adeo ut iste neque in locum neque in personas illius exercere iurisdictionem suam vel tribunal ibi erigere pro iurisdictione in alios exercenda sine proprii praelati licentia possit (Schmalzgr. ibid. n. 247.).

Et quidem duplex genus est huius exemptionis. Nam aliqui dicuntur *nullius dioecesis*, qui habent speciale territorium et populum exemptum ubi iurisdictionem quasi episcopalem exercent ac *Ordinarii* nomine veniunt, quamvis ipsi Episcopi non sint, sed tantum Praelati vel Praepositi, aut huiusmodi. Alii vero dicuntur esse *in dioecesi*, non tamen *de dioecesi;* qui quidem quoad suas personas vel particularem aliquem locum, v. gr. monasterium, exempti sunt, certum autem populum aut territorium exemptum non habent, sed intra certae dioeceseos sive episcopatus fines exsistunt (Schmalzgr. ibid. n. 248.).

Quoad exemptionem *personalem* notant DD. (vid. Sanchez *Consil.* lib. 6. cap. 10. dub. 1. n. 4.) eam tribuendam per formulas hasce: *Immediate nobis subiicimus* - vel - *eximimus ab iurisdictione Ordinariorum* - vel - *recipimus illos in proprios subiectos.*

Secus vero si dicatur tantum: *Recipimus sub nostra et Sedis Apostolicae protectione* - vel - *Recipimus illos in proprios filios.*

Quoad *localem* vero censentur idoneae formulae istae: *ecclesiam iuris b. Petri exsistere* - vel - *ad ius et proprietatem Romanae Ecclesiae pertinere* - vel - *ad romanam Ecclesiam specialiter aut sine medio et simpliciter pertinere* - vel - *quod ecclesia sit libera aut romanae Ecclesiae libertate fruatur* - vel - *quod Episcopus non audeat cathedram ibi collocare aut imperium vel potestatem exercere* - vel - *quod eam R. P. eximit.* - aut *sit libera a potestate Episcopi.*

50. Quaeritur quae sit potestas Episcopi in non exemptos. Breviter haec quaestio solvitur. Nam si sint religiosi, quorum praelatus proprius sit Episcopus, cui idcirco emittunt obedientiae votum, uti sunt aliquae moniales Episcopo subiectae, vel quaedam virorum quoque congregationes praesertim in Gallia; hi tenentur obedire ex voto obedientiae Episcopo, imo Episcopo potius quam abbatissae seu domestico Superiori; quia Episcopus est eorum Praelatus instar Praelatorum regularium (Sanchez *in Dec.* lib. 6. cap. 1. n. 11.).

Si vero non habeant Episcopum ceu Praelatum, cui spondeant obedientiam; tunc non tenentur vi voti obedire Episcopo et quoad observantiam Regularem non ipsi Episcopo, sed Abbati seu proprio Superiori seu Praelato subsunt. Subiiciuntur tamen Episcopo non secus ac clerici ac personae ecclesiasticae quoad disciplinam ecclesiasticam et Episcopi iurisdictioni subsunt non solum quoad alios iurisdictionis actus, sed etiam quoad disciplinam regularem, si in hac Praelatus Regularis sit negligens (Schmalzgr. in lib. 3. tit. 35. nn. 61. 62.).

Quod attinet vero ad censuras, nulla adest difficultas. Nam censuris uti poterit Episcopus cum posterioribus quidem eodem modo, ac cum clericis; cum prioribus vero etiam sicut solet cum suis subditis Praelatus Regularis.

51. Nunc de potestate Episcopi in exemptos.

Plura omnino sunt, in quibus Regulares etiam exempti iurisdictioni Episcopi subsunt. Et Barbosa quidem enumerat 52. casus (*de Offic. et Potest. Episc.* part. 3. alleg. 105. a n. 14.); Chockier vero (*de Iurisd. Ordinar. in Exemptos* part. 2. q. 45.) enumerat omnino centum et sexdecim.

Praecipuos heic referemus cum Schmalzgr. lib. 1. tit. 31. n. 30. et lib. 5. tit. 33. nn. 253. 254.

Casus igitur, in quibus Episcopo tanquam *Ordinario* subesse regulares censet, sunt (lib. 5. tit. 33. n. 253.):

1° In omnibus, quae *sunt Ordinis Episcopalis*, cuiusmodi sunt petitio chrismatis, consecratio Ecclesiarum, susceptio Ordinum.

Excipe tamen, quoad hoc postremum, nisi Regulares privilegium habeant, ut ubicumque et a quocumque Episcopo ordinari possint.

2° In observatione festorum, quae ab Episcopo indicuntur in dioecesi sua servanda, ut habetur in Trid. Syn. sess. 25. cap. 12. *de Regular.*

3° In observatione censurarum ab Episcopo promulgatarum, v. gr. in servando interdicto, et non communicando cum excommunicatis ab Episcopo, et non permittenda v. gr. Missae celebratione illi, qui suspensus ab Episcopo fuerit (Concil. Trid. l. c.).

Adde, quod tenentur, si Episcopus velit, censuras, ab ipso inflictas, in ecclesiis suis publicare (Concil. Trid. l. c.).

4° In censura librorum atque adeo nullus exemptus absque examine et approbatione Ordinarii potest libros de rebus sacris tractantes imprimere aut imprimendos curare (Concil. Trid. sess. 4. Decret. *de edit. et usu sacr. libr.*). Et cf. infra, ubi singillatim censuras expendemus Const. *Apostolicae Sedis*, inter quas et haec Tridentina occurrit.

5° Si ab Episcopo Regulares ad publicas processiones vocentur, debent in iis comparere, iis tantum exceptis, qui vel speciale privilegium habent, vel in strictiore clausura perpetuo vivunt (Syn. Trid. sess. 25. cap. 13. *de Regular.*).

Controversias praeterea, quae in processionibus, aut in funerum deductionibus interdum oriuntur, Episcopi iudicio decidendas debent relinquere (Syn. Trid. l. c.).

6° In approbatione ad audiendas secularium confessiones. Cadunt enim Regulares sub eam legem Tridentinam (sess. 23. cap. 15. *de Reform.*), quod nullus regularis etiam exemptus possit confessiones secularium (seu fidelium seu sacerdotum) audire, nisi parochiale beneficium habeat, vel ab Episcopo sit approbatus.

7° In erectione monasteriorum ecclesiarumque etc. Sancivit enim Synodus Tridentina (sess. 25. cap. 3. *de Regular.*), ut Religiosi non possint erigere nova monasteria, nisi prius obtenta licentia Episcopi, in cuius dioecesi sunt erigenda.

8° In promulgatione indulgentiarum, quas Regulares a Papa impetraverint. Quippe sine licentia Episcopi promulgare eas non possunt, ut sanxit Synod. Trident. (sess. 21. cap. 9. *de Reformat.* §. *Indulgentias vero* etc.).

9° Quoad praedicationem verbi divini in ecclesiis, quae non sunt proprii Ordinis. Licet enim in sui Ordinis ecclesia sufficiat licentia et adprobatio Praelati Regularis, at in aliis ex Synod. Trid. (sess. 5. cap. 2. *de Reform.*) regulares etiam licentiam Episcopi debent habere.

10° Quoad exsecutionem ultimarum voluntatum. Si enim Regulares, etiam exempti, sint exsecutores testamentorum, potest eos Episcopus compellere ad rationes sibi reddendas, et punire si male rem gesserint (Clement. unic. *de Testam.*).

52. Casus vero, in quibus censet Schmalzgr. lib. 5. tit. 33. n. 254. exemptos Regulares subesse Episcopo tanquam delegato Sedis Apostolicae, sunt sequentes:

1° Quoad lectionem s. Scripturae in monasteriis habendam: potest nempe Episcopus Regulares cogere, ut lectionem s. Scripturae in monasteriis et conventibus suis habeant, si commode fieri possit, ita Trid.

Syn. (sess. 5. cap. 1. *de Reform.*): « In monasteriis quoque monachorum, ubi commode fieri queat, etiam lectio sacrae Scripturae (praeter scil. lectiones aliarum ss. Disciplinarum) habeatur: qua in re si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum in hoc, ut Sedis Apostolicae delegati, eos ad id opportunis mediis compellant ».

2° Quoad clausuram monialium. Nam Episcopi etiam exemptas moniales possunt cogere ad clausuram servandam (Synod. Trid. sess. 25. cap. 5. *de Regular.*).

3° Insuper Episcopi monasteria monialium, quae immediate sunt subiecta Sedi Apostolicae, in spiritualibus gubernandi potestatem habent ex Synodo Trid. (sess. 25. cap. 9. *de Regul.*), ceu delegati Sedis Apostolicae.

4° Quoad electionem Abbatissae etc. Nam Gregorius XV. in Const. *Inscrutabili* an. 1623. concessit Episcopis facultatem in Confessarios et Administratores bonorum monasteriorum monialium et insuper statuit, ut Episcopus cum Praelatis seu Superioribus Regularibus electioni Abbatissae seu Praepositae per se vel per alium praesidere possit.

5° In causis haereseos aliisque spectantibus ad Officium s. Inquisitionis. Ubi enim Inquisitores non sunt, huiusmodi causae ad Episcopum spectant (ex cap. *Ad abolendam* 9. *de Haeretic.*).

6° Si religiosi exempti extra monasterium et conventum regularem degant et vagentur. Hi enim ab Ordinario loci, saltem tanquam Sedis Apostolicae delegato, visitari corrigi et puniri possunt, ut sanxit Syn. Trid. (sess. 6. cap. 3. *de Reform.*).

Huc spectant illa eiusdem Synod. Tridentinae (sess. 7. cap. 14. *de Reform.*): « *In civilibus causis mercedum et miserabilium personarum...* Regulares extra monasterium degentes, quomodolibet exempti, etiamsi certum iudicem a Sede Apostolica deputatum in partibus habeant; in aliis vero si ipsum iudicem non habuerint, coram locorum Ordinariis, tanquam in hoc ab ipsa Sede delegatis, conveniri et iure medio ad solvendum debitum cogi et compelli possint ».

Huc revocatur, quod communiter tradunt DD., posse Episcopum punire monachum, licet exemptum, qui extra monasterium incedat sine habitu (vid. Schmalzgr. in lib. 1. tit. 31. n. 30. 13.).

Item ceu desertor Instituti puniri potest ab Ordinario Religiosus, qui sine licentia sui Superioris a Conventu recedat, etiam sub praetextu accedendi ad Superiores suos. Ita Trident. Synod. (sess. 25. cap. 4. *de Regul.*).

Item illi Religiosi, qui studiorum causa ad Universitates mittuntur, in conventibus tantum habitare debent; alioquin ab Ordinariis contra eos procedi potest. Ita Trid. (sess. 25. cap. 4. *de Regular.*).

Etiamsi Regularis in suo monasterio degat, tamen si delictum ab eo extra monasterium notorie commissum Praelatus eius ab Episcopo monitus punire negligat, huius negligentiam potest Episcopus supplere (Trid. sess. 25. cap. 14. *de Regular.*).

Et si fugae sit periculum, potest Episcopus Regularem capere et ad competentem iudicem remittere (Schmalzgr. lib. 1. tit. 31. n. 30. 29.).

53. Requiritur praeterea Episcopi licentia, ut valida sit renuntiatio, quam ultimo tantum novitiatus bimestri facere Synodus Trid. novitiis permittit. Ita Synod. (sess. 25. cap. 16. *de Regular.*): « Nulla renuntiatio aut obligatio antea facta, etiam cum iuramento vel in favorem cuiuscumque causae piae, valeat, nisi cum licentia Episcopi sive eius vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter vero facta, etiamsi cum huius favoris expressa renuntiatione etiam iurata, sit irrita et nullius effectus ».

Insuper si quid collatum monasterio fuerit ante professionem, s. Synodus (ibid.) « praecipit... sub anathematis poena dantibus et recipientibus, ne hoc (scil. tributio bonorum) ullo modo fiat et ut abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quae sua erant, quod ut recte fiat, *Episcopus etiam per censuras ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat* ».

Denique ut alia omittamus, advertendum, quod monasteria et loca Regularia, in quibus duodecim religiosi sustentari et inhabitare non poterunt et actu non inhabitaverint, Ordinarii loci visitationi et omnimodae iurisdictioni subiecta sunt, ut constat ex Decretis s. Congr. a Pontif. confirmatis.

Praeter sup. n. 51. allegatos videri poterit Fagnanus (in cap. *Grave de Offic. Ordinarii* a n. 37.), qui et ipse recenset alia plura, in quibus Episcopi iurisdictioni exempti Regulares subduntur. Item vid. Ferraris V. *Regularis* artic. 2., ubi late haec materia pertractatur et uberius quam apud alios.

54. Cum proprium sit potestatis in foro exteriori, ut ordinetur ad coercendum subditos nec inermis et infirma esse debeat ad exsequendum leges et statuta; palam est Episcopis inesse potestatem, ut in iis, in quibus potiuntur iurisdictione in Regulares, possint etiam contra eosdem delinquentes procedere (vid. Pignatelli *Consult.* tom. 3. *cons.* 45. nn. 24. 25.).

Quaeritur porro, an Episcopus adversus Regulares procedens, *ordinaria* utatur potestate, an *delegata* a Sede Apostolica. Quam controversiam non esse levis momenti, patebit ex dicendis inf. n. 59.

S. Alph. lib. 7. n. 241. censet, Episcopos in his semper procedere,

ut delegatos Sedis Apostolicae; « quia (inquit) cum Regulares ordinarie in aliis sint exempti ab iurisdictione Episcopi, quando contra eos Episcopus procedit, semper ut delegatus procedere debet ».

Fuerunt tamen, qui contenderent, hanc potestatem esse Episcopis ordinariam. Ratio praecipua, quia (aiunt) quando habenti alias potestatem de iure communi ad aliquid faciendum, quae tamen per privilegia seu exemptionem impedita erat, eadem iterum potestas conceditur, casus privilegiati ad primaevum suum statum et consequenter ad ordinariam iurisdictionem redeunt. Atqui dum Episcopo in certis casibus datur potestas procedendi adversus exemptos, ipsi potestas conceditur faciendi aliquid, quod, antequam eximerentur a Sede Apostolica eiusmodi Regulares, Episcopus facere de iure communi poterat etc. (Ita quidam apud Schmalzgr. lib. 1. tit. 29. n. 5.).

Sed melius (inquit Schmalzgr. ibid. n. 6.) potestas haec et iurisdictio Episcoporum solummodo delegata dicitur. Ratio, quia iudex delegatus ille censendus est, cui iurisdictio non iure officii sui aut habita ratione illius, sed ex speciali tantum commissione competit, ita ut ratione illius censeatur habere totam. Atqui Episcopis in huiusmodi casibus iurisdictio non competit ratione officii seu muneris sui Episcopalis, sed ex speciali commissione, ut clare insinuant ipsa iura potestatem hanc ipsis concedentia.

Ad opposit. rationem responde: Casus, qui, antequam reservarentur, ordinariae iurisdictioni subiiciebantur, reservatione sublata tunc solum ad ordinariam iurisdictionem revertuntur, quando ratione officii vel simpliciter subiiciuntur; secus quando subiiciuntur de novo tantum per modum commissionis, sive cum clausula specialem commissionem seu delegationem significante, prout contingit in casu nostro et ex iuris textibus patet (cap. *Irrefragabilis* 13. §. *Ceterum de Officiô Ordinarii*, cap. *Ad Abolendam* 9. in fin. *de Haereticis*. Trid. sess. 6. cap. 4., et sess. 22. c. 10. *de Reform.* et clarius cap. unic. §. fin. *de Stat. Regul.* in 6. et Clem. unic. *de Suppl. neglig.*).

Haec luculenter confirmantur ex multis, quae affert Fagnanus (in cap. *Quoniam, de Offic. Delegati*) et quae eo conspirant universim, quod Episcopus *in exemptos* nihil agere possit, nisi ut *Sedis Apostolicae delegatus;* quocirca Vicario suo negotia huiusmodi subdelegare non potest, nisi speciali mandato.

Hinc (ibid. n. 35.) refert, « quod s. Congregatio declaraverit, Episcopum ecclesias exemptas vel nullius dioecesis visitare volentem, exprimere debere, se id facere, ut delegatum Sedis Apostolicae et posse illas visitare etiam per suum Vicarium; sed opus esse speciali in scriptis facultate ».

21,907

Et hoc ipsum a s. Congregatione 17. Nov. 1703. in Melitensi alias declaratum fuisse refert Ferraris. V. *Regulares* art. 2. n. 84.

55. Verum haud mediocris confusio apparet penes Auctores in quaestione: *an et quando Episcopus Regulares exemptos cogere possit per censuras.* Cuius confusionis praecipua causa haberi potest, quod invocari soleat auctoritas Doctorum, qui vel scripserunt ante promulgationem quorundam decretorum ss. Congregg., vel haec decreta ignoraverunt et tamen ita invocantur isti DD., quasi eorum suffragium conferat ad quaestionem dirimendam. Huic causae cum accesserint aliae ex praepostera interpretatione vel iuris vel privilegiorum, nihil mirum, si vix magno labore consequi quis possit, ut certi aliquid de hac materia statuat.

Et huius confusionis vestigia videre est in s. Alph. Quippe (*de Privileg.* n. 75.) haec habet: « Hic notandum, quod adest responsum s. C. ad Episcopum Nebiensem 7. Febr. 1632. (lib. 14. Decret. p. 571. a tergo) ubi generaliter loquendo dictum fuit: *In his, in quibus ab iure communi, a s. Concil. Trid., a Constitutionibus Apostolicis tributa est Episcopo iurisdictio in Regulares, potest illos etiam per censuras ecclesiasticas compellere.* Et idem decisum fuit die 4. Iun. 1672. (lib. 27. Decretor. pag. 406.) ». In quibus potestas haec Episcopi non coarctatur ad aliquam causam seu materiam, sed se extendit ad omnia, in quibus Episcopus iurisdictionem in exemptos potest exercere.

At ecce idem s. Alph. mox (ibid. n. 77.) potestatem hanc Episcoporum ad tres casus constringit; scil. 1° ut cogat ad res Novitiis restituendas (vid. sup. n. 53.): 2° ad custodiendam monialium clausuram: 3° ad servanda decreta circa Missarum celebrationem. Quoad alios vero casus dicit, AA. dissentire et communius negari hanc Episcopis facultatem propter multa privilegia papalia Regularibus concessa.

Atque ad confusionem augendam accedunt ea, quae idem s. Doctor habet lib. 7. n. 241., ubi contendit, privilegiorum vi effici, ut neque quoad custodiam clausurae monialium Regulares incurrant censuras ab Episcopo latas.

Cuius quidem confusionis ratio haec unica apparet, quod primam illam sententiam et allegationem decretorum desumpsit ex Benedicto XIV. (*de Synod.* lib. 9. cap. 16. n. 5., al. lib. 7. cap. 41. n. 5.): secundam vero cum additis allegationibus desumpsit ex Salmanticensibus (*de Privileg.* cap. 3. §. 3. nn. 20.-22.); tertiam vero ab aliis, qui de privilegiis Regularium minori, quam Salmanticenses, confusione disseruerunt.

Multo infelicior erat doctrina P. Gury tom. 2. §. 949. q. 3., statuens, Religiosos exemptos ab Episcopo loci censuris episcopalibus

ligari non posse, « si peccent tantum in monasterio suo aut in propria ecclesia; quia monasteria et ecclesiae regularium sunt loca exempta ab iurisdictione episcopali et soli Papae subiacent »: posse vero, « si regulares delinquant extra clausuram vel ecclesiam propriam; quia non sunt exempti ab iurisdictione episcopali *quoad personas,* sed tantum *quoad locum* ». Et quidem in confirmationem portentosae huius doctrinae allegabat s. Alphonsum lib. 7. n. 24., quo loco s. Doctor mere agit de laicis, qui delinquant in loco exempto vel non exempto.

Ceterum nonne tenentur Regulares in suis ecclesiis servare festa indicta ab Episcopo, et servare v. gr. quae praescribuntur circa celebrationem Missarum, circa lectionem s. Scripturae etc., ut vid. sup. nn. 51.-53.?

56. Dicendum ergo generatim, Episcopos posse *cum exemptis* uti censuris, quoties necesse sit ad eos compellendos in iis, in quibus Regulares eorum iurisdictioni subduntur.

Id decretum et declaratum testatur Benedictus XIV. a s. Congr. 17. Februar. 1632, in Resp. ad Episcopum Nebiensem huiusmodi verbis (*de Synod.* lib. 9. cap. 15. n. 5.): « In his, in quibus ab iure communi, a s. Concilio Tridentino, a Constitutionibus Apostolicis tributa est Episcopo iurisdictio in Regulares, potest illos etiam per censuras ecclesiasticas compellere ». Quam declarationem testatur ipse Benedictus XIV. exstare lib. 14. Decret. 571. a tergo: unde de ipsius authentia non est dubitandum.

Generalis ratio est, quia habens potestatem fori externi contentiosam, illa uti potest in electione cuiusvis poenae, praesertim vero spiritualis censurae, qua Ecclesiastici Praelati procedunt contra subditos. Ita iura et unanimis tum Canonistarum tum Theologorum sententia apud Pignatelli tom. 3. *Cons.* 45. n. 24. Cnm enim potestas ecclesiastica in foro exteriori ordinetur ad punienda delicta ac subditos coercendos in foro exteriori; potest ergo censuras adhibere. Alias esset inermis et infirma ad exsequendum leges et statuta. Unde censurae merito appellantur ensis et gladius spiritualis, seu nervus ecclesiasticae disciplinae (vid. Pignatelli l. c.).

Exinde licet in Synod. Trident. Sess. 25. cap. 13. non dicatur, Episcopos per censuras compellere Religiosos ad processiones, sed mere detur facultas *eos compellendi;* tamen et DD. consensus (apud Pignatelli l. c. n. 11.) et Decreta s. Congregationis pluries iterata (apud eund. Pignatelli ibid. a n. 12...) definiunt, Episcopos posse ad Regulares compellendos censuris uti.

DD. autem, qui absolute tradunt, Episcopos posse Regulares coercere poenis canonicis atque adeo censuris, quoties quapiam in re subiiciuntur

eorundem iurisdictioni, videre licet et apud Monacelli part. 3. tit. 3. form. 6. n. 13.

Neque obest, quod Tridentinum dum Regulares subiicit Episcoporum iurisdictioni, modo mentionem de censuris faciat, modo non faciat.

Nam 1° quando aliquid ex natura rei inest, parum refert, sive exprimatur sive non. Frustra enim exprimitur, quod tacite intelligitur; quia pro expresso habetur, quod tacite inest. Sufficit ergo, quod Synodus dixerit, Regulares posse compelli. Ceterum expressum non facit cessare tacitum, quando in tacito eadem est ratio, ac in expresso.

2° In quibusdam locis Synodi Trident. exprimuntur censurae non quidem ex necessitate, sed ad excitandam facultatem, quam Episcopi habent et ad maiorem declarationem et energiam acuendam et ad patefaciendum causae meritum. Quippe expressa quandoque magis absterrent. Ceterum nunquid non alias monentur Episcopi, ut censuris vel aliis poenis v. gr. compellant parochos, clericos, iudices etc. etc.? At vero quis dicat, Episcopos solum in iis casibus uti posse censuris cum clericis, parochis, laicis etc.?

Ex his patet, generale privilegium *exemptionis* ab Episcopi iurisdictione, quo Regulares *exempti* fruuntur, utique efficere, ut praeter casus, in quibus vel ab iure communi, vel a Synodo Tridentina, vel a Romanis Pontificibus facultas Episcopis in Regulares conceditur, nedum censuris affici, sed ne aliis quidem poenis plecti possint, imo nec obedientiae debito erga Episcopalia mandata seu statuta teneantur; verum in casibus in quibus facta est Episcopis facultas, Regulares eisdem subiici et plecti tum aliis poenis tum etiam per censuras compelli posse.

57. Verum hoc *generale* exemptionis privilegium confundi nulla ratione debet cum *speciali* quopiam privilegio, vi cuius Regulares, quibus tributum a Sede Apostolica illud fuerit, nec interdici nec suspendi nec excommunicari ab Episcopis possint, licet forte aliis poenis plecti ab Ordinariis queant.

Fatendum est ergo in iure huius privilegii, quibusdam Religiosis concessi et ab exemptionis privilegio plane distincti, dissertam mentionem occurrere.

Etenim in cap. *Volentes* 1. *de Privilegiis* in 6° fit in primis sermo de *exemptionis* privilegio et statuitur, exemptos, utut gaudeant libertate, nihilominus *ratione delicti sive contractus aut rei*, de qua contra ipsos agitur, rite posse coram Ordinariis conveniri et hos, quoad hoc, suam in ipsos iurisdictionem, prout ius exigit, posse exercere. Et

praeterea memorantur generatim ibi *alii casus,* in quibus eos Episcoporum iurisdictioni subesse canonica praecipiunt instituta.

Mox vero in §. 1. eiusdem Capitis sermo de iis fit, *quibus ne interdici, suspendi vel excommunicari a quoquam valeant, a Sede Apostolica est indultum; sicut inquit, sunt religiosi quamplures, in quorum privilegiis continetur, ne quisquam Episcopus vel Archiepiscopus monasteriorum suorum monachos* PRO ULLA CAUSA ULLOVE LOCO *interdicere, suspendere, vel excommunicare praesumat;* unde praecipitur, ne in eos *Ordinarii iurisdictionem suam* QUANTUM AD ISTA, *ubicumque illi fuerint, exercere possint* et solum excipitur, nisi illi monachi transierint ad quempiam Prioratum Ordinariis subiectum (a).

In quibus 1° evidens est, haberi privilegium non subiacendi censuris, distinctum a privilegio merae exemptionis et 2° privilegium non subiacendi censuris non omnimode eximere ab iurisdictione, sed solum QUOAD ISTA, videlicet quoad *censurarum poenam:* quod non impedit, quominus Episcopus aliis poenis uti possit, si qua in re iurisdictionem erga illos monachos exercere potest secundum iura.

58. Duplex ergo est exemptio seu immunitas a censuris Episcoporum quoad regulares. *Altera* ex eo provenit, quod Regulares in quibusdam penitus exempti sunt ab iurisdictione Ordinariorum; quocirca quoad ea cum non sint subditi Ordinariorum nec legibus nec praeceptis ligantur atque adeo nec censuris nec aliis poenis puniri possunt. Si qua tamen in re Ordinariorum potestati subdantur, in his delinquentes corrigi et puniri et coerceri etiam censuris possunt.

Altera vero ex eo provenit, quod privilegio speciali quidam Regulares censuris feriri non possint etiam in iis, in quibus alioquin Ordinariorum potestati subiiciuntur, sed aliis poenis puniri possint.

Huc spectat declaratio s. Congreg. 9. April. 1587., quam refert Suarez *de Relig.* tr. 8. lib. 1. cap. 10. n. 27. in haec verba: « Regulares adeuntes monasteria monialium sine licentia Episcopi, incidunt in poenam excommunicationis, quam Episcopus suo edicto proposuit nisi regulares illi haberent ex privilegio, quod non possint excommunicari et tunc deberent puniri a suis Superioribus alia poena. Qui

---

(a) Pignatelli (*Consult.* tom. 3. *Cons.* 45. n. 25.) ex eo quod Ordinarius censuras ferre possit in Monachum, qui in Prioratu sibi subdito maneat, vult concludere, Regulares, utut privilegiatos, censuris Ordinarii subesse in casibus, in quibus illius iurisdictioni monachus subditur. Verum neganda est haec consequentia. Nam dispar est conditio monachi, qui in prioratu illo degens, in quo Superior est Episcopus, in omnibus fit illi subditus nec censetur ullo modo exemptus, et conditio monachi, qui retento exemptionis privilegio, imo et privilegio speciali etc. ex mera delegatione Sedis Apostolicae in re quapiam subdatur Episcopo. Nam in hoc casu potestas Episcopi non se ulterius porrigit, quam sonent verba concessionis et nunquam subintelligitur facultas procedendi per censuras nisi exprimatur, ut infr. videbimus.

regulares sic excommunicati (idest ii qui carent dicto privilegio) non possunt absolvi a suis Superioribus, sed ab Episcopo, qui sibi hanc absolutionem reservavit ».

Eandem Resol. habes apud Caietanum de Alexandris *Confessarius Monial.* cap. 7. §. 10. q. 12. in fin., Dianam tom. 7. tr. 1. res. 314. etc.

59. De hac autem Resolutione sermo paulo post redibit. Sed interim adverte, haud recte quosdam regularium immunitatem a censuris repetivisse ex sola exemptione.

Male itaque Bonacina *de Clausura* quaest. 3. punct. 4. n. 8. definit censuris ab Episcopo impositis contra accedentes ad moniales affici religiosos non exemptos, non affici vero Religiosos exemptos, utpote qui subditi non sint. Namque immunitas ab hac censura, si qua adsit, non ab exemptionis praerogativa, sed a speciali privilegio pendebit. Hinc male ipse Bonacina ibid. pro sua doctrina allegat *Quaranta*, *Rodericum*, *Sanchez*, *Barbosam* etc. Quippe hi non a mera exemptione, sed a speciali privilegio hoc repetunt.

Quidpiam simile peccat Henriquez, qui (*Summ.* lib. 7. cap. 25. n. 7.) item ex *exemptione* repetit, quod irritae sint censurae latae ab Ordinario contra personas regulares, ob quamcumque causam ferantur; quia, inquit, « iurisdictio, ad quam pertinet potestas ligandi censuris, deficit huic iudici circa exemptos ». Et dein allegat pro sua hac thesi privilegium Mendicantium et quod Paulus III. concessit Societati Iesu (ibid. not. f. et h.). Atqui privilegia sunt specialia, non merae exemptionis ab iurisdictione Ordinarii, sed insuper immunitatis a censuris quoad ea, propter quae puniri Regulares illi possunt.

Minus accurate haec tractare videtur et Tamburinus *de Iure Abbatissar.* disp. 25. q. 9. n. 1. Quippe affert quidem declarationem s. Congreg. sup. (n. 79.) descriptam et rem confirmat allegando Sanchez (de quo infra), qui reipsa de *speciali privilegio* disserit; verum rationem doctrinae dein allegat, *quod nemo ligari a non suo iudice possit:* porro haec ratio iam quaestionem ad meram *exemptionem* revocat eamque cum speciali privilegio confundit.

Perperam totam hanc rem accepisse videtur etiam Peyrinus *de Regularib.* tom. 2. ad Constitutionem 6^{m} s. Pii V. n. 37. Nam immunitatem Regularium praedicat quod censuras latas ab Episcopo tanquam Ordinario et huc revocat Regularium privilegium, quod non possint ab Episcopo censuris feriri, nisi hic procedat ceu delegatus Sedis Apostolicae: quod quidem in communem Regularium exemptionem recidit (vid. sup. n. 71.).

Item manca est doctrina Iacobi Graffii, qui (*Decis.* part. 1. lib. 4. cap. 6. nn. 2. 3.) tenet, exemptos non incurrere excommunicationem

episcopalem, sed solum latam ab ipso ceu delegato Sedis Apostolicae. Quae utrum dicat ratione merae exemptionis an etiam privilegii, non apparet. Sed, uti patet, istud est quid imperfectissimum, quod multis indigeret explicationibus etc.

Nihil pariter de privilegiatis habet Ioan. Aloys. Riccius (*Prax.* tom. 4. resol. 180.). Quae monenda sunt; ut constet deinde, quam parum ad rem isti AA. in hac materia allegentur.

Confuse pariter de hac materia disserit Iosephus de Ianuario (*Resol. Select.* resol. 34. n. 16.), dum privilegium speciale restringit ad hoc, ut Regulares non incurrant censuras latas ab Episcopo ceu Ordinario. Cui regulae dein subdit exceptionem aliquorum casuum cum Sanchez (*de Matrim.* lib. 7. disp. 33. n. 23.); adeo ut et privilegium speciale confundat cum exemptione communi et simul male et de hac et de illo disserat.

60. Iam vero quod eiusmodi privilegium tributum quibusdam Ordinibus Religiosis fuerit, res est notissima et quoad Mendicantes testatur et s. Alph. lib. 7. n. 241. idemque affirmat de nostra Societate. Et sane Paulus III. in Const. *Licet debitum* 18. Octobris 1549. primo quidem exemptionis privilegium tribuit, inquiens: « Ipsamque societatem et universos illius Socios et personas illorumque bona quaecumque ab omni superioritate, iurisdictione, correctione quorumcumque Ordinariorum eximimus et liberamus, ac sub nostra et Praefatae Sedis protectione suscipimus ». Et post nonnulla interiecta sic speciale, de quo agimus, privilegium addit: « Nec illius Praelatis contra aliquem de praedicta Societate vel contra alios eorum causa, aliquam excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententiam, contra eiusdem Societatis privilegia, per nos concessa (quorum interpretationem nobis et Apostolicae Sedi reservamus) ferre liceat et si tulerint, eo ipso irrita nulliusque roboris vel momenti sit et esse censeatur ».

Itaque quod hoc privilegium tributum quibusdam Regularibus et eiusdem Privilegii participes insuper facti sint alii Regulares, quibus Sedes Apostolica concessit beneficium communicandi cum privilegiis iam cuicumque alii Religioni concessis, res est manifesta.

Item quod eiusmodi privilegium saltem quoad partem seu nonnullas materias perduret, nullatenus ambigendum est. Etenim si qua limitatio facta est, ea amplecteretur tantummodo casus illos, in quibus nonnulli contendunt privilegio illi derogatum fuisse per quaedam decreta Concilii Tridentini et Constitutionem *Inscrutabili* Gregorii XV. Atqui casus, de quibus Synodus Tridentina et Gregorius XV. agunt, non se extendunt ad omnes casus, in quibus Regulares exempti subduntur Ordinariorum iurisdictioni. Ergo multa adhuc sunt, in quibus Regu-

lares subduntur iurisditioni Ordinariorum et nihilominus censuris feriri non possunt, si speciali illo privilegio gaudeant.

Neque obstat Resol. Congr. 17. Febr. 1632. in Resp. ad Episcopum Nebiensem (sup. n. 75.), qua statuitur, « in his, in quibus ab iure communi, a s. Concilio Tridentino et a Constitutionibus Apostolicis tributa est Episcopo iurisdictio in Regulares, hunc posse eos etiam per censuras ecclesiasticas compellere ».

Bene enim respondet cum aliis Lezzana tom. II. v. *Exemptio,* n. 13. eam declarationem intelligendam esse de Regularibus non habentibus dictum privilegium.

61. Et plane patet, Io. Baptistam De Luca, postea Cardinalem, hoc responsum respuendo, assecutum hoc unice esse, ut animum suum partium studio abreptum et Regularibus iniquum ostenderet. Etenim vel admittendum est Lezanae illud responsum, vel dicendum est, Episcopos semper censuris uti posse, quoties iurisdictionem aliquam in Regulares exercent. Atqui postremum hoc ipso iure excluditur, in quo (sup. n. 58.), disserte asseritur Regularibus quibusdam privilegium ut non possint censuris Ordinariorum percelli, etiam in negotiis, in quibus iurisdictioni eorundem Ordinariorum subsunt. Ergo.

Id ipsum evincunt argumenta, quibus et ipse De-Luca et post eum Monacelli (qui fere De-Luca transcribit etiam quoad verborum aculeos) privilegium hoc excludere nituntur.

Etenim tum De-Luca *de iurisd. Discurs.* 29. n. 7. et *Discurs.* 104. n. 4., et *Miscell. Discurs.* 16. n. 12., tum Monacelli *Formul. Legal.* part. 1. tit. 6. *Form.* 20. n. 26. et part. 3. tit. 2. *Form.* 6. n. 14. nihil habent quod opponant, nisi Concilii Tridentini decreta circa Regulares et Constitutionem Gregorii XV. circa exemptorum privilegia. Atqui tum Synodi Tridentini decreta, tum Constitutio Gregorii XV. versantur circa casus quosdam particulares tantum et ideo derogatio privilegiorum Regularium ad illos tantummodo casus restringeretur. Ergo.

Ita Tridentina Synodus (sess. 25. cap. 22. *de Regular.*): « *Haec omnia et singula in superioribus decretis contenta observari s. Synodus praecipit* in omnibus coenobiis ac monasteriis, collegiis ac domibus quorumcumque monachorum ac regularium..., non obstantibus eorum omnium Privilegiis sub quibuscumque formulis verborum conceptis etc.».

Et Pius IV. in Const. *In Principis* etc. 17. Febr. 1565., qua Privilegia revocavit, sic loquitur: « Motu proprio etc... quod ea omnia et singula privilegia, exemptiones, immunitates... in his omnibus et singulis, *in quibus illa statutis et decretis Concilii huiusmodi contrariantur,* ipso iure revocata, cassata, annullata ac ad ipsius Concilii

terminos atque limites reducta sint et esse censeantur... declaramus ac etiam statuimus et ordinamus ».

Gregorius vero XV. in citata Constit. *Inscrutabili* 5. Febr. 1622. §. 8.: « Quibus (scil. privilegiis) *quoad ea, quae eisdem praesentibus adversantur*, ILLIS ALIAS IN SUO ROBORE PERMANSURIS, specialiter et expresse derogamus ». Ex quibus imo evincitur, privilegia, quatenus decretis eiusdem Constitutionis non adversantur, ipso Pontifice auctore, dicenda esse *permanere*.

Quod vero ulterius De-Luca opponit Lezanae *de Iurisd. Discurs.* 29. n. 7., responsum eiusdem nullam vim habere; quia ob benignitatem (quam insolentius contra Romm. Pontiff. vocat *nimiam*) Sedis Apostolicae privilegia facta sint communia fere omnibus Religionibus, scil. ob *facultatem communicationis;* hoc plane ridiculum est et solum ostendit studium partium in dicente.

Nam mitto, quod falso affirmatur, iam nullum superesse Ordinem, qui non fruatur privilegio. Etenim per eam aetatem multa imo exstabant monasteria, ab Episcopis dependentia, qui neque *simplicis exemptionis* quidem praerogativa gaudebant. Sed quod caput est, nunquid ideo cessabit vis privilegii, quia illud ad plures extensum fuerit? Aut declaratio Congregationis extendi non debebit ad privilegiatos, quia non privilegiati sunt pauci?

62. Itaque derogatumne est privilegio illi speciali quoad ea omnia, in quibus Synodus Tridentina facultatem aliquam fecit Ordinariis circa Regulares?

Posse Regulares censuris compelli ab Episcopo in iis omnibus, in quibus Tridentina Synodus huic illos aliquo modo subiicit, non modo velut certum et exploratum supponunt De-Luca eiusque exscriptor Monacelli, sed etiam Iacobus Pignatelli, qui (tom. 3. *Consult.* 46. n. 25.) dum concedit, Regulares speciali privilegio frui, ne possint censuris ab Episcopo affici (imo et plures pro ea sententia DD. allegat etiam tom. 7. *Consult.* 44. nn. 26. 27.), id concedit solum *in casibus extra Tridentinum.*

At quid isti extundere ex Concilio Tridentino in hanc rem possint, vix apparet.

Etenim Tridentina Synodus (vid. sup. n. 84.) hoc tantum statuit, ut observentur contenta in decretis de Regularibus, non obstantibus eorum privilegiis. Derogat ergo iis tantum privilegiis, quae obstarent, quominus serventur contenta in iis decretis. Atqui servari contenta in decretis possunt, etiamsi non derogetur privilegio illi speciali immunitatis a censuris Ordinariorum, aut certe derogatio ista minimum quid attingeret.

Et sane multa sunt decreta, quorum sanctio nullo modo committitur Episcopo, v. gr. ut licentia Episcopi requiratur ad aedificandum monasterium in dioecesi ipsius: quod cautum fuit, ne nova haec conventuum aut monasteriorum accessio vel inutilis esset, vel etiam incommoda aliis monasteriis iam ibi exstantibus, ratione eleemosynarum etc. Et haec decreta possunt observari, permanente speciali privilegio, de quo sermo est.

Alia sunt decreta, in quibus praeterea facultas tribuitur Episcopo vel *compellendi* Regulares ad quidpiam agendum, v. gr. ad habendam in monasteriis lectionem s. Scripturae (sess. 5. cap. 1. *de Reform.* sup. n. 69.), vel compellendi ut intersint processionibus (sess. 25. cap. 13. *de Regular.*), vel corrigendi aut etiam puniendi Regulares vagantes seu degentes extra Conventum (sess. 6. cap. 3. *de Reform.*), vel puniendi Regularem recedentem a suo conventu sine Superioris licentia etiam sub praetextu adeundi Superiores (sess. 25. cap. 4. *de Regular.*) vel procedendi adversus Regulares, qui studiorum causa mittuntur ad universitates et non habitant in suis conventibus (sess. 25. cap. 4. *de Regular.*), vel puniendi Regularem, qui in Conventu habitat, sed extra conventum deliquit notorie et ex negligentia Superiorum, licet ab Episcopo moniti fuerint, non punitus fuerit (sess. 25. cap. 14. *de Regular.*), vel compellendi Regularem ad solvendam mercedem miserabilibus etc. (sess. 6. cap. 18. *de Reform.*).

Atqui haec quoque decreta servari possunt, etiamsi Episcopus non possit censuris uti, quia alia sunt et corrigendi et puniendi et compellendi media. Ergo neque quoad ista privilegio illi derogatur: neque enim tollitur privilegium, nisi quod componi non possit cum decreti observatione et huic obstet.

Denique duo habentur decreta, quorum alterum facultatem tribuit Episcopo cogendi Regulares ad restituendum Novitiis abeuntibus quidquid monasterio dederant (sup. n. 53.) alterum (52. 2°), quo Episcopus iubetur curare, ut servetur clausura monialium et ad haec dat facultatem cogendi etiam *per censuras.*

Ergo etiamsi statuatur, id valere etiam cum Regularibus speciali illo privilegio fruentibus, id restringetur ad duplicem illum casum et si quis malit, addat cum Sanchez *de Matr.* lib. 7. disp. 33. n. 23. tertium casum de Regulari, qui celebret extra Ecclesiam vel oratorium Missam (Syn. Trid. sess. 22. Decret. *de Observandis et vitandis in celebratione Missae*); quamquam dum eo loco, quo sermo est de censuris, Synodus dicat, ab Ordinariis *compellendum populum fidelem* (« censuris Ecclesiasticis, aliisque poenis... fidelem populum compellant ») alius negabit, iis vocibus comprehendi Regulares. Sed quidquid

de hoc sit, palam esse debet, absurde iactari generalem privilegii derogationem, quando ad summum Synodus Tridentina pro duobus aut tribus casibus derogasset.

Neque plus aliquid eruitur ex derogatione facta in Constitutione Pii IV. (sup. n. 84.). Nam derogatio expresse constringitur ad privilegia, quae contrariantur *Synodi decretis*. Ergo non amplius protenditur, quam derogatio ipsius Synodi, de qua modo diximus.

63. Sed ulterius inquiri potest, an quoad eos quoque casus, in quibus s. Synodus facultatem facit Episcopis, ut procedere contra Regulares possint etiam per censuras, derogatio adnexa privilegiorum extendenda sit etiam ad speciale illud privilegium, de quo agimus; an vero per alias solum poenas procedere debeant.

Etenim, uti advertit Franciscus Cespedes Tract. *de Exemption. Regul.* cap. 18. dub. 274. nn. 11. 12. tunc privilegium hoc obstaret decretis Synodi, si Episcopus, dempto censurarum praesidio, nulla ratione posset contra Regulares procedere. Atqui hoc falsum est. Ergo.

Neque dicas cum De-Luca *Miscell. Eccl. discurs.* 16. nn. 13. 14. delegationem Ordinariorum in casu *late* interpretandam atque adeo cum iurisdictio aliqua illis tribuitur, eam amplissimo sensu accipiendam, ut procedere possint omni modo, nec limitata censeri debeat ratio procedendi.

Resp. enim, falsum esse principium, cui De-Luca innititur, videlicet in hisce casibus Ordinarios recuperare iurisdictionem *nativam*, quam in Regulares sublato privilegio haberent, atque adeo evadere potestatem ordinariam. Nam post privilegium exemptionis, Regulares manent exempti et Romano Pontifici immediate subiecti, et Episcopi non alio titulo adversus eos procedunt, quam titulo *merae commissionis* seu delegationis (vid. sup. n. 54.).

Contra vero, ut scite advertit allegatus Cespedes l. c. nn. 3.-5., 1° cum causa impulsiva exemptionum fuerit in odium (formula est iuris) Ordinariorum, qui nimis infesti erant Regularibus, eadem exemptio semper amplianda est ad favorem Regularium et restringenda respectu Ordinariorum. 2° Praesertim vero, quod privilegia Regularium, ut constat ex concessione Leonis X., in dubiis semper interpretanda sunt in favorem eorundem Regularium. 3° Adde, quod causa finalis exemptionis Regularium fuit favorabilis Sedi Apostolicae, cuius interest multos immediate subditos habere ex cap. *Pastoralis* 2. *de Sententia et re iudicata* in Clement.: debet ergo in favorem Sedis Apostolicae ampliari nec dicendum, eam velle semet expoliari iurisdictione, quam in Regulares habet, nisi in commissione facta Episcopis id specialiter exprimat. 4° Denique quemadmodum ex iure communi

statuitur, in delegata iurisdictione generali ad cognoscendas causas non intelligi datam iurisdictionem ad corrigendos et puniendos excessus, nisi specialiter haec concedatur (vid. cap. *Attendentes* in Clement. *de Statu Monachor.*), ita per generalem facultatem Episcopis factam utendi censuris non intelligitur commissio specialis censuris utendi cum iis, qui speciali privilegio fruuntur.

64. Sed accedant argumenta maioris momenti. Nam Gregorius XV. in Constit. *Inscrutabili* 5. Febr. 1622. postquam §. 2. retulit decretum Trident. Synodi sess. 25. cap. 5. *de Regular.* et disserte expressit in hoc decreto, facultatem fieri Episcopis, ut etiam per censuras compescant eos, qui inobedientes sint et contradictores circa Monialium clausuram; tamen §. 4. dicit, se illis decretis velle aliquid adiungere. Atqui ea de re nihil aliud habet. nisi quod Regulares puniri possint per censuras. Ergo, si hoc adiungitur, prius puniri per censuras non poterant. Sic ergo Gregorius (§. 4.): « Ad haec tam Regulares, quam seculares huiusmodi nullis privilegiis aut exemptionibus tueri se possint, quominus, si deliquerint circa personas intra septa degentes aut circa clausuram vel circa bonorum administrationem monasteriorum monialium, etiam Regularibus subiectarum, ab Episcopo loci similiter ad hoc Sedis Apostolicae delegato quoties et quando opus fuerit, puniri et corrigi valeant ».

Quibus verbis De-Luca sane et post eum Monacellus contendunt, abrogari quodcumque etiam speciale privilegium. Atqui cum Gregorius XV. dicat se quid velle adiungere decretis Tridentini, nihil tamen de ea re ulterius addit, nisi quod Regulares puniri et corrigi valeant. Ergo illa abrogatio per Tridentini decreta non fuerat facta : secus non opus fuisset, ut Gregorius XV. id statueret quoad Regulares.

Simili argumento evincitur thesis, quam antecedenter statuimus (sup. a n. 60.), scilicet non abrogatum fuisse privilegium, propterea quod simpliciter Regulares quapiam in re subdantur Ordinariis.

Etenim in eadem Constitutione prius quidem memorantur Tridentini decreta (§. 3.), ne Regulares in alienis ecclesiis sine Ordinarii licentia, in suis vero ecclesiis sine ipsius benedictione, aut ipso contradicente concionentur. Circa quae decreta Gregorius XV., qui (ut diximus) testatur se velle quidpiam aliud adiungere, deinde §. 6. addit, facultatem fieri Episcopis, ut circa haec delinquentes etiam per censuras procedant. Atqui nihil addidisset, si id praestare potuissent Episcopi vi tantummodo decreti Tridentini. Ergo.

Aliud argumentum desumitur ex declaratione s. Congregationis 9. April. 1587., quam Suarez sic refert *de Relig.* tract. 8. lib. 1. cap. 10. n. 27.): « Regulares adeuntes monasteria monialium sine

licentia Episcopi, incidunt in poenam excommunicationis, quam Episcopus suo edicto proposuit, nisi regulares illi haberent ex privilegio, quod non possint excommunicari et tunc deberent puniri a suis superioribus alia poena. Qui regulares sic excommunicati (qui nempe non habeant privilegium) non possunt absolvi a suis superioribus, sed ab Episcopo, qui sibi hanc absolutionem reservavit ».

Unde prona argumentatio: Nam custodia clausurae monialium pertinet ad paucos illos casus, in quibus Synodus Tridentina facultatem tribuit Episcopis, ut etiam per censuras procedant. Atqui declaratio sacrae Congr. allata disserte edicit, non subdi tali sententiae Regulares, qui illo speciali privilegio fruantur. Ergo Synodus Tridentina speciali huic privilegio non derogavit.

65. Nihil mirum igitur, quod plures DD. post declarationem tam dissertam defenderint. Regulares non incidere in censuras huiusmodi Episcopales.

Ita Diana quoad accedentes ad monasteria Monialium (tom. 7. tr. 1. resol. 314.).

Ita Caietanus De Alexandris Cleric. Regularis (*Confess. Monialium* cap. 7. §. 10. q. 12. pag. 296.), de regularibus loquens sine licentia moniales alloquentibus.

Ita Franciscus Cespedes Clericus Regular. (*de Exemptione Regular.* cap. 23. dub. 339.) de clausura monialium loquens.

Ita Iosephus De Ianuario e piis Operariis (*Resolut. Select.* Resol. 34. n. 19.).

Ita et Pellizzarius (*de Monialibus* cap. 5. n. 204.) loquens de clausura Monialium.

Insurgit heic Monacelli part. 3. tit. 2. *Form.* 6. n. 14., « nullam vim faciendam videri in auctoritatibus contrariis, quae possunt allegari a Doctoribus Regularibus; quia cum defendant causam propriam, non sunt in hac subiecta materia testes idonei ». Quae rursus dixerat part. 1. tit. 6. *Form.* 20. n. 26. inquiens, hasce difficultates « adhuc noviter inductas fuisse a Moralibus Scriptoribus, qui curantes tueri causam propriam, enixe student Ordinariorum potestatem restringere ».

Sed huius scommatis ne laudem quidem *inventoris* iactare potest; quippe quod transscripsit a De-Luca *Miscell. Discurs.* 16. n. 12., et *de Iurisd. Discurs.* 29. n. 7., et a Pignatelli tom. 2. *Cons.* 21. n. 6., oblitus sane, Regularibus certissimam aliam inesse causam tuendi privilegia; quia nempe concessiones Sedis Apostolicae sine crimine contra ipsam Sedem Apostolicam deserere ac prodere non possunt.

Cum enim Sedes Apostolica Regulares voluerit sibi immediate et unice subiectos in iis, in quibus illos ab Ordinariorum iurisdictione

exemit; profecto quisquis e Regularibus non gerit se tanquam exemptum, hic Ordinariis defert illud ius, quod Apostolica Sedes sibi reservavit, perinde ac ius Principis laedit, quisquis causam, quam ad se Princeps avocavit, ad inferiorem iudicem defert, aut si quis ad parochum recurrat, ubi rem sibi Episcopus reservavit.

Ceterum per calumniam eorum privilegiorum defensio tribuitur Regularibus tanquam unice tuentibus causam propriam.

Certe Regularis non fuit Augustinus Barbosa et tamen de hoc privilegio, uti de re explorata loquitur *de Offic. et Potest. Episcopi* p. 3. *Allegat.* 102. n. 73. et *Allegat.* 105. n. 13., ubi n. 11. etiam recenset historiam exemptionis variorum Ordin. Religiosor. et *Alleg.* 102. n. 73. plures alios, praeter recensitos, allegat pro eadem sententia.

Regularis non fuit Erasmus a Chokier iurisconsultus Leodiensis, qui tamen *de Iurisdict. Ordinarii in Exempt.* part. 2. q. 49. idem tradit.

Regularis non fuit Stephanus Quaranta qui tamen (*Summa Bullarii* v. *Monasteria Monialium* pag. 350.) idipsum docet.

Regularis non fuit Hieronymus Campanile, qui tamen (*Diversorium Iur. Canon.* Rubric. 12. cap. 16. n. 40.) idem tenet.

Et, aliis omissis, Regularis non fuit Prosper Fagnanus. Et tamen in cap. *Quanto, de Privilegiis* n. 9., ad quaestionem: « An posita Constitutione Gregorii XV. de Exemptorum privilegiis, Regularis absque legitima licentia accedens ad monasterium Monialium Regularibus subiectarum ibique in loco colloquiis destinato cum Moniali colloquens, a Dioecesano Episcopo tanquam Sedis Ap. delegato coerceri ac puniri possit »: respondet, apertam esse decisionem, eum incidere in excommunicationem si eunti ad monasterium Episcopus eam poenam imposuit. Tum vero dissertis verbis subdit: « Quam sententiam iamdiu approbavit S. Congregatio (scil. Concilii), dum declaravit, Regulares accedentes ad monasteria Monialium, etiam exempta ab Episcopi iurisdictione, incidere in poenam excommunicationis contra accedentes Episcopi edicto propositam, *nisi habeant nominatim privilegium, ut non possint excommunicari:* et tamen eo etiam casu censuit, eos aliis poenis esse puniendos ».

Haec ille Fagnanus, qui plurium annorum spatio a secretis fuit eidem S. Congregationi Concilii et qui propterea tum decreta tum praxim eiusdem Congreg. suis oculis noverat. Dicat nunc Monacelli, haec reiicienda esse, quia promuntur a Doctoribus Moralibus vel a Regularibus, testibus scil. non idoneis utpote pro domo sua agentibus.

66. Haec cum ita sint, non videtur satis causam Regularium propugnasse Lezana, qui (*Summ. Quaest. Regul.* p. 3. v. *Exempt. Regularium* n. 11.) statuit, posse Episcopos procedere per censuras

adversus Regulares, quantumvis privilegiatos, quando Concilium Trid. expresse illis hanc facultatem tribuit, prouti tribuit reipsa in tribus casibus (sup. n. 62.), scil. quoad Missarum celebrationem, quoad clausuram monialium et quoad restitutionem Novitiis faciendam. Nam quae hucusque vidimus, evincunt, haec valere contra mere exemptos, non vero contra munitos speciali privilegio.

Eadem fere videtur habere Sanchez *de Matr.* lib. 7. disp. 33. n. 23. ubi ait: « Existimo, non posse Episcopum praedictos excommunicare, suspendere vel interdicere, si privilegium speciale habeant, ne possint excommunicari, suspendi vel interdici: quale habent Mendicantes, ut constat ex eorum compendio... et Societas Iesu, ut constat ex Bulla Pauli III...; *et hoc nisi expresse concedatur Episcopis, ut in iis casibus possint censuris latis contra Exemptos procedere...* » et dein tres casus a Lezzana recensitos memorat.

Pellizzarius tamen verba Sanchez sic voluit interpretari, ut eum pertraheret in communem aliorum sententiam: sed incasso labore; quippe Sanchez disserte triplicem casum Synodi Tridentinae in exemplum adducit.

67. Sed de Gregorii XV. Constitutione aliquid est dicendum.

Dubitandum non videtur, Gregorium XV. derogasse privilegiis etiam specialibus Regularium, ut patebit legenti eiusdem Constitutionis clausulas.

Veruntamen non omittendum aliud principium, nempe Ordinariis non fieri facultatem utendi censuris cum Regularibus privilegiatis, nisi haec facultas specialis in concessione exprimatur.

Restat ergo inquirendum, quae facultas Episcopis fiat in ea Constitutione.

Porro sincere fatendum est, facultatem istam utendi censuris haberi solum in §. 6., in qua Episcopo ceu delegato Sedis Apostolicae auctoritas tribuitur « coercendi ac puniendi quoscumque Exemptos tam seculares quam regulares, qui in alienis ecclesiis aut quae suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia et in ecclesiis suis aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, praedicare praesumpserit, ita ut (inquit) Episcopi in supradictis casibus in praenominatas personas, in praemissis omnibus et singulis aut circa ea quoquomodo delinquentes, quoties et quando opus fuerit, etiam extra visitationem per censuras ecclesiasticas aliasque poenas..... procedere omnemque iurisdictionem exercere libere et licite valeant... ».

Idcirco Fagnanus (sup. n. 65.) quoad accedentes ad monasteria monialium, utut haberet prae oculis hanc Gregorii Constitutionem ac mentionem ibidem de ipsa faciat, tamen negat censuras incurri ab iis,

qui speciali utuntur privilegio, licet concedat et teneat, aliis poenis puniendos. Quippe in ipsa Constitutione Gregorius XV. §. 4. de eo argumento dicit solum, quod regulares si in hoc deliquerint, puniri et coerceri ab Episcopis et corrigi valeant: sed nullam adhibendarum censurarum mentionem aut facultatem facit.

Hoc ipsum notat Franciscus Cespedes (*de Esempt. Regular.* cap. 23. dub. 339. n. 3.) et ante ipsum notaverat Pellizzarius (*de Monialib.* cap. 5. n. 204.).

Sed et duo alii casus sunt addendi. Scilicet Regulares utut privilegiati censuris ab Episcopo feriri possunt, 1° qui sine approbatione Ordinarii loci audeant audire secularium confessiones. Ex Brevi *Cum sicut accipimus* Innocentii X. 14. Maii 1653. ubi agebatur de religiosis Societatis Iesu, qui certe eo privilegio gaudent, 2° qui audeant imagines ab Episcopo non probatas publico cultui exponere. Ex Const. *Sacrosancta* Urbani VIII. 15. Mart. 1642.

Notandum autem est, quod (l. c.) addit Pellizzarius hisce verbis: « Cum quo tamen stat, quod si s. Congregatio concedit Episcopo facultatem puniendi Regulares etiam censuris, tunc ille poterit ferre censuras contra eos, non obstante privilegio... adducto...; cum sic s. Congregatio censeatur derogare dicto privilegio, idque etsi non deroget expresse ac signate ».

Et hoc pacto conciliantur praedicta imo et praemissa iura, cum variis Responsis Congregationis, quae a Pignatelli tom. 3. *Consult.* 45. quoad processiones frequentandas a Regularibus, aliisque quoad alia referuntur. Et de his satis.

XVI. 3. Etsi subditi extra suam dioecesim vel in loco dioecesis exempto delinquentes contra legem sui Episcopi non incurrant censuram, Superior tamen, saltem regularis, potest suos subditos, ubicunque exsistant, per particularem sententiam censuris innodare. V. Laym. l. c.

68. Auctor expresse loquitur de delinquente contra *legem* Episcopi. Porro in Tract. *de Legibus* ratum est (apud A. *de Legibus* vol. I. cap. 2. dub. 2.), leges seu statuta generalia per se et directe respicere territorium eique affixa esse atque adeo non obligare nisi exsistentes intra illud. Ergo cum subditus extra territorium degens non obligetur *legibus*, eo ipso per crimen extra dioecesim admissum non delinquit contra *illas leges* et si contra illas leges non delinquit, ne poenis quidem delinquenti impositis subiici potest, sive sint latae sive ferendae sententiae.

Accedit expressa declaratio Iuris in cap. *Ut animarum, de Constitutionibus* in 6° « Statuto Episcopi, quo in omnes, qui furtum commiserint, excommunicationis sententia promulgatur, subditi eius furtum

extra ipsius dioecesim committentes, minime ligari noscuntur: *cum extra territorium ius dicenti non pareatur impune* ».

Quod vero locus exemptus (licet situs sit intra fines alicuius dioecesis, cum tamen ad dioeceseos territorium non pertineat) comparetur quoad hoc cum loco posito extra territorium, atque adeo ibi aliquis nec legibus sui Ordinarii obligetur, nec poenas propterea incurrat est *doctrina communis*, ut vidimus (l. c. *de Legibus* ad resol. 1. ubi etiam expendimus nn. 346. seqq. an loci exempti nomine veniant monasteria et ecclesiae Regularium).

Vid. de hac re Laym. 1. lib. 1. tr. 5. part. 1. cap. 4. n. 6., et Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 49.

69. Praedicta doctrina valet, etiamsi crimen inchoatum fuerit intra fines dioecesis; consummatum tamen extra dioecesim fuerit. Ratio, quia censura non incurritur, nisi crimen consummetur in sua specie; haec autem consummatio cum accidit, delinquens ab iurisdictione Ordinarii sui exemptus est.

Ita ex. gr. inquit s. Alph. lib 7. n. 22. in fin. si sit lata censura contra committentes stuprum, eam non incurrit, qui virginem extrahit a proprio territorio et extra illud stuprum consummat. Sic inquit Laymann lib. 1. tr. 5. p. 1. cap. 4. n. 6. si quis homicidium in sua dioecesi sub censuris prohibitum inchoavit intra dioecesim hominem persequendo vulnerando, consummavit vero extra dioecesim illum occidendo, non eas incurret, licet aliter puniri possit ab utroque iudice tum delicti inchoati, tum consummati.

Veruntamen si vulnus intra dioecesim inflictum foret causa mortis, censuras incurreret, etiamsi mors sequeretur extra; quippe crimen intra vere commisit. Idem dic, si venenum quis dedit intra diocesim, licet moriatur alter extra.

Hac in re inquit Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 50. considerari debet non tam praesentia physica, quam moralis. Contingit enim aliquando, subditum esse corporaliter extra territorium excommunicantis et tamen delinquere in territorio excommunicantis, cum moraliter ibi delictum consummari censeatur. Ita si lata sit censura in parochum a sua paroecia absentem ultra duos menses, ligabitur censura parochus absens in alia dioecesi; quia delictum *non residendi* censetur commissum in paroecia.

Hinc s. Alph. lib. 7. n. 22.: « Hoc currit (scil. censura incurritur), etiamsi subditus delinquat extra dioecesim, *si agatur de re*, quae in illa sit, prout si excommunicentur clerici omnes, qui ad Synodum non accedunt ». Ita Suarez disp. 5. *de Cens.* sect. 4. n. 8.: « Peccatum illud quantum attinet ad censuras et ad forum Ecclesiae non in alieno

territorio, sed in proprio consummatur: nam... in ordine ad censuras et forum Ecclesiae peccatum consummatur in ipso actu et effectu externo prohibito: in dicto autem exemplo, quod prohibetur, est omissio residentiae ». Et his consentiunt DD. omnes.

70. Quid vero de fugiente e dioecesi post crimen admissum?

Heic agitur, ut patet, de censura sententiae *ferendae;* nam si esset *latae* sententiae, iam incurreret reus censuram, antequam fugiat.

Itaque, ut dicit s. Alph. lib. 7. n. 22., « Episcopus exsistens in sua dioecesi potest ligare censuris subditum in aliena exsistentem pro crimine in propria commisso ». Et id subdit, affirmandum *cum communi et vera sententia* (a); « quia alias talis delinquens a nemine posset puniri ».

« Licet autem citatio non possit fieri extra territorium, ad incurrendam tamen censuram sufficit, ut reus in propria domo vel publico loco proprii territorii citetur » et absens per nuntium vel litteras citari potest isque comparere debet et si sit contumax, excommunicari potest, ut colligitur ex cap. *Ex tuae* 11. *De Clericis non residentibus*, Ita et Laym. lib. 1. tr. 5. p. 1. cap. 4. n. 7.

71. Gravior quaestio est, an delinquens extra dioecesim incurrat censuram latam contra eum praecepto speciali ad crimen quoddam praecavendum, v. gr. si Episcopus clerico cuipiam sub poena censurae interdicat, ne ludat aleis et hic ludat extra dioecesim seu in loco exempto.

S. Alphonsus lib. 7. n. 23. duplicem affert DD. sententiam et utramque dicit esse probabilem: sibi tamen probabiliorem videri eam, quae affirmat, censuram incurri.

Et reipsa si extrinseca auctoritas spectetur, concedendum est, etiam sententiam, quae censuram tunc incurri negat posse probabilem videri. Nam praeter Holzman et Collet (quorum alioquin exigua est auctoritas) pro ea stat Roncaglia *de Censur.* cap. 4. q. 3. r. 1., et ab eo allegati Coninck disp. 13. dub. 7. n. 61., et Thomas Hurtado *de Cens. in Commun.* diff. 8. n. 34. et Anton. a Spirit. Sancto disp. 1. n. 126., Aegidius (Coninck?) Avila, Henriquez et Sayrus lib. 1. cap. 6. n. 39. apud Laym. lib. 1. tr. 5. p. 1. cap. 4. n. 7. praeter nonnullos alias citatos ab Hurtado l. c.

Verum ista opinio, ut egregie advertit Laymann lib. 1. tr. 5. p. 1. cap. 4. n. 7., *nulli solido fundamento nititur*. Nam tota ratio consisteret in cap. *Ut animarum* sup. alleg. (sup. 68.), ex quo conclu-

---

(a) Id negat cl. Santi l. V. tit. 39. n. 3. innixus axiomati: quod extra territorium ius dicenti impune non paretur. Sed sententia s. Alph. praeferenda. – E.

dunt potestatem Episcopi cum territorio absolvi et ultra nunquam se porrigere.

Atqui, ut optime advertit s. Alph. lib. 7. n. 23., in eo capite sermo est de sententia *per modum statuti*, ut legenti patet. Perperam ergo trahitur etiam ad merum praeceptum. Notissimum enim est discrimen inter statutum et praeceptum, quod statutum immediate tendit ad territorium eique cohaeret et ideo neminem ligat extra territorium. Praeceptum vero immediate tendit ad personas earumque ossibus cohaeret, quocumque terrarum discesserint.

Praeterea, ut arguit Laymann lib. 1. tr. 5. p. 1. cap. 4. n. 7., Superior dum aliquid discessuro subdito sub censura praecipit aut prohibet, non fert sententiam extra sed intra territorium suum. Licet autem sententia commisso crimine incurratur, seu effectum habeat extra territorium, id tamen fit sine cognitione causae et strepitu iudiciario; quia excommunicatio et quaevis censura latae sententiae tacitam ac veluti insensibilem exsecutionem secum trahit, ut habetur ex C. *Pastoralis* 53. §. 1. *de Appellationibus.*

Quod vero possit extra territorium incurri excommunicatio, exinde etiam patet, quod si alicui per sententiam vèl per statutum sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae prohibitum fuerit v. gr. homicidium, hic autem, homine letaliter vulnerato, e dioecesi fugiat et vulneratus postea moriatur, nemo negat, homicidam incurrere excommunicationem, licet sit extra territorium illius, qui tulit sententiam (Laym. l. c.).

Praeterea nonne vidimus (sup. n. praec.) subditum, si post delictum perpetratum, e dioecesi fugiat, posse ab Ordinario citari et si contumax sit, excommunicari? Inanis ergo est ratio absentiae ad hoc, ut sententia Ordinarii effugiatur.

Ad rem bene advertit Laym. l. c. n. 8.: « Constat eos, qui ratione domicilii aut Beneficii Ordinario subditi sunt, licet extra dioecesim abeant, semper tamen iurisdictioni illius manere subiectos, ut proinde ipsis imperari et sententia in eos ferri possit ».

Vera autem causa, cur in aliena dioecesi Episcopus sententiam censurae ferre nequeat, haec sola est, ne alienum territorium invadere ac violare videatur: qua ratione cessante, nihil omnino reipsa obstat, quominus Episcopus, aliusve superior in alieno territorio iurisdictionem in suos exerceat, v. gr. cum ipsis dispensando aliamve voluntariam iurisdictionem exercendo, aut iis imperando sub poena censurae ipso facto incurrendae, vel etiam particularem sententiam in eos pronuntiando ob delictum notorium, quod causae cognitione non indiget, vel denique etiam causam instituendo, si alter Episcopus,

in cuius dioecesi res agitur, facultatem faciat iudiciarium processum instituendi (vid. sup. n. 35.).

Cum ergo 1° negativa sententia nulli rationi solidae innitatur ac 2° affirmativa contra gravissimis rationibus ac principiis communiter receptis fulciatur: 3° et hanc non pauciores DD. propugnent iique gravissimi (quos et s. Alph. n. 23. innuit), adeo ut Laymann merito *communiorem* appellet (l. c. n. 7.); concludemus, hanc omnino tenendam, nec negativae superesse nisi quandam externam probabilitatem, quae inspectis rationibus facile evanescit.

72. Quaeritur, an puniri subditus extra dioecesim delinquens possit, si nullum praeceptum speciale praeivit.

Quaestionem hanc tangere praestat; quia s. Alphonsus lib. 7. n. 23. prop. fin. ita scribit: « Certum est autem ex praefato textu (nempe cap. *Ut animarum* sup. n. 68.), quod si Episcopus nullum subdito antea dedit praeceptum sub poena censurae, nequit eum censura punire, si delinquat in aliena dioecesi ».

Verum Laymann lib. 1. tr. 5. p. 1. cap. 4. n. 7. communiorem merito dicit sententiam oppositam, nempe quod si subditus alibi deliquit et ibi ab iudice delicti praeventus non est; potest iudex domicilii reum citare et contumacem excommunicare, ea scil. ratione, qua peregrinum in sua dioecesi delinquentem Ordinarius potest citare (vid. sup. nn. 43. 45.).

73. Pro 2ª parte resol., quae spectat ad Regulares, nihil habet Laymann ab Auctore allegatus et ideo allegatio ad primam partem tantum referri debet.

S. Alph. lib. 7. n. 20. et ipse scribit in eandem cum A. sententiam: « Communis est sententia, quod Praelati Regulares possunt subditos suos censuris innodare, ubicumque exsistant ».

At scite Auctor addiderat verba *per particularem sententiam*, ut nempe excludatur casus censurae latae per *generale statutum* illius superioris, qui forte iurisdictionem habeat *loco circumscriptam*, v. gr. provincia.

Hinc Croix lib. 7. n. 28. ita hanc doctrinam effert: « Iurisdictio superiorum religiosorum, *saltem eorum qui specialia territoria non habent*, non est conclusa certis finibus locorum, sed possunt sibi subditos citare, censurare, capere, ubicumque sint et nemine implorato, ut habent iura et communis ». A qua locorum limitatione praescindit Sanchez a s. Alph. l. c. allegatus, dum ait (*in Decal.* lib. 6. cap. 8. n. 33.), religiosos apostatas a Superioribus *capi posse* etiam per brachii secularis auxilium, ubicumque sint.

Summa ergo est, attendi posse locorum limitationem in superioribus non generalibus, quando censura latae sit sententiae per modum

statuti; secus Superiores quoslibet posse per sententias particulares persequi subditos suos, ubicumque sint, scil. non solum extra monasterium, sed extra urbem aut provinciam.

XVII. 4. Haeretici, Apostatae et Schismatici possunt affici censuris, quia per baptismum sunt subiecti Ecclesiae. V. Laym. l. c.

74. Notat Suarez *de Censur.* disp. 3. sect. 1. n. 25. quosdam valde improprie dixisse eos qui excommunicantur, debere esse catholicos; sed nomine *catholici* hos intellexisse baptizatos. Nam certum est, apostatas baptizatos qui haeretici sunt (vel schismatici), vel ad iudaismum aut paganismum transeunt, posse censuris ligari; quippe ratione characteris semper manent subditi Ecclesiae.

XVIII. 5. Solus Papa non potest incurrere censuram, quia nulli est subiectus. Bon. l. c.

75. Bene Laymann lib. 1. tr. 5. p. 1. cap. 4. n. 4.: Summus Pontifex censura ligari non potest neque a se ipso, quia nemo sibi ipsi praecipere aut seipsum iudicare et condemnare potest: non item ab alio; quia neminem in terris superiorem habet, nec cuiquam spiritualiter subiectus est.

Hinc non solum ab homine, sed etiam *ab iure* censura ligari nequit; quia simpliciter neque ipsi iuri humano subiectus est, quia aequalem habet potestatem, ut ait Suarez *de Cens.* disp. 5. sect. 1. n. 27.

QUAESTIONES AD HOC DUBIUM ADDENDAE.

An censurae subiectum possit esse integra communitas.

76. De hac Suarez disp. 5. sect. 1. n. 29.: « Cum dicimus, omnem hominem, alium a Papa ligari censura posse, non solum singulares personas, sed etiam quamcumque congregationem comprehendi observandum est: idque generaliter absque ulla limitatione; quia nulla est, quae superiorem non habeat, etiamsi concilium generale sit, dummodo ipsummet summum Pontificem non includat ».

Sed pergit Suarez, addenda est moderatio, quod congregatio non est capax omnis censurae, sed suspensionis tantum et interdicti.

Et sane (inquit Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 44.) communitas censura excommunicationis ligari nequit, sed illi tantum de communitate, qui specialiter sunt culpabiles ex cap. *Romana* §. 5. *In universitatem, de Sent. Excommunic.* in 6°; sunt enim plerumque in communitate nonnulli, qui vel plane innocentes sunt vel minus, quam ceteri, nocentes: adeo ut nimis asperum et acerbum foret, si poenam aequalem et aeque severam cum nocentibus sustinere deberent. Ita comm. DD.

Excipitur tamen, nisi constaret, omnes et singulas personas alicuius collegii aut universitatis esse reas aut participes alicuius delicti et in

eo contumaciter persistere; tunc enim omnes, sive totum collegium aut universitas excommunicari poterit (Schmalzgr. ibid.).

77. Quod attinet vero ad suspensionem, utique haec ferri in totam co mmunitatem potest et vim habet, licet in ea aliqui sint innocentes.

At distinguendum est quoad eiusdem suspensionis effectus. Nam suspensio in communitatem lata afficit quidem etiam innocentes quoad functiones et iura ipsi communitati, quatenus tali, competentia, v. gr. quoad capitulum a canonicis vel monachis aut monialibus habendum, quoad faciendas electiones, quoad recipiendos novitios etc.; non vero quoad functiones et iura, quae singulis singillatim competunt (Schmal. l. c. n. 45.).

Quoad interdictum vero, haec censura id singulare habet, quod, si generale sit, integram communitatem et in hac etiam innocentes obstringat (ex cap. *Si civitas* 17. *De Sent. Excomm.* in 6°). Neque per hoc ferens censuram argui iniustitiae potest: quippe per tale interdictum proprie loquendo non puniuntur innocentes, sed Ecclesia iustas ob causas sua beneficia et officia tam nocentibus quam innocentibus subtrahit: qua de re suo loco dicetur (Schmalzgr. l. c. n. 46.).

An quis duplici censura aut etiam pluribus innodari possit.

78. Quaestio instituitur de censuris eiusdem rationis. Nam quod quis incurrat interdictum et insuper suspensionem atque etiam excommunicationem, nullam habet difficultatem.

Difficultas itaque facta fuit de censuris eiusdem rationis. Et ratio dubitandi esse potuit, quia privatio non suscipit magis et minus. Ergo cum quaelibet ex his censuris sit privatio spiritualium bonorum, posita una censura, iam non videtur alia eiusdem rationis succedere posse: secus succederent duae privationes eiusdem numero formae in eodem subiecto, quod est impossibile.

Sed respondendum cum communi DD. (apud Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 52. et Suarez *de Cens.* disp. 5. sect. 2. n. 6.), ob diversas causas posse aliquem diversis censuris eiusdem rationis ligari. Ita et s. Alph. lib. 7. n. 28.

Ratio est, quia excommunicatio et quaevis alia censura non tam est privatio, quam vinculum causans privationem. Porro vinculum morale multiplicari potest, tametsi privatio non multiplicetur, uti manifeste patet in peccatis mortalibus, quorum quodlibet privat hominem gratia, ut etiam aliud, quantum in se est, privet.

Hinc cadit ratio dubitandi in oppositum; quamvis enim privatio in se non suspiciat magis aut minus, bene tamen suscipit in ordine ad causam. Et hoc manifestum est etiam in naturalibus, nam cubiculum

privari luce potest ex multiplici ratione impediente, tametsi exsistat unica privatio lucis (Schmalzgr. l. c. n. 53.). Ita (inquit Suarez *de Cens.* disp. 5. sect. 2. n. 5.) potest homo pluribus praeceptis obligari ad abstinendum ab eodem actu; quae praecepta, si pertineant ad diversas causas seu virtutes propriissime efficient diversa vincula v. gr. praeceptum Ecclesiae et ex voto. Item potest quis ad mortem condemnari diversis sententiis propter diversa delicta.

Non est ergo dubium (inquit Suarez disp. 5. sect. 2. n. 5.), quin propter *diversas causas* possint in eandem personam plures eiusdem rationis censurae ferri. Si quis enim propter unam inobedientiam excommunicatus sit, si in alia quoque re inobediens sit et contumax, potest iterum excommunicari; nam potestas et iurisdictio non est exstincta per unum actum, sed integra mansit et causa ex parte subiecti sufficiens est.

Ex iure Canonico autem (vid. Suar. l. c. nn. 9. 10.) colligitur, propter diversas causas posse aliquem excommunicari ab homine, atque *etiam bis a iure;* quod est manifestum, quando iura sunt diversa et de rebus distinctis et idem potest contingere in sententiis latis ab homine. Ratio, quia ut multiplicentur censurae, sufficit causarum multiplicatio, sive potentia agens sit una, sive multiplex: nam et a multis et ab una possunt plures effectus et actiones prodire.

Itidem quando diversi tituli concurrunt ad ferendam censuram, ita ut unusquisque per se sufficiat et ex intentione iudicis illam operetur, tunc non solum a diversis iudicibus, sed etiam ab eodem, nec solum successive, sed etiam simul: imo non solum diversis sententiis, sed una eademque, *utrumque delictum exprimente*, possunt censurae circa eandem personam multiplicari (Suarez disp. 5. sect. 2. n. 9.).

Necessarium tamen est, ut advertit idem Suarez ibid. n. 12., ut talis intentio sufficienter in sententia exprimatur; quia alias odiosa sententia in mitiorem partem explicanda foret. Nunc autem maxime videtur hoc constare, quando sententia magis est denunciativa seu declaratoria, quam illativa censurae.

Plures ob eandem causam censurae.

79. Possuntne plures ob eandem causam multiplicari censurae?

Monet Suarez (*de Censur.* disp. 5. sect. 2. n. 8. ad fin.), quod licet speculative rem considerando, non appareat clara repugnantia in hoc, quod ab eodem iudice, circa eandem personam, in eadem causa, idest propter idem delictum, mutato solum statu causae per augmentum contumaciae, censurae multiplicentur secundum eandem speciem; tamen, moraliter rem considerando (ut expedit), opinor, id nunquam fieri

iuxta usum Ecclesiae: ideoque posse dici absolute, non posse vel saltem non debere fieri. Ita Suarez.

Secus tamen dicendum est, si sententia feratur a diversis iudicibus. Etenim, ut bene advertit s. Alph. lib. 7. n. 28., « propter idem delictum potest quis multipliciter ligari a diversis, scil. a iure et ab homine, a Papa et ab Episcopo, ita ut ab utroque absolvi debeat ».

Monet tamen Suarez (*de Cens.* disp. 5. sect. 2. n. 13.), tunc distinctas numero censuras ferri propter causam *quodammodo eandem* et quodammodo diversam; nam materialiter apparet eadem, formaliter autem diversa esse videtur.

Hoc patet primo, quando una censura est a iure et alia ab homine. Potest enim aliquis simul et pro eodem delicto a iure et ab homine excommunicari; quippe cum ius non adimat homini potestatem vel iurisdictionem, poterit ipse censuram ferre, non obstante censura iuris, si ad terrorem vel exemplum aliorum ita expedire censuerit.

Tunc autem licet delictum unum esse videatur, contumacia est formaliter diversa. Nam censuram a iure latam incurrit quis, hoc ipso quod ius transgreditur; ut vero postea ab homine ob idem delictum excommunicetur, necesse est, ut ab eo moneatur, eique sit contumax. Est ergo ibi alia et alia contumacia, proprie ac formaliter eas considerando (Suar. l. c.).

Idem est pari ratione in sententiis censurae latis a diversis superioribus, habentibus propriam iurisdictionem in solidum, si tales sint, ut usus unius vel praeoccupatio non impediat usum alterius. Tunc enim unusquisque poterit uti iure suo et ferre censuram, non obstante censura lata ab alio. Oportebit tamen, ut praecedat respectiva contumacia, ut ita dicam, praemissa propria uniuscuiusque monitione. Ita v. gr. si lata ab Episcopo excommunicatione, deinde Pontifex ob contumaciam in eodem delicto eundem reum excommunicet (Suarez l. c.).

Bene autem monet s. Alph. lib. 7. n. 28., quod secundus superior intendere debet (idque expresse significare), se vere novam poenam imponere; alioquin regulariter secunda censura habetur ut innovatio seu publicatio primae, praesertim si prima sit a iure, altera vero ab homine.

Denique idem est proportionaliter in sententiis a iure latis, si iura et praecepta sint formaliter diversa; qualia erunt, si unum sit ius commune, aliud particulare statutum Ordinarii; dummodo constet, novum ius condere et novam poenam imponere voluisse.

Quae quidem animadversio sedulo prae oculis habenda. Scite quippe monet cum DD. Suarez (*de Cens.* disp. 5. sect. 2. n. 8.), ad multiplicitatem censurae non satis esse, quod pluries aliquis denuncietur, seu

publice in ecclesia anathematizetur; quia aliud est denuntiari, aliud censura ligari. Denuntiatio enim non addit novum vinculum, ut dicitur in cap. *Pastoralis* §. *verum, de Appellationibus* et ideo quamvis denuntiatio multiplicetur, non sequitur multiplicari censuram, neque qui pluries sic denunciatur, pluribus indiget absolutionibus.

Item ob eandem causam excommunicatus a iure et denunciatus ab homine, non est bis excommunicatus et ideo duplici absolutione non indiget. Atque hoc modo fieri censendum est, quoties ab eodem iudice ob eandem perseverantem contumaciam in eodem delicto censura aggravari dicitur per multiplicem promulgationem seu denuntiationem anathematis.

80. Ad praecedentes doctrinas referri debet casus, de quo et s. Alph. lib. 7. n. 28., nempe quod is, qui per unicum actum duo peccata committeret specie diversa, quorum unicuique censura esset imposita, tunc duas censuras incurreret, v. gr. si quis clericum occideret in loco, ubi quaevis occisio prohibita esset sub censura. Et Suarez (*de Cens.* disp. 5. sect. 3. n. 14.) exempla addit, quibus triplex imo quadruplex censura incurri posset (a).

Si vero circumstantiae non mutent speciem, sed solum aggravent intra eandem speciem peccati, una incurretur censura; quia una tantum est transgressio.

Ita (inquit Suarez l. c. sect. 3. n. 14.) eandem personam interdictam tempore interdicti sepelire in loco sacro non esset duplex peccatum, neque ex illo orietur duplex censura; quia illae circumstantiae non variant speciem moralem, sed aggravant violationem eiusdem censurae. Ita si quis comederet cibum prohibitum et tempore prohibito sub censura, non ideo incurreret duas censuras, sed unam; quia totus ille actus unius rationis est et illae circumstantiae magis ac magis illum corrumpunt intra eandem speciem.

Unde (pergit Suarez n. 15.) non refert, quod singulae per se sufficerent ad inducendam censuram: quia inde solum colligitur, peccatum gravius et minus grave posse sufficere ad hunc effectum, non vero quod quaelibet maior gravitas multiplicet censuram, si non multiplicat delictum. Idemque erit, si quis violenter percutiat sacerdotem, qui etiam est diaconus, subdiaconus etc., qui ordines per se sufficiunt, ut percussor sit excommunicatus et tamen non propterea in plures excom-

---

(a) « Si publicus usurarius esset excommunicatus et interdictus, sepelire ipsum in loco sacro esset triplex sacrilegium formaliter diversum, et consequenter sufficiens ad tres excommunicationes incurrendas ». Suarez (ib.). Ita quadruplex erit, si 1° presbyter peccat 2° in loco sacro, 3° cum consanguinea, 4° et coniugata, et 5° contra naturam et etiam 6° contra iuramentum.

municationes incidet; quia omnes illi ordines concurrunt per modum unius et solum aggravant delictum in eadem specie.

81. « Si quis (inquit s. Alph. l. 7. n. 28.) reiterat idem crimen moraliter distinctum a primo, cui imposita est censura, toties censuram incurrit; secus si *moraliter* actus non interrumpitur ».

Qua de re Suarez (*de Cens.* disp. 5. sect. 3. n. 1.): « Generalis et recepta doctrina est, quoties novum peccatum contra huiusmodi legem committitur, novam censuram incurri; e contrario vero, si peccatum sit unum tantum, licet continuata mora et per varias actiones fiat, unam tantum censuram incurri ».

« Ratio tota consistit in unitate vel multitudine transgressionum. Nam si transgressio una est, non potest censura esse nisi una; quia lex imponit censuram propter transgressionem: ergo si transgressio una est moraliter et formaliter, etiam censura una erit. Et propter oppositam rationem si transgressiones plures fuerint, etiam censurae multiplicabuntur. Nam lex efficaciam habet contra singulas, sive aliae praecesserint sive non, ut patet manifeste; nam si quis fuisset absolutus a censura contracta propter primam transgressionem et aliam iterum commisisset, sine dubio in novam censuram incidisset. Ergo idem erit, etiamsi prior censura ablata non fuerit, cum ob solam multitudinem in eodem subiecto non repugnet », ut sup. vidimus (sup. n. 78.).

Tota ergo difficultas erit in declarando, quando transgressiones sint nec ne numero distinctae. Sed hac de re agitur in tract. *de Peccatis.*

Illud unum heic monendum, s. Alphonsum subiicere lib. 7. n. 28. nonnullas resolutiones, quas non est necessarium admittere, de sacerdote excommunicato, qui plures successive absolvit: si quis plures clericos uno actu vulneraret. Cf. Tract. *de Peccatis* Vol. I. 634. seqq., ubi ostendimus, oppositam sententiam seu rationem computandi unitatem vel multiplicitatem moralem peccatorum et auctoritatis et rationum gravitate fulciri et multis ex capitibus sententiam a s. Alph. defensam labefactari.

Dub. IV.

Ob quam causam possit ferri censura.

XIX. Resp. Ob solum peccatum externum, censurae proportionatum et coniunctum cum contumacia. Et quidem in interdicto locali potest esse alienum, v. g. Praelati, vel communitatis, non tamen hominis privati, alias requiritur proprium. Bon. par. 3.

82. Plenior ratio singulorum in Resolutionibus.

Iterum breviter dicemus 1° requiri peccatum, seu culpam; quia censura est poena medicinalis, quae necessario supponit culpam corrigendam.

2° Culpa requiritur exterior; quia Ecclesia non solet poenis plectere nisi actus, de quibus iudicare potest: iudicium autem instituere potest solum de actibus exterioribus.

3° Dicitur culpa debere esse proportionata censurae; alias committeretur iniustitia. Ut enim dicitur in cap. *Felicis* 5. *de Poenis* in 6°. *Iudex poenam metietur ex culpa.*

4° Peccato debet accedere contumacia scil. contumacia in Ecclesiam aliquid praecipientem, vel prohibentem sub censura; quia ad hanc maxime puniendam et corrigendam infligitur, ut patet ex cap. *Ex parte* 23. *de Verb. Signif.* et cap. *Cum medicinalis* 1. *de Sent. Excomm.* in 6°. Contumacia dicitur *in Ecclesiam;* quia, quamvis aliquid lege naturali aut divina prohibitum aut praeceptum sit, nisi lex quoque Ecclesiae accedat praecipiens aut vetans, peccatum illud non est obnoxium censurae, quae punit contumaciam in Ecclesiam (cf. resol. 6^m. Schmalzgr. l. 5. tit. 39. n. 55.).

5° Denique monet A., peccatum posse esse *alienum*, si sermo sit de interdicto locali; in quo casu (ut sup. n. 77. diximus) non proprie fertur in poenam illius, qui non peccavit, sed in poenam delinquentis, qui punitur in alio, ut aiunt DD. apud Bonacin. (*de Cens.* in Comm. disp. 1. q. 1. punct. 3. n. 3.) et ideo debet esse culpa vel Praelati vel Communitatis; secus *interdictum* requirit peccatum proprium. Ceterum sup. l. c. monuimus, etiam suspensionem ob alienum peccatum posse incurri quoad actus proprios communitatis.

Unde resolves.

XX. 1. Non possunt censurari infantes, vel amentes; quia non peccant. Bon. d. 1. q. 1. p. 4. Laym. c. 4. r. 3. ex s. Thom. Suar.

83. Quod *infantes* non sint capaces censurae, sententia est communis et clara, inquit Suar. (*de Cens.* disp. 5. sect. 1. n. 17.). Ratio, quia homo ante adultam aetatem neque capax est delicti, quod sit causa proxima censurae, quippe omnis obligatio requirit usum rationis: neque etiam est capax alicuius obligationis vel effectus, qui per censuram inferatur; quippe infantes non sunt capaces spiritualium bonorum, queis privandi forent, nec etiam civilis communicationis.

Excipi posset sacramentum confirmationis: quo tamen eos privare ratione censurae, iniustus esset et intolerabilis error, ut ait Suarez l. c. Nec etiam excludendi a divinis officiis ratione interdicti localis; quia incapaces sunt poenae, ut ait s. Alph. lib. 7. n. 13.

Idem iudicium ferendum est de omnibus perpetuo amentibus; quia cum nunquam habuerint rationis usum, eaedem rationes in illis procedunt. Et in hoc (inquit Suarez l. c.), omnes DD. conveniunt.

84. Quaestio est *de Impuberibus*. Iamvero solent heic DD. distinguere, utrum agatur de censuris latae sententiae, seu ipso iure aut facto incurrendis (quod s. Alph. lib. 7. n. 14. significat verbis « *per modum praecepti* ») an vero de censuris sententiae ferendae, seu, ut ait ibid. s. Alph. *per modum sententiae*.

Si de primis sermo sit, omnes DD. affirmant, etiam impuberes esse capaces, dummodo sint capaces doli.

Veruntamen, ut ibid. subdit s. Alphonsus, communis est DD. sententia, censuras generaliter latas a iure vel ab homine (scil. ipso facto incurrendas), non incurri ab impuberibus, nisi hoc in lege expressum sit; quia (inquiunt Salmantic. *de Cens.* cap. 1. n. 168.) licet Ecclesia possit, non censetur tamen id velle; quippe convenientius virgis, quam censuris impuberes videntur corrigendi.

Satis porro expressi habentur in iure duo casus. Primus est quoad ingressum in monasteria monialium. Nam in Concilio Tridentino (sess. 25. cap. 5. *de Ref. Regular.*) habetur: « Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat, cuiuscumque generis, conditionis, sexus, vel AETATIS fuerit... sine Episcopi vel superioris licentia... sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda ».

Alter casus est quoad clericorum percussionem. Nam in Iure (cap. *Super eo* et cap. *Pueris* final. *de Sent. Excomm.*) dissertissime supponitur et affirmatur, pueros etiam ante pubertatis annos indigere absolutione ab excommunicatione ob clericorum percussionem; quam absolutionem ab Episcopis tribui illis posse ibidem decernitur.

Addit ibid. s. Alph.: « Hinc infert Caelestinus, impuberes nec vi monitorii teneri ad revelandum ».

Desumpta haec sunt ex Salmanticensibus (*de Cens.* cap. 1. n. 168.), apud quos haec Caelestini, nescio cuius, verba referuntur: « Unde vi monitorii non tenentur impuberes revelare; quia illi excusantur a censura ante pubertatis annos ». Sed verba ista nimis a regula abhorrent. Dicere debuit, impuberes non subiici poenae, licet *subiiciantur legi;* neque enim ideo eximuntur ab obligatione revelandi, quia si peccent, censuram non incurrunt.

85. Quoad censuras autem *sententiae ferendae*, ait s. Alph. lib. 7. n. 14., negari a quibusdam, impuberes iis ligari, alios affirmare *probabiliter*.

Melius Suarez (*de Cens.* disp. 5. sect. 1. n. 19.): « Addunt iurisperiti..., necessariam esse puberem aetatem..., quia huiusmodi aetas (impuberis) non censetur sufficiens ad intelligendum ordinem iudiciarium; propter quod nec de iure citari potest, nec ad agendum vel defendendum se in iudicio admitti, iuxta cap. fin. *de Iudiciis* in 6°. Et

quanquam in aliis causis possit per procuratorem vel tutorem agere; tamen in huiusmodi causa, *quae valde ad animum spectat*, non potest ad hoc obligari ».

Qua de re Suarez: « Quam quidem sententiam quoad hanc ultimam partem ita accipiendam censeo, ut ad ferendam iuste et secundum debitum ordinem censuram illa circumstantia aetatis puberis requiratur. Non tamen invenio ius, quo reddatur nulla sententia censurae lata in impuberem: et ideo si alioqui in re intercedat vera contumacia et reliqua necessaria ad valorem censurae, et (seu *etiam*) ex hac parte non censeo esse nullam. Et ita illa aetas per se considerata non pertinet ad capacitatem censurae, de qua agimus. Quod maxime verum habet et in praxi saepe habet locum, etiam absque iniustitia vel indecentia in censura interdicti: nam si populus interdicitur, sine dubio comprehenduntur etiam impuberes, si iam sint doli capaces, quatenus iam possunt vel etiam tenentur sacris interesse, vel ea percipere, humano et rationali modo illis rebus utendo ».

Ita Suarez; cuius tamen postrema animadversio minus forte ad rem facit. Nam ubi *interdicitur populus*, non agitur de censura in puerum ferendam per sententiam, unde debeat in iudicium vocari etc.

XXI. 2. Etsi ob peccatum veniale interdum ferri possit levis suspensio vel leve interdictum; excommunicatio tamen maior, suspensio gravis et interdictum personale speciale, quicquid sit de generali, non potest ferri, nisi ob culpam mortalem; quia alioqui poena non esset proportionata culpae. Imo, cum sint poenae medicinales, non debent infligi pro quovis mortali, sed quibusdam tantum, ne censurae contemnantur, ut monet Trid.

86. Auctor in fine Resolutionis allegat Concilium Tridentinum. Reipsa s. Synodus haec habet (sess. 25. cap. 3. *de Reform.*): « Quamvis excommunicationis gladius nervus sit ecclesiasticae disciplinae et ad continendos in officio populos valde salutaris; sobrie tamen magnaque circumspectione exercendus est: cum experientia doceat, si temere aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni quam formidari et pernicem potius parere, quam salutem ».

Quod autem levis censura aliqua possit ferri ob culpam levem, communis est DD. sententia, ut videre est apud s. Alph. lib. 7. n. 30. in not. huic resol. interposita et Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 59.

Hinc excommunicatio *minor* lata a iure ex omnium sententia incurrebatur propter peccatum veniale. Ratio est, quia etsi maximis bonis privet, scilicet sacramentorum perceptione; facile tamen tolli poterat cum quilibet sacerdos, iurisdictionem habens, ab ea posset absolvere.

Eodem modo ob culpam venialem potest inferri levis aliqua suspensio, vel leve ac pure personale interdictum, quae reservata non

sint (et (a) ad breve tempus) et quae privent aliquo tantum usu ac minoribus commodis, quam privet excommunicatio minor, v. gr. interdictum vel suspensio ab officio, suspensio a sollemni ecclesiastico officio, ab aliquo sacramento administrando, interdictum ab ingressu Ecclesiae, vel a perceptione sacramentorum (quae non includitur in interdicto ab ingressu Ecclesiae Schmalzgr. tit. 39. n. 387.). Sed de his infer. suo loco.

87. Si vero agatur de excommunicatione maiori, aut de suspensione sive interdicto, prout communiter feruntur, scil. ad omnem usum, (et *ad longum tempus*, addit s. Alphonsus l. c.), *ex communi omnium sententia,* ut ait Schmalzgr. l. c. n. 57. hae ferri ob culpam venialem non possunt.

Ratio, quam et Auctor tangit, est, quia istae sunt poenae gravissimae ac proinde improportionatae ad culpam levem.

Et quidem, ut ait s. Alph.: « invalida est censura gravis, ob culpam tantum levem imposita, ut *communiter* docent DD. ».

Quod tamen s. Alphonsus l. 7. n. 31. addit, id evinci tum ex can. *Nullus* 42. *Caus.* 11. q. 3., tum ex Tridentino (sess. 25. cap. 3. *de Reform.*), hoc minus exacte dicitur. Et verba Tridentini quidem iam retulimus (n. praec.) in quibus admonitio habetur, ne tales censurae ferantur; sed declaratio nullitatis neutiquam ibi habetur. Idem porro dicendum etiam de allegato canone, qui sic se habet: « Nullus sacerdotum quenquam rectae fidei hominem pro parvis et levibus causis a communione suspendat, praeter eas culpas, pro quibus antiqui patres arceri ab Ecclesia iusserunt committentes ».

Cum ergo censura non incurratur, nisi culpa sit gravis, proinde quisquis aut per ignorantiam aut inadvertentiam, aut aliam causam v. gr. passionem excusatur a gravi culpa, cui excommunicatio aut suspensio aut interdictum adnexum est, is etiam ab his censuris excusatur, ne illas incurrat. Ita Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 58. Laym. lib. 1. tr. 5. part. 1. c. 5. n. 1. s. Alph. n. 31.

Et s. Thom. Suppl. q. 21. art. 3.: « Cum (iudex ecclesiasticus) non debeat a regno excludere nisi indignos, ut ex definitione clavis patuit, nec aliquis reddatur indignus, nisi per peccatum mortale caritatem amiserit, quae est via ducens ad regnum; ideo nullus excommunicari debet nisi pro peccato mortali.

88. Quamquam vero praeceptum de re, *per se levi*, non obliget sub gravi atque adeo transgressio eius nec gravem culpam nec poenam

---

(a) Haec verba addit s. Alphonsus lib. 7. n. 30.; at superius (n. 18.) advertimus has non esse proprie *censuras,* sed potius poenas ac melius dicendas esse *inhabilitationes*.

censurae inferat; praecipi tamen sub gravi et censura sanciri potest res levis in se spectata, quando *gravis* evadat ratione aut scandali, aut periculi, aut finis intenti etc. Ita v. gr. excommunicatio incurritur ob clerici percussionem in *se levem* (a), ob gravem nempe irreverentiam status clericalis — ita iuste sub censura praecipitur, ut quidam interveniant publicae processioni ad rem gravem ordinatae — item contra tantillum ingredientes ianuam monasterii (b) — item in clericos nutrientes comam. Secus tamen (inquit s. Alph. n. 31.), si res et levis in se foret et ad finem intentum leviter conduceret. Ita (inquit Suarez *de Cens.* disp. 4. sect. 6. n. 12.) si res furto sublata sit levis ac levis culpa, docent omnes, invalidam esse censuram, qua praecipiatur restitutio. Quando tamen res per se gravis a multis per furta, singillatim sumpta, minuta sublata esset, posset sub censura praecipi singulis restitutio; impossibile enim est grave damnum v. gr. vineae illatum reparare, nisi singuli suam partem restituant: proinde cum finis praecepti sit gravis et res praecepta sit fini huic necessaria, gravitas non ex materia, sed ex fine desumitur. Vid. et Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 60. (c).

89. In dubio autem, an materia praecepti tum in se spectata, tum habita ratione finis et adiunctorum, sit gravis, dicendum est cum s. Alph. n. 32., standum esse pro auctoritate Praelati, quae est in possessione, atque adeo edicto censurae suam vim esse asserendam. Quanquam bene monent DD., cavendum esse Praelato, ne subditos ob materias non tam graves, quando non constat illas valde conducere ob finem bonum, censuris gravent (s. Alph. ibid.).

Quaestionem facit s. Alph. lib. 7. n. 33., quando censura arguat grave peccatum et supponitur, rem praeceptam per se nec certe gravem nec certe levem esse, talem tamen apparere, quae ad intentum finem conferre multum potest. Quaeritur itaque, an, si addatur censura, praeceptum debeat censeri grave.

Bene autem ex praemissis doctrinis respondet, quod grave censeri debet praeceptum, si addatur censura latae sententiae; quia cum haec

---

(a) Levem nempe in ratione percussionis: at non levem in ratione inhonorationis. De hac re infra inter censuras Const. *Apost. Sedis.*

(b) Quaestio, an in violatione clausurae admitti possit parvitas materiae, vid. apud Diana tom. 5. tr. 1. res. 83., et tom. 7. tr. 1. resol. 338. 339. ubi affirmativam probabilem dicit ad duos passus per tempus *credo.*

(c) Bene Lugo *de Iust. et Iur.* disp. 16. n. 61.: « Tunc retinentes non peccabunt quidem graviter contra iustitiam; quia materia semper est levis: poterunt tamen... peccare graviter contra obedientiam; quia Praelatus iustas ob causas poterit graviter praecipere restitutionem in ordine ad aliquem finem gravem necessarium, sicut potest praecipere graviter alios actus non debitos ». Ita fere et Lessius lib. 2 c. 12. n. 54. et Sanchez lib. 7. *in Decal.* cap. 21. nn. 28. et 29., *qui omnino videndi sunt.*

gravem culpam exigat, eo ipso apparet, Praelatum id praecipere sub gravi.

Si vero censura sit tantum ferendae sententiae et quidem *ad eam incurrendam praerequiratur monitio*, tunc, si materia non est per se gravis, non arguitur gravitas praecepti. Ratio est, quia censura censetur infligenda non ob violationem illius praecepti, sed potius propter violationem seu *contemptum monitionis*, ut notant post alios Salmanticenses *de Censur.* cap. 1. n. 135.

XXII. 3. Actus peccati, ob quem censura fertur, debet esse mortalis, non tantum quoad actum internum, sed etiam quoad substantiam operis externi. Hinc non excommunicatur leviter percutiens Clericum, etsi intentionem mortalem habuisset: uti nec qui interius tantum est lapsus in haeresim, quam exterius non significavit; quia Ecclesia tantum iudicat de externis, Bon. l. c.

90. Duo in hac resolutione habentur: alterum disserte expressum, alterum vero implicite subauditum.

Subauditum autem est generale principium, censuras non incurri ob actum mere internum. Et quidem quaestionem omittimus, an Ecclesia actus mere internos possit praecipere (de qua agimus in tract. *de Leg.* vol. I. 310. seqq.) et an sit absurda actus mere interni sanctio, si iudicium fiat per legem et non per personam, ut contingit in censuris ipso facto incurrendis.

Equidem libentius dixerim cum Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 62., veriorem videri sententiam, quae negat, *actum mere internum sufficere ad censuram incurrendam*, quam absolute dicere cum s. Alph. n. 34. post Salmanticenses *de Cens.* cap. 1. n. 136., *censuram pro actu mere interno impositam esse invalidam*. Nam prior assertio ad praxim et usum Ecclesiae refertur, altera vero quodammodo ad ius ac potestatem. Porro nobis in praesens sufficit nosse, Ecclesiam non consuevisse censuras pro actu mere interno imponere; nec ullo modo necessarium est ulterius progredi ad hanc potestatem Ecclesiae negandam.

Porro hoc est, quod expresse et disserte in hac resolutione enunciatur, ad incurrendam censuram non sufficere, ut quis graviter delinquat, sed requiritur, ut graviter culpabilis sit actus exterior in se spectatus.

Auctor exemplum affert levis percussionis clerici: sed haec ita est intelligenda, ut levis sit non solum in ratione iniuriae corpori illatae, sed etiam in ratione inhonorationis et vilipendii.

Aliud exemplum habes in eo, qui in levi materia legat librum, cuius lectio interdicta sit sub censura, licet ille pravo suo proposito mortaliter peccaverit. Item si grave lasciviae peccatum sub censura prohiberetur, hanc non incurreret ille, qui licet interius ex pravo affe-

ctu graviter peccaret, actum tamen exteriorem poneret, qui in se spectatus non sit graviter malus, v. gr. leviter contrectando manum, aut humerum, aut verbum aliquod subobscenum proferens.

91. Quoad A. de haeresi dicit, refertur ad generale principium (sup. n. 82.), ad incurrendam censuram necesse esse, ut actus exterius prodeat.

Ergo licet quis interius in haeresim consentiat, censuram tamen huic crimini adnexam non incurrit, nisi eam exterius significet.

Neque sufficit (ut notat s. Alph. n. 34.), quod quis v. gr. intendens haeresim suam confirmare, mensam percutiat aut dicat, *ita est;* quia per haec non significatur exterius haeresis. — Item nec si quis fornicetur, haeretica mente iudicans, fornicationem licere.

Occasione huius quaestionis, addit s. Alph., probabilius esse, quod censuram latam in omittentes breviarium aut Missam incurrat ille, qui omnino distracte aut illud recitat, aut hanc audit; quia (inquit) probabilius requiri intentionem internam tenuimus.

Quae quidem resolutio s. Doctoris duplici de causa apparet difficilis. 1° Quia ubi de poenis agitur, lex est stricte interpretanda: porro si sub *omissione Officii vel Missae* comprehendas etiam haec distracte peracta, non stricte, sed late imo latissime interpretaris. 2° Quia s. Alph. allatis oppositis sententiis circa necessitatem attentionis in recitando officio, sic concluserat (lib. 4. n. 177. v. *His tamen*): « Prima sententia (exigens attentionem) probabilior *videtur,* saltem ob auctoritatem extrinsecam...; sed secunda tum ob Doctorum auctoritatem, quae non est contemnenda (a), tum ob rationes non levibus fundamentis innixas, satis probabilis apparet ». Quomodo ergo tenebimus, ob problematicam illam probabilitatem incurri censuras? Nihil moror quoad Missam, ubi minus adhuc valeret ratio distractionis. Cf. Vol. II. 786. seqq.

XXIII. 4. Actus peccati in suo genere debet esse perfectus et consummatus, nisi expresse aliud sonent verba legis; quia poenae et odia sunt restringenda. Hinc excommunicationem homicidae non incurrit favens, mandans, consulens, iuvans nec vulnerans letaliter, nisi mors sequatur. Item, quando excommunicatur mandans, consulens etc. vel ferens suffragium pro indigno, subintellige, efficaciter, seu effectu secuto, quia sine eo mandatum, consilium et suffragium non est completum et perfectum in genere homicidii, furti etc. Alii tamen attendendum esse putant, utrum in mandantes et consulentes etc. principaliter et per se feratur excommunicatio, an vero accessorie tantum: et dicunt priore casu esse excommunicatos, etsi non sequatur effectus, non item in posteriore. Quae sententia in praxi est tutior. Bon. l. c.

92. Verba Auctoris paulo obscura sunt: melius diceres cum Schmal. lib. 5. tit. 39. n. 64.: « Ut incurratur censura, peccatum illud exter-

(a) Concedit nempe s. Alph., pro hac sententia praeter alios graves ac multos stare etiam, s. Thomam et s. Antoninum.

num, ob quod censura contrahenda est, debet esse completum in suo genere secundum proprietatem verborum, quae in praecepto seu lege continentur ». Et aliis verbis: *Ad incurrendam censuram debet esse in suo genere completum peccatum illud, cui censura adnexa est.*

Proinde si sub censura reservetur seu censura plectatur *incestus*, non incurretur censura nisi ob copulam carnalem perfectam cum consanguinea vel affini. Ergo non incurretur ob aspectus aut meros tactus utcumque impudicos, neque etiam ob copulam imperfectam: itemque cum incestus proprie dicatur de carnali copula cum consanguinea vel affini, non incurretur censura ad copulam cum persona, quacum intercederet cognatio *spiritualis* vel *legalis*.

Contra si lex sub censura prohiberet *actus inhonestos* cum consanguineis vel affinibus aut persona sacra, ad hanc censuram incurrendam non requireretur copula perfecta, sed sufficerent v. gr. tactus impudici; quia secundum proprietatem verborum eiusmodi tactus sunt *actus inhonesti*.

In exemplo allato ab Auctore ideo censuram non incurrunt *favens, mandans, consulens, iuvans* aut *vulnerans letaliter* (nisi mors sequatur); quia secundum proprietatem verborum homicida est, seu homicidium committit ille, qui mortem reipsa infert. Quocirca nisi isti expresse in lege memorentur, censuram non incurrunt.

Absolute loquendo dici possunt isti delictum committere, at non sensu proprio et rigoroso, nam delictum in sensu presso significat actionem physicam, non vero moralem, ut colligitur ex c. fin. *de Clericis pugnant. in duello*, ubi pugil dicitur vere *homicida*, non autem mandans. Alias rationes et difficultatum solutiones vid. apud Schmalzgr. (lib. 5. tit. 39. nn. 69.-71.), ubi etiam *exceptionem* advertit, nisi scil. lex evaderet inutilis et frustratoria, nisi et mandantes etc. comprehenderet, iuxta regulam traditam in c. *Si Civitas* 17. h. t. in 6°. Ita v. gr. si parochus alienus committat alteri officium assistendi matrimonio, non incurrit suspensionem, quae inflicta est alieno parocho assistenti (Sanch. *de Matr.* lib. 3. disp. 49. n. 4.).

Hinc solvitur quaestio, quam motam novi occasione excommunicationis, quae in quibusdam dioecesibus inflicta est in parentes, qui *permittant copulam carnalem inter sponsos, aut eos pernoctare sub eodem tecto sive in eadem domo*. Contendebant quidam censuram eiusmodi incurri a parentibus tunc quoque, quando fornicatio accideret ob defectum vigilantiae ac custodiae; unde torquebant conscientias parentum, nisi diligentissime praecaverent occasionem quamlibet, qua filia manere sola posset: alii censuram incurri contendebant a sororibus, fratribus etc., qui pernoctationem talem permitterent. Atqui falso utrumque statue-

batur. 1° Quia nomine *parentum* proprie non veniunt nisi genitores. 2° Quia *permissio* proprie non dicit merum defectum vigilantiae aut custodiae, sed deliberatum consilium seu consensum in non impediendum quidpiam, quod *futurum certo scio* et quod in casu teneor ac possum impedire.

93. Aliam partem habet haec resolutio, qua statuitur, ad incurrendam censuram requiri *completum illum effectum, quem legislator intendit sub censura prohibere.* Quippe lex non ligat nec operatur ultra legislatoris *intentionem verbis expressam:* tum etiam quia versamur in materia odiosa, quae stricte explicanda est.

Inspicienda ergo et perpendenda sunt diligenter verba; nam quando haec significant, sub censura prohiberi effectum ultimum; haec non incurritur nisi effectu illo ultimo sequuto. Quando sub censura prohibetur principaliter ipsa actio vel conatus, tunc ea posita statim incurretur censura, etiam effectu non sequuto; quia sufficienter completus censetur actus sub censura prohibitus. Ita v. gr. censura, quae forte feratur contra procurantes abortum vetitum effectu non sequuto.

Itaque si ob homicidium lata sit excommunicatio, haec non incurritur, si homicidium attentatum sit, non tamen secutum, ut sup. innuimus. Nec refert, utrum homicidii impedimentum provenerit a causa naturali aut supernaturali atque etiam miraculosa (Bonac. disp. 1. q. 1. p. 4. n. 12.). Itemque excommunicatio canonis non incurretur ab eo, qui sagittam emittat in clericum, sed illum non attingit. Ratio, quia non habetur actio sub censura interdicta, scil. iniectio violenta manuum etc. (Bonac. disp. 1. q. 1. p. 4. n. 13.).

Hinc et aliud consectarium, quod quando principaliter prohibitus est effectus, v. gr. homicidium aut clerici percussio, mandantes et consulentes non incurrunt censuram, effectu nondum sequuto; quippe in hoc casu mandatum et consilium prohibentur tantummodo accessorie. Idcirco si quis det mandatum percutiendi clericum, non labitur in excommunicationem ante sequutam percussionem. Proinde qui voce, scripto, consiliis, pecuniis collatis aut armis opem ferunt, aut incitant ad invadendam Ecclesiae ditionem, non incurrunt, nisi haec invasio fuerit sequuta.

94. Secus vero dicendum, quando actio ipsa mandandi prohibetur et mandatum seu consilium principaliter interdicitur sub censura. Tunc enim per ipsum mandatum seu consilium censetur impleri actio prohibita sub censura, atque adeo ad censuram incurrendam non est insuper necessarium, ut sequatur effectus mandati vel consilii. — Ita contingit v. gr. in excommunicatione lata contra mandantes homicidium per Assassinos. Hi enim censuram incurrunt ante sequutum

homicidium; quia sub censura aeque principaliter prohibetur mandatum sicut homicidium *secundum communiorem, A. dicit tutiorem.* — Ita in Clementin. *de Poenis* cap. 1. excommunicantur mendicantes, qui in concionibus conentur verbis avertere populos a solutione decimarum et hanc incurrerent plene, etiamsi effectus non sequeretur (Salmant. *de Cens.* cap. 1. n. 144.). Quam doctrinam probat et s. Alph. n. 38.

Quam in rem Croix lib. 7. n. 59.: « Censura tunc fertur tantum *accessorie* in mandantem vel consulentem, quando in lege utique tum mandans tum consulens exprimuntur, ita tamen ut lex non praecise respiciat mandatum vel consilium, sed potius rem ipsam seu effectum, ut v. gr. percussionem Clerici; quam quia vult impedire, prohibet etiam indirecte mandari et consuli. E contra tunc principaliter fertur etiam in ipsum mandantem vel consulentem, quando vult impedire non tantum ipsum effectum, sed etiam in se et ratione sui ipsummet mandatum et consilium ».

Quando vero dubitatur, an mandatum vel consilium aeque principaliter prohibeantur, praesumendum est, prohiberi tantummodo accessorie; eo quod odia sint restringenda et in poenis mitior ac benignior pars sit accipienda (Bonac. disp. 1. q. 1. p. 4. n. 15 in fin.).

Quando vero dubium sit, an mandatum vel consilium influxerit in effectum, s. Alph. n. 39. censet probabilem esse sententiam, quae negat censuram incurri: quia scil. ad inducendam poenae obligationem debet de crimine eiusque effectu constare.

Item retineri potest, censuram non incurri ob mandatum vel consilium, quando ei datum est, qui iam erat determinatus ad opus exsequendum. Quippe non censetur consilium influere in effectum. S. Alph. n. 38 in fin.

Quoad eum, qui consilium suum vel mandatum revocaverit ante exsecutionem, communior et probabilior sententia est, ut ait Suarez *de Censur.* disp. 44. sect. 3. n. 13., et adoptat s. Alph. n. 40., censuram non incurrere. Idque valet tum quando consilium movebat solum affectum alterius, tum etiam quando intellectui persuasionem iniecerat. Nam, ut ait Suarez l. c., si consiliarius fecit, quod moraliter potuit et debuit ad tollendam moralem illam causalitatem, cuius fuerat auctor per consilium et ad impediendum illius effectum, censetur illam moraliter abstulisse et idcirco illi iam non imputatur crimen etc. Vid. et Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. nn. 72. 74.

95. Subnectit s. Alphonsus n. 40. quaestionem, an censura ligetur qui revocavit quidem, seu potius revocare conatus est mandatum vel consilium, sed innotescere revocatio non potuit mandatario seu exsecutori. Quem casum comparant Salmanticenses *de Cens.* cap. 1. n. 153.

cum eo, qui venenum alicui dederit, sed deinde poenitentiam agat, antequam hic moriatur.

Et s. Alphonsus probabilem dicit opinionem Salmanticensium aliorumque, vel quos hi allegant, vel qui eos sunt sequuti et docent, talem non ligari censura; quia (inquiunt) censura non fertur nisi in contumaces et inobedientes. Contumax autem non est, qui poenitentiam iam egit, adeo ut effectus sequens, scil. mors, ne dici quidem peccatum possit. Unde alia exsurgit ratio; quippe censura non fertur nisi ob peccatum; peccatum autem non dicitur effectus ille, cuius causa per poenitentiam abrupta est. Quanquam addere debuisset s. Alph., quod advertunt Salmanticenses, id intelligi solum *de foro interno:* nam in externo merito haberentur ut excommunicati.

Sed iuxta ea quae alibi disputavimus (*de Peccatis* vol. I. 512.) eiusmodi opinio ad summum habet aliquam *extrinsecam* probabilitatem. Nam rationes nullius prorsus sunt ponderis. Contumacia enim voluntatis ad censuras incurrendas est ea, qua quis sciens et volens legem transgreditur, non autem defectus retractationis, antequam ultimus effectus sequatur: licet Ecclesia noluerit censuram incurri, antequam hic effectus reapse locum habeat. Quod sapienter provisum est, ut plures ambiguitates tollantur: nec censura punit peccatum malae voluntatis perseverantis usque ad consummationem effectus, sed punit peccatum voluntatis ponentis causam, utut expediret poenam non incurri nisi effectu sequuto, ne scil. ob incertum criminis eventum incerta esset censura et haberetur excommunicatus, qui deinde detegebatur non reus homicidii, cum mors sequuta non esset. Ita ex doctrina Suarez et Lugo in l. c. (a).

(a) Contra haec Vindices quatuordecim columnas scribunt (pag. 841.-848.) et duo contendunt (pag. 846. 847.) videlicet 1° quod *Suarez nullatenus oppositam sententiam tenet nec ullo modo S. Alphonso contrarius est:* 2° quod *Lugo doctrinam prorsus singularem tradit.*

Et quod ad primum attinet, quaestionem VV. constringunt ad ea, quae Suarez disserit (in l. 2. tr. 5. *de Peccat.* disp. 3. sect. 4.), ubi quaerit, *quo tempore censeatur quis peccare peccato omissionis;* quam quidem disputationem VV. tantum non totam per quatuor columnas (pag. 844.-846.) transscribunt. Duo autem sunt, quibus insistunt. Ac 1° cum Suarez n. 7. praemittat: *Quaeres, an possit contingere, voluntatem, quae est causa omissionis ut sic, esse culpam et tamen omissionem postea sequutam nullo modo esse peccatum:* v. gr. *si aliquem, antequam sequatur omissio, poeniteat prioris culpae et causae datae, tamen non possit impedire effectum;* respondeat autem huic questioni n. 8., *utrumque modum loquendi esse probabilem:* hinc VV. pag. 846. concludunt (ut videntur) probabilem fuisse Suaresio S. Alphonsi opinionem. — 2. Advertunt VV. pag. 846., quod licet Suarez affirmet, reum utut poenitentem *iuste puniri posse,* tamen id *de sola irregularitate* dici, non vero de excommunicatione. Sic enim Suarez l. c. n. 7.: *Quantumvis illum hominem poeniteat postea, propter illum actum iuste punitur et manet irregularis: ergo ille actus exterior habet rationem peccati.* Discriminis porro, quod in rem praesentem VV. confingunt, inter *irregularitatem* et *censuram,* hanc rationem (ibid.) reddunt, quod *irregularitas poena vindicativa est.....,* *poena autem excommunicationis medicinalis est.* Et de hac subdunt: *Si fecit* (reus poenitens) *quod potuit et executionem impedire nequivit, excommunicationem non incurrit, quia contumacia deest, quae ad quamlibet censuram incurrendam necessario requiritur.*

S. Alph. n. 40. addit, sententiam Salmantic. probabilem ostendi ex eo, quod qui praebet venenum clerico, non incurrat probabiliter censuram, antequam venenum laedere incipiat.

Resp. ad 1m. Quod Suarez dicat, *utrumque loquendi modum esse probabilem,* nihil omnino pro causa VV. concludit. Agitur enim de mera *denominatione* et, ut idem Suarez n. 3. dixerat, *dissensio forte est de nomine.* Alioquin vero, fatentibus ipsis VV., sive omissio illa, de qua sermo, dicatur *peccatum*, sive non appelletur *peccatum,* certa est sententia Suaresii, reum illius omissionis *iuste puniri.* Incassum ergo VV. insistunt probabilibus hisce loquendi modis, quando non *probabiliter*, sed *certe* poena infligitur.

Resp. ad 2m. Quod Suarez, quando dicit, nihilominus *reum iuste puniri*, intelligi debeat de *sola irregularitate*, non autem de poena *excommunicationis*, manifeste falsum est. Nam in antecedentibus n. 3. Suarez aperte indicat quòd in casu *si omissio révera sequuta fuisset et si tali omissioni esset imposita poena excommunicationis vel irregularitatis, illam* (reus) *incurreret.* Ergo quod deinde n. 7. nominet dumtaxat irregularitatem, id solum exempli causa facit, non vero ad aliarum poenarum atque adeo censurarum exclusionem, si quae sint omissioni eiusmodi impositae.

Ratio autem, propter quam VV. dicunt, in casu reum, si causae positae ipsum poeniteat, incurrere quidem *irregularitatem,* non vero *excommunicationem*, non innititur demum nisi praeposterae notioni *contumaciae* ad incurrendas censuras necessariae, quam deinde notionem gratis Suaresio affingunt. Contumacia videlicet in praesenti quaestione non in eo sita est, quod quis post violatam legem sub censura praecipientem in eadem mala voluntate perseveret, sed in eo omnino quod sciens et volens quis legem et censuram inobediendo contempserit: apposite Reiffenstuel lib. 5. tit. 39. n. 14: *Dum dicitur ad incurrendam censuram requiri contumaciam, non est intelligendum, quasi requireretur contumacia expressa et formalis; sufficit enim contumacia virtualis et contemptus Ecclesiae interpretativus* IN HOC CONSISTENS, QUOD QUIS SCIAT, ALIQUID PER LEGEM AUT LEGITIMUM SUPERIOREM ECCLESIASTICUM SUB CENSURA ESSE PROHIBITUM ET TAMEN ILLUD FACERE PRAESUMAT. Neque vero aliter Suarez (*de Cens.* disp. 4. sect. 3. n. 10.): *Si lex absolute praecipiat et censuram ferat contra transgressores, tunc voluntarium, quod sufficit ad peccandum deliberate et humano modo contra illam legem et ad contumaciam ad censuram, satis est ad talem poenam ipso iure impositam incurrendam. Haec regula videtur manifesta ex terminis: quia sicut illa lex absolute prohibet tale delictum, ita absolute profert censuram: ergo ex vi talis legis non plus nec alius modus voluntarii requiritur ad incurrendam censuram, quam ad peccandum contra ipsam legem.* Ergo sicut ad rationem peccati non pertinet, quod deinde peccator in mala voluntate perduret, ita nec ad incurrendam censuram plus aliquid requiritur, quam contumax in ipsa transgredienda lege inobedientia.

Sed nihil opus est pluribus immorari, quando praesentem quaestionem habemus a Suaresio, non secus ac a Lugo aliisque solutum. De eo enim disserens (*de Cens.* disp. 20. sect. 3. n. 16.), *qui habet obligationem ad solvendum pensionem intra mensem et nunc in principio mensis est potens ad solvendum, nihil tamen curans de solutione pensionis, omnia expendit et ita fit impotens ad solvendum*, haec statuit: *Dico igitur; hunc non excusari, quominus, si praescripto termino elapso, petitam pensionem non solvat, excommunicationem incurrat. Ratio a priori est, quia ille revera agit contra praeceptum et consequenter est contumax: sicut etiam agit contra praeceptum de recitando officio, qui se reddit impotentem ad recitandum.*

Quod vero non excusetur ab incurrenda censura, utcumque eum poeniteat, sic prosequitur et explicat Suarez n. 17.: *Recolendum est autem in huiusmodi casibus, aliud esse* tempus, quo delinquitur coram Deo, aliud vero in quo excommunicatio incurritur. Delinquit *enim aliquis eo tempore, quo fit impotens ad solvendum iuxta praefixum terminum; non incurrit autem excommunicationem, donec re ipsa talis terminus finitur non impleta obligatione: quia censura non contrahitur, donec omissio praecepti exterius consummata sit. Quamvis autem causa omissionis prius posita fuerit et ideo delictum tunc maxime commissum fuerit, tamen omissio re ipsa consummata non fuit usque ad praefixum terminum et ideo usque ad illum non incurritur excommunicatio: a qua non potest tunc impotentia excusare: quia cum haec fuerit voluntaria, non facit omissionem involuntariam: sed* RELINQUIT ILLAM PECCAMINOSAM ET CONTUMACEM EX VI PRIORIS CAUSAE, ETIAMSI FORTASSE IAM TUNC DISPLICEAT, QUOD NON SATIS EST AD IMPEDIENDAM EXCOMMUNICATIONEM.

Quomodo autem contingat, ut etiam poena excommunicationis puniatur tanquam reus ille, qui peccati sui iam dolore tactus est, iam explicaverat Suarez loco sup. citato (in l. 2. *de Pecc.* disp. 3. sec. 4. n. 8.). ubi statuit, omissionem culpabilem in causa melius

At 1° Alii reponent, confundi per haec sensum doloris cum laesione. 2° Ea ad rem non facere; quia ex iis non evincitur, censuram non

---

dici peccatum, etsi reus, antequam re ipsa omissio sequatur, ita poenitentiam egerit, ut iam sit constitutus in gratia, uti quidam ibid. n. 7. contra obiiciebant: *Dicendum esset* (inquit Suarez), POENAM *non solum esse impositam actioni exteriori, quia peccatum est tunc cum fit, sed quia per se culpabilis est et causam habet malam voluntatem, licet per accidens contingeret non esse peccatum propter mutationem voluntatis; sed forte magis proprie illa peccata dicerentur, quia procedunt a causa libera et deficiente, quatenus tenetur illa evitare. Neque refert voluntas subsequens; quia illa non est principium omissionis quae sequitur; sed alia prior quae praecessit. Actio autem exterior vel omissio denominatur peccatum a voluntate a qua procedit; unde simul eadem omissio et est volita ut effectus a voluntate, quae est causa eius, et est nolita per modum obiecti et prima voluntas est* volo, *secunda est* nollem, *sequi effectum. Ad confirmationem respondeo, illam omissionem habere duplicem respectum, alterum ad praecedentem voluntatem pravam, cuius est effectus: alterum ad praesentes circumstantias et voluntatem et ut sic, recipit denominationes diversas; neque est inconveniens, eundem actum exteriorem denominari bonum et malum a diversis voluntatibus.* Poena autem, de qua heic Suarez non est sola irregularitas, uti aiebant VV., sed etiam censura, ut sup. ostensum est.

Concludatur itaque, non bene VV. asseruisse, quod *Suarez nullatenus oppositam sententiam tenet, nec ullo modo s. Alphonso contrarius est.* Veniamus ad Cardinalem de Lugo.

Cuius quidem doctrina quam sit consona iis, quae modo ex Suaresio retulimus, patet ex iis, quae (*de Poenit.* disp. 16. n. 445.). respondet ad obiicientes n. 442., *posse contingere quod iam tunc homo iustificatus sit per contritionem aut confessionem, quando ponitur* DE NOVO *effectus prioris voluntatis malae: non sufficit ergo effectus ille ad dandam novam denominationem peccatoris.* Sic itaque Lugo respondet: *Quantumcumque de facto retractetur voluntas praeterita; adhuc si postea subsequitur effectus mortis, non minus incurret irregularitatem aut excommunicationem, qui dederat venenum* IUXTA COMMUNEM FERE OMNIUM SENTENTIAM, *quam si non retractata fuisset voluntas: quia nimirum per illam retractationem non tollitur, quod effectus sequutus sit voluntarius utpote procedens a voluntate.*

Et paulo post n. 446. clariorem sic explicationem addit: *Effectus ille* (scil. mors ex veneno sequuta) *in tantum est voluntarius et liber denominative, in quantum ortum habuit a voluntate praeterita libera, non in quantum pendet nunc a voluntate non retractata. Et ratio est clara; quia negatio retractationis non facit voluntatem nunc magis influere in effectum nec retractatio facit voluntatem minus influere: totus enim influxus ex parte voluntatis est posuisse causam, quam iam nunc tollere non potest. Cum ergo retractatio non minuat positionem causae nec carentia retractationis addat vires causae iam positae; consequens est, ut voluntas eodem modo influat in effectum sequentem, sive retractet sive non retractet; quia non influit ullo modo secundum statum praesentem, sed solum secundum statum praeteritum, ut praeterritus est.*

Hinc duo concludere fas sit. Nam 1° Lugo, uti patet, testatur, in casu *excommunicationem iuxta communem fere omnium sententiam incurri.* Quid est ergo, quod VV. pag. 847. affirmant, *Lugo heic tradere doctrinam prorsus singularem?* 2° Inanis ergo est eorum ratio, qui ideo excusant reum poenitentem a censura incurrenda, quod non sit imputabilis effectus, postquam causa retractata est. Quae quidem ratio evinceret contra ac etiam s. Alphonsus post alios docet, ne irregularitatem quidem incurri.

Et hoc est, quod advertit etiam Lessius, ubi lib. 2. cap. 13. n. 17. scribit: *Si (mandati) revocatio non innotescat mandatario, tenetur mandator, effectu sequuto, non minus, quam si non revocasset; quia ex vi mandati damnum datum est. Unde etiam incurrit censuras et irregularitatem, si forte mandanti posita sit. Nec refert, quod modo sit in statu gratiae; quia etsi censura talis non contrahatur nisi per peccatum mortiferum, non tamen est opus, ut illius peccati culpa tunc committatur, sed sufficit commissam esse et effectum eius seu opus externum ex vi illius tunc fieri sicut in proposito accidit.*

Coninck vero disp. 14. n. 183. iam occurrerat rationi, quam magni facere VV. videntur, nimirum quod reus omnem diligentiam ad impediendum effectum adhibens contumaciam deposuerit. *Quando etiam* (inquit Coninck) *post omnem huiusmodi diligentiam adhibitam nihilominus constaret, alterum* (mandatarium) *adhuc vero permotum fuisse sive mandantis sive consulentis auctoritate aut rationibus ad facinus perpetrandum..., eo inquam casu ille vere incurreret poenas statutas tale opus mandantibus aut consulentibus: quia tales poenae generatim statutae sunt iis, qui tale facinus cum effectu sequuto mandant aut consulunt: atqui tales hoc casu vere hoc ita fecissent; ergo eas poenas incurrerent. Nec refert, quod*

incurri, in casu, si quis de peccato doleat priusquam venenum laedat, seu potius antequam dolores pariat.

mandantem iam vere poeniteat hoc mandasse, aut quod per contritionem aut confessionem sit in statu gratiae...; quia his omnibus non obstantibus sicut eo casu erit vere causa iniuriae, ita eas poenas incurret: sicut qui mandasset, clericum alibi exsistentem mutilari et postea facti poenitens et contritus ac confessus, tempestive mitteret etiam viginti nuncios, qui mandatum revocarent et facinus quacumque ratione impedirent, quantumcumque etiam ad hoc diligentiam adhiberet, si tamen illi etiam ex pura malitia ac dolo desinerent mandatum mandatario intimare, effectu sequuto mandans excommunicationem, irregularitatem ac obligationem restituendi damnum, quod clericus pateretur, incurreret, ut omnes fatentur. Nota istud: UT OMNES FATENTUR. Quomodo igitur VV. scribunt, *Lugo heic tradere sententiam prorsus singularem?*

At enim videntur VV. non quidem negaré per haec verba voluisse, communem aliis fuisse Lugo doctrinam huc usque expositam, sed Lugo adscripsisse quoddam aliud doctrinae portentum, quod revera prorsus singulare quisque diceret ac simul stuperet vehementer. Tribuunt nimirum Lugo, quod asserat, excommunicationem incurri, cum datur mandatum: mandantem autem ab excommunicatione liberari, cum poenitentiam agit ante sequutum effectum, sed rursus deinde in excommunicationem relabi, quando effectus sequitur!!! Ita illi pag. 847.: *Ex eius* (Lugo) *sententia mandans vel consilians homicidium, eo tempore, quo mandatum dat vel consilium, excommunicationem, at non poenas excommunicationi adnexas incurreret; quia Ecclesia eum non vult punire nisi posita conditione effectus sequuti. Quod si interea veram poenitentiam ageret de delicto commisso, a vinculo excommunicationis liberaretur: nihilominus autem effectu sequuto* DE NOVO *excommunicationem, et quidem hac vice cum poenis adnexis incurreret.* Ita illi.

At enim quaeres enimvero: ubinam novum hoc doctrinae monstrum VV. introspexerint in Lugo libris? Sed in promptu Lugo locus est, quem ipsis VV. referunt ex disp. 16. *de Ponit.* n. 453. Sic ibi Lugo: *Obiiciunt secundo: Quia nunc incurritur censura, quando ponitur effectus et non antea: haec autem non incurritur, nisi propter peccatum: ergo nunc ponitur etiam peccatum. — Respondetur, negando consequentiam; nam censura incurritur* NUNC *propter peccatum praeteritum, quod tamen Ecclesia non vult punire, nisi posita conditione effectus sequuti. Unde contingere etiam potest, quod incurratur censura ab eo, qui iam per contritionem vel per attritionem cum Sacramento est iustificatus a peccato praeterito: quia censura est poena, qua adhuc Ecclesia iuste punire potest hominem propter peccatum praeteritum. Et sicut excommunicatus, licet per contritionem iustificetur, adhuc manet excommunicatus, donec absolvatur, ita potest quando iam est contritus incurrere* DE NOVO *excommunicationem propter peccatum praeteritum. Et quidem propter censuram vel reservationem, aliquando, non aliter, nisi sequuto effectu, oportebit in confessione explicare etiam effectum sequutum.* Hucusque Lugo.

In cuius verbis quomodo VV. illa portenta viderint, divinare vix enimvero liceret. Nam 1° Lugo, dum obiectionis concedit *antecedens* et negat *consequentiam*, eo ipso affirmat, excommunicationem non incurri ante effectum sequutum: quomodo igitur VV. Lugo affingunt, quod *censura tunc incurratur, cum datur mandatum?* 2° Lugo disserte heic dicit, excommunicationem non tolli nisi *per absolutionem*, utcumque reus iam sit iustificatus per contritionem; quomodo ergo VV. Lugo affingunt, quod per poenitentiam reus liberetur ab (imaginaria) illa excommunicatione et deinde aliam, sequuto effectu, excommunicationem incurrat? 3° Lugo non aliam poenam heic memorat, qua reus ab Ecclesia iuste punitur, nisi poenam censurae: quomodo ergo VV. confingunt *poenas excommunicationi adnexas*, quas Lugo asserat non incurri, cum mandatum datur, sed solum post effectum sequutum?

Sed enim ipsi VV. candide aperiunt horum phantasmatum originem. Praemissis enim sup. n. 13. verbis subdunt: *Non videmus, quomodo haec* (Lugo) *sententia aliter explicari possit, cum expresse dicat:* DE NOVO; nimirum istud *de novo* VV. ita explicant, quasi ibi significet *iterum*. Atqui norunt omnes, istud *de novo* usurpari etiam pro *nove* seu *noviter* (Vid. Lexic. ad V. *Nove*), idest ad id designandum, quod non antea contigerat; et quidem hoc sensu adhibitum istud *de novo* apud Lugo ipsum cernere licebat paulo ante textum allatum (vid. sup. in primis verbis ex Lugo citatis), ubi scribit: *Quando ponitur* DE NOVO *effectus prioris voluntatis*: neque enim intelligi potest de effectu *iterum* posito, sed de effectu *nove* seu *novissime* demum posito. Ad quae phantasmatum portenta satis sit illud meminisse: Quid non potest nimius in disputando fervor?

Nolim heic omittere, quod habet Ioannes De Dicastillo. De hac quaestione ipse ita

Quae excusant a censura.

XXIV. 5. Quicquid excusat a peccato mortali, excusat etiam a gravi censura, verbi gratia, materiae parvitas, impotentia legem implendi, defectus advertentiae et deliberationis, ignorantia invincibilis, sive ea sit facti, ut verbi gratia, si nescias, quem percutis, esse Clericum, sive iuris, ut si scias esse Clericum teque mortaliter peccare percutiendo, nescias tamen percussionem illam sub excommunicatione prohibitam esse. Ratio est, quia talis non est contumax.

Dixi, *invincibilis;* quia ignorantia culpabilis et crassa non excusat, nisi addatur in lege certus modus, v. gr. qui hoc fecerit scienter, consulto, qui praesumpserit ausu temerario violare; quae verba, utpote in re odiosa, accipienda sunt stricte: talis autem non potest dici temerarie praesumere, nisi ignorantia esset affectata, formalem dolum includens. Escob. t. 4. c. 6. n. 37. Sanch. *de Matr.* c. 3. l. 9. d. 32. n. 1.

96. Regula generalis, excusare a censura quidquid a gravi culpa excusat, certa est et clara. Adverte tamen:

1° hoc non dici de *levi* censura, quae infligi potest etiam ob levem culpam (vid. sup. n. 86.).

2° Levitatem materiae desumendam esse tum *in se*, tum *ratione finis* (vid. sup. n. 88.).

Iam in Tract. *de Actib. human.* Vol. I. n. 36. notatum fuit, *inadvertentiam*, *inconsiderationem*, *oblivionem* esse quandam *ignorantiae* speciem, quam DD. dicunt *actualem*. Eadem ergo regula circa ipsam statuitur, ac circa ignorantiam. Ita et Suarez *de Cens.* disp. 4. sect. 8. n. 11.

Hinc Laymann *de Cens.* cap. 5. n. 7.: « Porro tradita doctrina (de ignorantia) extendi debet, ut etiam intelligatur de inconsideratione sive oblivione legis aut praecepti ecclesiastici, non crassa seu supina, uti advertit Suarez *de Cens.* disp. 4. sect. 8. n. 11. Quia ignorantia et inconsideratio aequiparantur: siquidem fieri etiam non potest, ut adversus legem vel praeceptum Ecclesiae contumax aut contemptor exsistat, qui ad illud non attendit ». Ita et Bonac. disp. 1. q. 2. p. 1. n. 17.

Itaque ad ignorantiam quod spectat, bene ait s. Alph. ex *communi* doctrina (n. 43.): « Ut quis censuram incurrat, non solum debet scire,

---

scripserat (*de Cens.* disp. 1. n. 291.): *Si vero antequam (mandantis revocatio) veniat ad notitiam mandatarii, hic delictum patret, incurrit mandans censuras... Nec obstat, quod fortassis iam sit in statu gratiae; quia quamvis censura et irregularitas non contrahatur, nisi propter peccatum mortale; non tamen opus est, ut duret culpa, quando contrahitur; sed sufficit commissam esse et quod effectus seu opus externum ex vi illius culpae tunc fiat, ut diximus de vulnerante ad mortem etc.* Et rursus disp. 2. n. 344. ubi oppositam opinionem memorat: *Addit Filliuccius, excusari a ferenda censura, qui, quando venit terminus praefixus, dolet de culpa commissa. Quae limitatio merito aliis displicet; parum enim interest, quod quis iam doleat, dummodo sufficientem prius causam dederit omissioni voluntariam. Saepe enim incurritur censura etiamsi tempore incurrendi iam fuerit quis contritus de peccato et in gratia constitutus. Sic qui iaculum misit in Clericum, vel venenum ipsi propinavit, etiamsi antequam effectus sequatur, conteratur de peccato, excommunicationem incurrit et irregularitatem, quia causam voluntarie dedit tali occisioni et percussioni. Legatur Suarez etc.* De opposita autem Filliuccii opinione dissertissime in fine dicit, quod NULLO IDONEO FUNDAMENTO PROBATUR.

crimen illud vetitum esse iure divino, sed etiam ecclesiastico; quia alioquin deest contumacia *contra Ecclesiam*, a qua puniri debet... Imo scire debet, illud sub censura prohibitum esse; alias eam non incurrit, quia tunc deest adhuc contumacia et contemptus censurae ».

97. Communis autem est doctrina, censuram non incurri ex actu posito ignoranter, licet ignorantia sit *mere concomitans*, videlicet quando quis ita ex ignorantia agit, ut tamen actum illum non esset omissurus, quamvis ignorantia abesset: v. gr. si iacens sagittam contra eum, quem putas feram, ferias clericum, contra quem tamen sagittam iecisses pari modo, si clericum esse novisses. Ratio est, quia ignorantia concomitans facit actum *non voluntarium:* atqui ob actionem, quae *non voluntaria* sit, censura non infligitur, quae supponit crimen voluntarium. Ergo.

Idque tenendum est, sive affectus seu dispositio animi sit tantum habitualis, quae scil. actu non exercetur, sive etiam sit actualis, ut v. gr. si quis in venatione casu ferit clericum, *casu, inquam, et ignoranter*, quamvis actu de illo cogitet, in voluntate habens hoc desiderium; *utinam clericum modo et hoc ictu configere possem.*

Ratio, quia hic voluntatis actus est quidem gravis culpa, mere tamen *interna* et nihil influens in exteriorem actionem, quam idcirco non reddit peccaminosam nec aptam ad incurrendas censuras, quae non incurruntur per actum mere internum, sed per exteriorem (Suarez disp. 4. sect. 8. n. 9.).

S. Alph. n. 43. in fin. addit, secus dicendum esse, si hic diceret: *volo hunc occidere, etiamsi sit clericus:* nam (ait) si vere clericum occidat, excommunicationem non effugiet.

Sed forte minus clare ita doctrina exponitur, quemadmodum et apud Salmanticenses, qui (*de Cens.* cap. 1. n. 202.) casum ita exponunt: *Volo occidere hunc hominem, quicumque sit: vel, sive sit clericus, sive sit laicus.*

Quae male exponunt quaestionem, quam putans esse Suarezii. Suarez ita melius rem proponit (disp. 4. sect. 8. n. 10.): « Nisi quis fortasse fingat tertium *concomitantiae* (scil. *ignorantiae concomitantis*) modum, ut si quis simul cum ignorantia habeat actualem voluntatem actualiter influentem in actionem externam *veluti sub conditione propositam:* ut si quis in dicto exemplo haberet hunc actum: *Volo emittere sagittam, si forte interficiam inimicum* ». Et subdit: « Et hoc in primis est moraliter impossibile, si ignorantia erat invincibilis; quia haec requirit practicum et prudens iudicium moraliter certum, nullum esse heic et nunc periculum occidendi hominem. Quomodo ergo cum hoc iudicio potest esse illa voluntas, quae aperte supponit dubium et

moralem contingentiam talis effectus? Deinde admisso *per impossibile* illo casu, concedo talem hominem incidere in excommunicationem, non tamen ob ignorantiam, sed ob actionem procedentem e tali voluntate, quae, ut sic, non processit ab ignorantia, sed ex hac generali scientia, quod ea, quae humano modo videntur certa, interdum deficiunt et quae videntur impossibilia, aliquando eveniunt; atque ita illa censura non est ex illis, quae propter ignorantiam incurruntur ».

Et postrema horum pars ostendit: 1° casum esse impossibilem atque adeo esse hypothesim mere speculativam: 2° casum non rite exponi a Salmanticensibus, qui propterea non possunt iuvari suffragiis Suarezii, Bonacina *de Cens.* disp. 2. p. 1. n. 21., Filliuccii tract. 11. P. 1. cap. 8. n. 247. et aliorum, quos allegant.

98. Quando diximus excusare ignorantiam invincibilem, hoc nomine comprehendi debet etiam ignorantia culpabilis, sed *leviter culpabilis*. Ratio, quia haec excusat a gravi culpa, atque adeo a censura.

Et crassam (a) quidem aut supinam ignorantiam non excusare a censuris, nisi in lege addatur aliqua ex formis ab A. memoratis, in confesso est apud omnes. Et huc facit c. *Ut animarum, de Constitut.* in 6°: « Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes: dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina » (b).

Sed heic quaestio oritur, an quando formae illae desunt, vitari censura possit, licet ignorantia sit *graviter culpabilis*, dummodo non sit crassa ac supina.

Ac nemo non concederet, censuram sic vitari; sed sunt, qui negent, dari ignorantiam graviter culpabilem, quae non sit simul crassa aut supina, cum alii contra teneant, talem ignorantiam dari posse. Quaestio igitur eo recidit, an quaelibet ignorantia graviter culpabilis, eo ipso quod gravis est culpa, dicenda sit necne crassa aut supina.

S. Alph. n. 45. DD. pro utraque opposita opinione affert et praefert

---

(a) Laymann *de Cens.* cap. 5. n. 9.: « Crassa ignorantia est, quae ex magna cognoscendi negligentia oritur, sive quam facile aliquis cum posset et deberet deponere, negligit... Omnino tamen hîc requiritur, ut aliquis susceperit cogitationem aut suspicionem impositae censurae, sed nulla aut pene nulla adhibita veritatis indagatione opus prohibitum exsequatur, non sine virtuali contumacia et interpretativo consensu.

Sanchez *de Matr.* lib. 9 disp. 32. nn. 32. 33.: « Dicendum est, hanc ignorantiam crassam esse, quae ex lata culpa in adhibenda diligentia procedit..., scil. quando quis ignorat, quod omnes sciunt, instar hominis crassi, coram oculis proposita minime inspicientis... ut optime dicatur ignorantia crassa et supina, quando ignorans aut nullam aut valde modicam adhibuit diligentiam, ut sciret, quod nosse tenetur. Quia non omnis negligentia, sed summa est, quae potest ignorantiam crassam efficere »

(b) « Haec decisio, cum favorabilis sit multumque rationabilis, non tantum in Statutis Ordinariorum sed etiam in Constitutionibus Pontificiis locum habet: nam etiam Papa Ordinarius est et quidem Ordinarius Ordinariorum ». Reiffenst. in lib. 5. tit. 39. n. 30.

opinionem Suarez ac Salmantic., talem ignorantiam *crassam* esse dicendam, ac propterea nullam ignorantiam graviter culpabilem in casu a censura excusare.

99. Sed 1° nescio cur s. Alph. l. c. dicat eam opinionem communem, quando Salmanticenses *de Cens.* c. 1. n. 196., a quibus eam desumpsit, plures pro opposita, quam pro ea Auctores afferunt. Quin et ipse Suarez *de Cens.* disp. 4. sect. 10. n. 12. fatetur *alios modernos auctores* in aliam abiisse sententiam et Bonacina disp. 1. q. 2. p. 1. n. 10. fatetur hanc *probabilem.*

2° Ratio a Suarez allata ibid. n. 12. (nec aliam alii afferunt) non est efficax: « Alii vero (inquit) moderni auctores... in ipsamet ignorantia, quae ad mortale peccatum sufficit, videntur distinguere gradus; ut infra certum gradum non sit crassa nec supina, sed vincibilis tantum, licet mortalis et ideo excuset; ultra illum autem gradum iam sit crassa vel supina et non excuset. At certe talium graduum distinctio et nullo iure fundata est et nulla ratione explicari potest. Quis enim dicat, negligentiam ad mortaliter peccandum sufficientem in tali gradu esse crassam, non vero in tali aut qua ratione poterunt discerni hi gradus? (tota demonstratio sita est in interrogatione, cui aliam possumus reddere, nempe; si nequeant distingui gradus, quomodo ergo veteres distinguebant *culpam levissimam*, *levem*, *latam*, *latiorem*, *latissimam?*) Hoc ergo modo magis implicantur conscientiae et leges, quam explicentur (et ita ne implicemus conscientias et leges, non distinguemus inter crassam et non crassam) ».

Contra alius reponere posset, ex c. *Ut animarum* (sup. n. 149.) hoc fieri argumentum: Ibi decernitur, ignorantiam (nisi sit crassa et supina) excusare etc. Atqui ibi non debet intelligi ignorantia leviter culpabilis; quippe gravem culpam requiri iam constabat. Ergo supponitur graviter culpabilis, quae non sit crassa.

Conf. Gravis erat ratio, cur ad censuras incurrendas non qualiscumque culpa etiam gravis ignorantiae sufficeret, sed magnae gravitatis culpa requiri deberet. Etenim cum ad hunc effectum *grave* peccatum requiratur et sufficiat; sane gravius puniretur ignorans et indirecte peccans contra legem, quam peccans scienter et directe; culpa enim ignorantis semper levior est culpa peccantis scienter; et tamen eadem foret utriusque peccati poena. Ergo cum id ab aequitate absit, merito ad censuram incurrendam peccatum requiritur ignorantiae valde grave, quale in crassa et supina statuimus.

Et, ut paucis rem expediamus, vis tota ad solvendam quaestionem pendet a definitione *crassae* et *supinae* ignorantiae, num talis sit quaelibet graviter culpabilis. Atqui dissentiunt de hoc DD. Ergo id non

constat. Ergo non constat, censuram incurri, nisi valde gravis sit ignorantiae culpa. Ergo possidet ius fruendi bonis spiritualibus; praesertim cum odia sint restringenda.

100. Excusat etiam crassa et supina, quando in lege additur certus modus violationis, contra quam poena infligitur.

Formulas illas legis habetis apud A.; de qua re Bonacina *de Cens.* disp. 1. q. 1. p. 3. n. 18.: « Quando verba legis non absolute prohibent aliquod delictum sub censura, sed postulant perfectum et directum voluntarium, certum est, censuram non incurri per quodlibet voluntarium sufficiens ad peccatum mortale; *lex enim non operatur ultra illud, quod verbis exprimitur et declaratur.* Quocirca quando lex dicit: Qui *temere hoc fecerit*, qui *ausus fuerit*, qui *praesumpserit*, qui *scienter* vel *ex contemptu* hoc egerit, anathematis vinculo obstrictus sit; non incurritur censura ob delictum quovis modo voluntarium, sed ad eam incurrendam requiritur voluntarium directum et ex certa scientia censurae: unde transgrediens praeceptum ex negligentia quadam, vel ex inadvertentia, vel etiam ex ignorantia vincibili et crassa, non incurrit excommunicationem in dictis casibus, quamvis concedamus mortaliter peccare contra praeceptum ». Ita *communis.*

Hinc merito Sanchez notat Suarez, qui disp. 4. sect 10. n. 3. temeritatem heic accipit pro imprudentia, qua ignorans se exponit periculo agendi contra legem. Ita ille (*de Matr.* l. 9. disp. 32. n. 38.): « Non approbo, quod ait Suarez..., ubi censet, temerarium violatorem dici, si, cum suspicionem vel dubitationem habeat talis legis, non adhibet aliquam diligentiam ad sciendum, an ea lex sit; quia alias temere se exponit transgressionis illius periculo et si in re illam violare contingat, dicetur temerarius violator. Sed hoc non placet; quia quamvis ad culpam mortalem contrahendam dicatur temerarius ratione periculi, cui se exponit; at iura punientia temerarium violatorem quid amplius petunt, ut probavi (nempe dolum). Alias omnis ignorans culpabiliter ius, tunc puniretur; quia omnis ignorantia culpabilis iuris vel facti supponit necessario praecessisse aliquam dubitationem circa illam; alias erit prorsus invincibilis, ut latissime probamus in Summae nostrae lib. 1. cap. 16. a n. 21. » (N. B. *Summam* iam scripsisse).

101. Quaestio fit, an ignorantia quoque affectata excuset a censura, quando fertur in agentes *scienter* seu *ausu temerario* etc. contra legem.

Dissident DD., ut cernere est apud s. Alph. n. 48., qui licet dicat, se non audere improbabilem dicere opinionem affirmantem, neganti tamen adhaerere se ait, uti *communiori.* Quae tamen verba non ita accipi debent, quasi multo plures pro ista militent, quam pro opposita;

nam Salmant. *de Cens.* cap. 1. n. 199. decem, quos sequuntur, enumerant, pro affirmativa, cum pro negante nonnisi septem allegent.

Rationes vero, quae pro sententia sua afferunt negantes, non adeo firmae videntur, nempe quod affectata ignorantia *includat dolum formalem* (ut ait s. Alph.) et *aequiparetur scientiae.*

Sed in his eadem fere aequivocatio occurrit, ac quae superius (n. praec.) notata est quoad *temeritatem.* Nam *dolo* dicitur *aequiparari* (Sanchez lib. 9. disp. 32. nn. 39.-48.) quoad culpam ac malitiam, sed reipsa non est *dolus formalis,* sed ad summum virtualis et aequivalens et eodem modo quoad malitiam aequiparatur scientiae, sed non est scientia formalis. Porro lex poenalis est odiosa et ideo stricte interpretanda secundum *proprietatem* verborum. Ergo non incurritur censura, quae *scientiam* requirit: quia talis ignorans proprie et formaliter non id facit *cum scientia legis.* Atque, ut ait Roncaglia (*de Cens.* q. 5. cap. 5. q. 1. r. 4.), non satis constat, in iure ignorantiam affectatam scientiae aequiparari quoad effectum inducendae poenae.

Praeterea illis formulis legislator damnare omnino videtur audaciam et temeritatem, qua quis contra notitiam legis sibi propositae agere audet et qua poenam illius contemnit. Atqui qui ignorantiam affectat, licet velit liberius rem exsequi, aliqualem tamen legis reverentiam ostendit; quia ideo vult ignorare, quia non vult contra eam scienter operari nec contemnere quod in ipsa praecipitur. Vid. Salmant. cap. 1. n. 199., Roncaglia l. c., Bonacina disp. 1. q. 2. p. 1. n. 11. et Sanchez *in Dec.* lib. 2. cap. 10. n. 38., contraria docentem *de Matr.* lib. 9. disp. 32. nn. 39.-40. Cf. et Tr. 1. *de Act. hum.* n. 93. Conclude ex regula generali, quod possidet ius fruendi bonis spiritualibus, ubi oppositum non evincitur.

XXV. 6. Non incurritur censura ob peccatum soli naturali vel divino iuri repugnans, sed requiritur praeceptum Ecclesiae, quod contumaciter violetur. Item nec ob peccatum mere praeteritum potest censura infligi ab homine, nisi aliquo modo pendeat in futurum, ratione scandali, vel restitutionis non factae, vel perseverantiae in peccato post monitionem; quia abest contumacia. Nec refert, quod quis ob peccatum praeteritum, vel etiam sine peccato (modo iusta causa subsit) possit ad tempus arceri ab aliorum consortio, altari, communione etc. ut subinde fit in religionibus et in iure etiam vocatur excommunicatio, vel suspensio, sed late; quia non est censura proprie dicta, cuius violatio inducat irregularitatem, sed simplex tantum poena. Fill. t. 22. §. 6. n. 186.

102. Per censuras punitur contumacia contra legem Ecclesiae et quidem comminantis contumaci censuram.

Atqui haec desunt, si peccatum, utut repugnans iuri aut naturali aut divino, non tamen ulli legi Ecclesiae repugnet. Ergo.

Doctrina communis est, censuram infligi non posse ob peccatum mere praeteritum.

Ratio, quia censurae tanquam poenae medicinales praecise sunt introductae, ut gravitatis suae horrore a crimine committendo et ab inobedientia absterreant delinquentes. Tales autem non essent, si in solius praeteriti delicti poenam infligerentur resipiscenti et parato debitam satisfactionem praestare. Ergo (Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 67.).

Auctor dicit, *ab homine*, nam censurae a iure praecavent delicta futura, ut patet.

Dicitur in poenam *delicti mere praeteriti*, quod scilicet omnino cesset, nec ullo modo coniunctum sit cum aliqua inobedientia et contumacia praesente.

Nam si quis in crimine perseveraret, v. g. in absentia a paroecia, in concubina retinenda, in detinendo captivo etc., vel si nollet scandalum reparare v. gr. pravam doctrinam retractare, aut restitutionem seu satisfactionem renueret exhibere pro re ablata, v. gr. pro fama detracta, pro honore laeso etc.; iam non agitur de crimine mere praeterito, sed res in futurum pendet et vera contumacia haberetur (vid. s. Alph. n. 54.).

De poenis, quas A. memorat, iam locuti sumus sup. n. 18. et non sunt censurae proprie dictae.

XXVI. 7. Non incurrit censuram, qui legem transgreditur ex gravi metu, licet quandoque non excusetur a gravi culpa; quia non censetur contumax. Laym. l. 1. t. 5. p. 1. c. 5. n. 9. Bon. d. 1. q. 2. p. 3. n. 2. ex Suar. Con. etc.

103. Auctor non distinguit expresse de quanam lege loquatur; at contextus suadet, eum non loqui de culpa quae sit solum adversus legem Ecclesiae. — Distinguere itaque solent DD., num agatur de mera lege ecclesiastica, an vero etiam de lege divina sive naturali sive positiva.

Si sermo sit itaque de lege mera ecclesiastica, consentiunt DD., excusari a censura illum, qui illam violat metu gravi inductus; quia, ut inquit s. Alph. (n. 46.) ex omnium sententia, praecepta humana non obligant cum incommodo gravi et timor aut periculum magni damni ab ipsorum transgressione excusat.

Melius rationem reddit Schmalzgr. (lib. 5. tit. 39. n. 79.), partim quod sic delinquens haberi nequeat pro contumace et ecclesiasticae potestatis contemptore, cum naturae potius infirmitate, quam obstinatae voluntatis malitia peccet, partim vero, quia eiusmodi metus *plerumque* excusat ab observatione legis ecclesiasticae: cur non etiam a censura iure ecclesiastico introducta? Ex quibus apparet, rationem a pluribus allatam cum s. Alph., *non semper valere* et ideo aliam adscisci oportere, nempe defectum contumaciae: quocirca etiam quoad

legem mere ecclesiasticam videtur fieri posse, ut quis a censura excusetur, non vero totaliter a culpa.

Exemplum praebet s. Alph. (n. 46.), si praecipiatur sub censura revelatio criminis, v. gr. furti aut homicidii; nam nemo tenetur prodere semetipsum aut complicem, neque etiam alium, non modo si crimen probari nequeat (quod heic ad rem non facit), sed etiam si revelatio ipsi revelanti damnum grave afferret. Aliud exemplum affert Bonacina *de Peccat.* q. 8. p. 2. n. 10. illorum, qui non denuntiant s. Officio aut legitimo superiori eos, quos ex edictis ad superiores deferre praecipiuntur sub poena excommunicationis.

104. Si autem sub censura prohibeat Ecclesia illud, quod alias iure divino aut naturali iam prohibitum, v. gr. fornicationem, furtum, homicidium etc., falsum testimonium etc., quidam censuerunt, metum nunquam excusare a censura; quia cum non cesset praeceptum naturale, non est ratio (inquiunt), cur cesset et praeceptum ecclesiasticum. Ita Hurtadus et Palaus post eum et Sanchez *de Matrim.* lib. 9. disp. 31. nn. 4. 6., quorum opinionem Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 79. probabiliorem dixit.

Communior tamen imo communissima est sententia, etiam in hoc casu metum excusare. Et Suarez *de Legib.* lib. 3. cap. 30. n. 14. exemplum affert illius, qui gravi metu adactus matrimonium contrahat et consummet cum consanguinea; qui non incurreret excommunicationem ipso iure latam in Clement. Unic. *de Consanguin. et affinit.*

Ita et s. Alph. n. 46., qui oppositam opinionem ne memorat quidem ac Laym. (*de Cens.* cap. 5. n. 9.) et aliis omissis etiam Suarez, qui *de Cens.* disp. 4. sect. 3. n. 14. ait: « Oportet advertere, aliquando per legem ecclesiasticam sub censura prohiberi id, quod iure naturae prohibitum est ut v. gr. incestum cum consanguinea. Contingere ergo potest, ut metus excuset illum actum, ut prohibitum ab Ecclesia, etiamsi non excuset libidinosum accessum, qui intrinsece malus est et tunc, quamvis non omni culpa excusetur ratione metus, excusabitur censura: quia illa non contrahitur nisi ob violationem praecepti ecclesiastici, ut sic. Quo modo excusari possunt a censura (si lata sit contra adiuvantes Turcas dimicantes contra christianos) christiani, qui metu mortis remigant, etiam quando Turcae Christianos persequuntur... Et ob hanc causam dixi, voluntarium huiusmodi debere esse sufficiens ad contumaciam; quia censura propter contumaciam ponitur et per illam incurritur. Unde si modus transgrediendi praeceptum talis sit, ut ad peccandum sufficiat, non vero ad contumaciam, poterit a censura excusare, licet non excuset a culpa etiam gravi et ita contingit in praedicto casu ».

105. Exceptionem habet haec doctrina; sed variis modis eam DD. efferunt.

Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 79.: « Excipitur, nisi praeceptum ecclesiasticum tanti momenti sit, ut etiam cum periculo mortis observandum sit; nam eo casu non excusaris a censura tali delicto adnexa, cum non excuseris a peccato inobedientiae et contumaciae ». Sed non explicat, quando id contingat. Insuper postrema pars non cohaeret cum ratione, quam sup. n. 103. ex eodem Auctore attulimus.

Laymann lib. 1. tit. 5. cap. 5. n. 9. ex Suarez haec habet: « Quotiescumque actio per censuram prohibita, ratione talis prohibitionis ac circumstantiae intrinsece mala redditur, tunc eam quamvis ob gravem metum exercens, contra ecclesiasticam etiam legem delinquit et poenam eius, puta censuram vel irregularitatem incurrit. Exemplum habes, si sacerdos excommunicatus ac publice denuntiatus gravi metu adactus, confessiones audire et absolvere praesumat, non sine irreverentia sacramenti, quod tali casu invalide administratur.

Vel si quispiam ab excommunicatis, gravi metu intentato, adigatur, ut cum ipsis communicet in contemptum ecclesiasticae potestatis, aut cum Christianae fidei detrimento; nam in his casibus ecclesiastica lex obligare videtur, ut non obstante quovis privato incommodo, bonum publicum fidei ac religionis aut sacramenti reverentia et honor defendatur ».

Brevius et clarius Reiffenstuel in lib. 5. tit. 39. n. 34.: « Quando observatio legis humanae mortaliter necessaria videtur pro conservando bono publico aut si eius violatio cedat in contemptum fidei vel legis aut potestatis ecclesiasticae, transgrediens ex gravi metu etiam vitae legem sub censura positam, non excusatur ab illa; quia cum in talibus casibus nullus metus excuset ab observatione legis ecclesiasticae..., ita etiam non excusat a censura ».

Et prope eadem habet Bonacina (*de Cens.* disp. 1. q. 2. p. 3. n. 2.): « Plures limitant hanc doctrinam, modo metus non incutiatur in contemptum potestatis ecclesiasticae, aut religionis seu fidei. Tunc enim metus sicut non excusat a peccato, ita nec a censura...; teneor enim potius mortem obire ob servandum bonum commune religionis... consequenter non evaderem censuram... ». Innuit tamen ibid. Bonacina, oppositum teneri a Salas.

Singulare est, quod addunt Salmantic. (*de Cens.* cap. 1. n. 206. et post eos s. Alph. n. 46.) metum non excusare a censura, si quis perpetret malum gravissimum, v. gr. *si occidat Episcopum.* Sed nulla mentio rei huius penes alios, nec apparet valere rationem, quam DD. heic promunt, scil. quod legislator praesumatur voluisse obligare non obstante tali periculo (ut ait Bonac. *de Peccat.* disp. 2. q. 8. p. 2. n. 5.).

Illud porro advertendum, quod quemadmodum metus gravis excusat ab incurrenda censura, ut probatum est, ita excusat quoque ab ea observanda, ut probat Suarez disp. 6. sect. 3., scilicet metus gravis damni vel scandali ratio est sufficiens, cur ex. gr. excommunicatus occultus non se gerat ut talem, sed audiat, puta, Missam vel celebret. Ratio eadem est, quia, seclusa ratione contemptus, leges ecclesiasticae non obligant cum tanto rigore. Idem docet Reiffenst. l. c. n. 77. et est doctrina communis.

106. Quaestio tamen se offert: quis sit *gravis* metus. Bene de hac re Laymann *de Act. hum.* cap. 6. n. 5.

« Licet a iure et a DD. atrocia quaedam mala numerentur, quorum metus iustus ac probabilis censeri debeat, videl. mortis, mutilationis, corporis cruciatus, servitutis, exilii, captivitatis, diuturni carceris, gravis infamiae, stupri, iniustae excommunicationis, amissionis omnium bonorum aut magnae partis, si talia vel propriae personae, vel alteri sibi valde coniunctae, puta, uxori, liberis, parentibus etc. inferenda sint...; Iudicis tamen arbitrio definiendum est, utrum in particulari alia mala exsistant, quorum metus gravis censendus sit, diligenter consideratis circumstantiis et in primis personae qualitate, scil. sexu, aetate etc.

Praeterea quando agitur de sufficientia periculi ad excusandum a transgressione legis humanae, non potest definiri generatim, qualis damni periculum sufficiat, sed relinqui iudicio debet prudentis viri spectata *gravitate praecepti* et periculi damni. Cum enim unum praeceptum inducat strictiorem obligationem, alterum minus strictam, non idem damni periculum iudicandum est excusare a transgressione cuiuslibet praecepti, sed maioris damni periculum requiri ad excusandum a graviori quam a leviori praecepto. Ita Bonac. *de Peccat.* q. 8. p. 2. n. 4. et Sanchez *In Dec.* lib. 1. c. 18. n. 16. Suarez *de Leg.* lib. 3. cap. 30. n. 9. etc.

XXVII. 8. Censura invalida est ex triplici capite.

Primo ob defectum ferentis, si scilicet careat iurisdictione, vel eam habeat impeditam per censuram, vel suspensam per legitimam appellationem, de qua vid. Laym.

107. Quae ad hoc primum caput pertinent, iam superius explicata sunt, ubi enumeratae conditiones fuerunt ad actus validitatem necessariae. Vid. sup. nn. 33. seqq.

XXVIII. Secundo, si substantialis ordo iudicii praetereatur, ut si reus non citetur nec moneatur sub comminatione censurae. Ratio, quia non est contumax, qui ante non fuit monitus de praecepto et poena adnexa. Quod tamen intellige de censura ab homine lata per sententiam particularem; quia quae fertur a iure, vel per sententiam generalem, vel etiam specialem, respectu tamen actus futuri, non eget alia monitione:

cum lex, aut sententia seipsa satis moneat. Idem est de sententia non illativa censurae, sed declaratoria tantum; quia absque alia monitione declarari potest censura incursa, quando crimen, cui est annexa, commissum esse evidenter constat. Porro, ut censura sit licita, requiritur primo, ut dicta monitio sit canonica id est trina, iuxta Canones; etsi aliquando ex iusta causa sufficiat una tribus aequivalens: v. g. moneo te semel pro tribus vicibus: 2. ut ex scripto recitetur: 3. ut causa censurae exprimatur: 4. ut reo petenti exemplum scripturae intra mensem tradatur; alioqui iudex ipse suspenditur a divinis officiis. Fill. t. 11. c. 4.

108. Innuuntur duo praecipua ab A., scil. citatio rei et monitio. Et ratio redditur, cur necessaria ea sint, ut nempe adsit ea contumacia, quae per censuras puniri possit. Inobedientia enim et contumacia debet esse actualis. Ita ex omnium sententia et ex pluribus textibus iuris apud Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 26.

Nulla autem speciali monitione opus est, ut et A. advertit, quando censura a iure vel per sententiam generalem pro futuris culpis lata est, tunc enim ipso facto incurritur (Ita et s. Alph. n. 55.).

Ratio, quia ipsum ius seu canon continua quaedam admonitio est et omnibus non ignorantibus loquitur et inobedientibus poenam minitari censetur, proinde non opus est alia publicatione vel monitione, quam quae ad constituendam legem vel statutum requiritur (Schmalz. l. c. n. 31.).

Excipe tamen, nisi aliam monitionem accedere ius ipsum in casu aliquo particulari velit, sicut v. gr. voluisse videtur Clement. I. *de Decimis*, ubi censuram incurri non vult, nisi post requisitionem per eos, quorum interierit, super hoc eis factam, a praemissis non destiterint intra mensem, aut si de iis, quae contra praemissa usurpare vel retinere praesumpserint, intra duos menses damnificatis ecclesiis emendam non fecerint competentem »: quae exigunt *requisitionem*, a qua incipiat mensis vel bimestre (Schmalzgr. l. c. n. 31.).

Monitio itaque solum requiritur, quando censura infligitur per sententiam specialem (Schmalzg. lib. 5. tit. 39. n. 30.), seu, ut ait s. Alph. n. 61., quando censura fertur per modum sententiae, cognita causa, cum citatione.

Praeterea monitione praevia opus non est, quando non infligitur ut vera censura, sed magis ut poena vindicativa: cuiusmodi ea sunt, de quibus A. in fine resolutionis sextae.

Eiusmodi est, quod occurrit in cap. *Cum in cunctis* §. fin. *de Electione:* « Clerici sane si contra formam istam quemquam elegerint, et eligendi tunc potestate privatos et ab *ecclesiasticis beneficiis triennio noverint se suspensos* ».

Et c. *Sacro, de Sent. Excomm.:* « Prohibemus, ne quis in aliquem excommunicationis sententiam nisi competenti admonitione praemissa

et personis praesentibus idoneis, per quas (si necesse fuerit) possit probari monitio, promulgare praesumat: quod si contra praesumpserit, etiamsi iusta fuerit excommunicationis sententia, *ingressum Ecclesiae per mensem unum sibi noverit interdictum* » (Schmalzgr. lib. 5. tit. 35. n. 30.).

Ubi habemus et *suspensionem* et *interdictum*, quae non infliguntur per modum censurae. Excommunicatio tamen nunquam infligitur, nisi ut vera censura ac proinde cum ab homine per sententiam specialem ferenda est et causa eius non est notoria, monitio ipsi praemitti debet. Ita habes in cap. *Reprehensibilis, de Appellat.*: « Statuimus, ut nec Praelati (nisi canonica commonitione praemissa) suspensionis vel excommunicationis sententiam proferant in subiectos, *nisi forte talis sit culpa*, quae ipso suo genere suspensionis vel excommunicationis poenam inducat » (Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 30.).

109. Addit Schmalzgr. n. 32. monitionem non requiri, si delictum et ipsa quoque delinquentis non resipiscentis contumacia publica ac notoria foret; cum enim excessus notorius accusatione, examinatione et probatione non indigeat (a); quando delictum et contumacia publica ac notoria est, sententia excommunicationis praeviam monitionem non exposcit.

Ita Schmalzgr. (b) allegans Suarez, Laymann et Palao: quae tamen desumpsit prope ad litteram ex Wiestner (in lib. 5. tit. 39. n. 22.).

Verum Schmalzg. hac in re hallucinatus videtur fuisse a Wiestner, cuius verba et allegationes, ut dixi, transscripsit. Wienstner vero incaute transtulit ad casum *censurae ferendae ab homine* doctrinam, quam DD. ab ipso allegati tradebant non quidem de infligenda censura, sed de declaratione censurae, quam quis incurrerit, seu de denuntiatione, qua quis declaratur censura innodatus.

Et eodem pacto hallucinatus videtur Reiffenstuel in lib. 5. tit. 39. n. 27. qui easdem allegationes (abs re depromptas, ut mox videbimus) habet, transferens huc ea quae pertinent ad declarationem censurae, qua quis iam ligatus ipso facto fuerat.

(a) C. *Bonae* 23. §. *Porro de Electione.* « Excessus notorius examinatione non indiget ». Et c. *Evidentia* 5. *de Accusationib.*: « Evidentia patrati sceleris non indiget clamore accusationis ». Et can. *Manifesta* caus. 2. q. 1.: « Manifesta accusatione non indigent ». Et can. *de Manifesta* 17. 16.: « De manifesta et nota pluribus causa non sunt quaerendi testes ».

(b) Sententiae Schmalzgr. favet forte ratio agendi Apostoli 1. Cor. V. 1.-5., dum incestuosum Corinthium excommunicavit, nulla praemissa monitione. Dico *forte*, quia non certe constat, eam poenam fuisse simpliciter illam, quae dicitur excommunicatio. Nec refert, poenam adhibitam fuisse in medicinam, *ut spiritus salvus sit in die Domini;* nam omnis poenae ab Ecclesia inflictae hic tandem est finis seu directe seu indirecte intentus. Ceterum forte et Apostolus sententiam a se latam noluit ante valere, quam incestuosus monitus resipiscere detrectaret. Nam de exsecutione eius sententiae, quomodo nempe facta fuerit, nihil reapse novimus. — E.

Itaque verissima est doctrina ex Schmalzgr. n. 109. sup. relata; sed ita intelligenda est de eo, qui commisit delictum, cui ipso iure adnexa est censura latae sententiae. Si enim delictum *publicum sit et notorium neque delinquens eiusdem poenituerit*, potest eum iudex absque praevia monitione declarare ac denuntiare tanquam censura ligatum. Et hoc est quod Suarez disp. 3. sect. 10. n. 18. et Laym. (*de Cens.* cap. 5. n. 6. ac Palaus *de Cens.* disp. 1. p. 5. n. 12.) a Wiestner et Schmalzg. allegati docent. Ratio autem est, quia denuntiatio eiusmodi non est novum vinculum ac censura, ob quam monitio praerequiratur.

110. Dictum est, si *delictum sit publicum et notorium:* nam debet reipsa notorium esse vel per sententiam, vel ipso facto, ita ut nulla tergiversatione celari possit aut excusationem admittere; secus ea declaratio illicita esset, utpote contra ius naturae et iuridicum ordinem procedendi. Et de hoc casu intellige A.

Additum est: si *delinquens non resipuerit.* Etenim si resipuit reus et absolutionem a censura postulavit, vel satisfactionem obtulit, non est denuntiandus, sed potius absolvendus iuxta textum c. *Qua fronte, de Appell.* cum finis censurae, qui est delinquentis correctio et emendatio, iam obtenta sit.

Incidenter adverte cum s. Alph. n. 65., quod si iudex sciat, censuratum esse iam absolutum pro foro interno, non est, e quorundam sententia, puniendus pro foro externo.

Addit (ibid.) quod qui censuram iam incurrit, denunciari debet, ut citius resipiscat (ex c. *Pastoralis* §. fin. *de Appellat.*) et denuntiatio facienda ab ipsomet, qui tulit censuram, si sit censura lata ab homine. Si vero sit a iure communi, denunciari debet ab Ordinario loci, ubi ille deliquit et censuram incurrit.

Heic tamen adverte, quod, si notorium non sit crimen, non monitio proprie dicta requiritur, sed monitio quaedam iuridica, quae includitur in citatione et non tam propter emendationem vel contumaciam novam exspectandam, quam propter ordinem iuridicum servandum necessaria est (Vid. Suarez disp. 3. sect. 10. n. 16.-18.).

111. *An necessaria est monitio, si censura est ferendae sententiae?*

S. Alph. ad hanc quaestionem (n. 55.) distinguendum dicit post Salmanticenses (*de Cens.* cap. 5. n. 90.) an comminata sit censura ferendae sententiae *ab homine*, v. gr. si Episcopus clerico sub poena excommunicationis indicat ut intra dies octo quandam feminam e domo dimittat; an vero a *iure*, v. gr. uti est poena suspensionis si quis interroget nomen complicis in confessione, absolutione negata renuenti illud revelare.

Et siquidem censura sit comminata *ab homine*, post eosdem Salmant.

s. Alph. l. c. decernit ut certum, non requiri monitionem : quia, inquit, per illud praeceptum iam habetur etiam monitio ab ipso iudice facta.

Et allegat Sanchez, qui (*de Matr.* lib. 2. disp. 24. n. 28.) loquens de eo, qui praetextu ingressus in religionem recusat consummare matrimonium et cui propterea Episcopus sub poena excommunicationis indicit, ut intra statutum aliquod tempus aut consummet aut ingrediatur, scribit: « Si vero erat excommunicatio ferenda (scil. ferendae sententiae), non potest excommunicari, si statim ingrediatur: si autem differat, potest absque alia monitione excommunicari ob contumaciam praeteritam, quia... quando praecipitur aliquid sub excommunicationis poena, potest non obtemperans absque alia monitione excommunicari; nam id praeceptum fuit monitio et praecessit contumacia non obediendo: si autem ingrediatur, debet absolvi etc. ».

112. Difficultas est in secundo casu, scil. si eiusmodi censura feratur a iure. Duas enim s. Alph. dicit (ibid. n. 55.) esse sententias et pro necessitate monitionis stare Palaum, Suarez, Laymann, Salmanticenses, aliosque : sed *probabiliorem* dicit sententiam negantem, pro qua allegat Busembaum, Bonacinam, Sanchez, Filliuccium, Abbatem et Avila apud Palaum.

At enim Busembaum nihil tale dicit. Nam loquitur de censura a iure lata *pro actibus in futurum*. In casu autem nostro censura ferretur non pro futuro actu et eo ipso incurrenda, sed pro praeterito ferenda foret. Haec enim est vis censurae *ferendae sententiae*, ut eam quidem ius comminetur crimini futuro, sed infligenda non sit nisi post patratum crimen, infligitur autem ab homine.

Sanchez vero, fatentibus imo et monentibus ipsis Salmanticensibus, non loquitur de censura lata *a iure*, sed de lata *ab homine;* nam agit (*de Matr.*, lib. 2. disp. 24. n. 26.) *de iudice* praecipiente sponso, ut intra certum tempus ad religionem transeat, vel matrimonium consummet sub excommunicationis poena.

Supersunt igitur soli Filiuccius et Bonacina. Atqui Filliuccius (tract. 11. cap. 4. n. 95.), ipso fatente Bonacina (*de Cens.* disp. 1. q. 1. p. 9. n. 4.) solum ex parte doctrinae illi favet.

Et quidem favet ex ea parte, qua doctrina illa maxime laborat, quando nempe agitur de censura ferenda ob crimen, quod nullo modo extenditur in futurum, nec ullam satisfactionem aut reparationem aut restitutionem exigit et uno verbo est crimen *mere praeteritum*, v. gr. si prohibeatur (ut ait n. 93.) ingressus in sacellum aliquod viris tali die sub poena excommunicationis *ferendae*.

Etenim, ut ait Palaus (*de Cens.* disp. 1. p. 5. n 7.) de ratione censurae est, ut imponatur in delicti praeservationem (uti censura latae

sententiae) aut emendationem, quia est *poena medicinalis*. At si ob delictum factum imponi posset, non tam medicina, quam punitio ac vindicta esset et delinquentem emendatum saepe puniret.

Unde Suarez disp. 3. sect. 10. n. 21.: « Ex quo infero, si delictum tale sit, ut nullo modo extendatur in futurum, sed simul ac consummatur, omnino transeat, nulla relicta obligatione restituendi vel satisfaciendi respectu hominum, sed tantum respectu Dei, tale delictum non posse prohiberi per legem sub comminatione censurae ferendae, sed vel *ipso iure* imponi debere, aut nullo modo: in quam doctrinam et Palaus l. c. et Laymann (*de Cens.* cap. 5. n. 6.) merito consentiunt. Vid. et Suarez disp. 3. sect. 9. n. 4.

113. Nec valet ratio a Filliuccio opposita, quod *si requiratur monitio, comminatio legis evaderet inutilis*. Bene enim Suarez l. c.: « Nec sequitur, hanc legem imponentem talem censuram carere effectu. Nam in primis potest et interdum debet Praelatus, praesertim quando imminet periculum agendi contra tale praeceptum, aut quando abusus contra illud paulatim introducitur, admonere subditos, ut legem servent; quia alioquin exsequetur in eos poenam legis et tunc sine alia admonitione poterit absolute ferre censuram in transgressores legis, cum praecesserit sufficiens admonitio ante violatam legem. Deinde, si delictum iam est patratum, potest exigere condignam satisfactionem; quam si reus nolit exhibere, tunc poterit in eum censuram ferre lege praescriptam, *quam fortasse sine tali lege ferre non posset* ». Vid. et sect. 9. n. 4.

Quando vero censura feratur in crimen, quod aliquo modo in futurum extenditur, ipse Filliuccius stat contra Bonacinam, scribens (ibid. n. 44.): « Absolute loquendo et regulariter verior videtur secunda sententia (scil. Suarezii); tum quia benigniorem facit usum censurarum, tum quia videtur conformior iuri, tum quia si in denuntiatione censurae iam incursae primo citanda est pars et, offerente hac satisfactionem, desistendum est a denuntiatione, multo magis admonitio facienda erit ei, qui praeceptum transgressus est, ut nisi det satisfactionem, ipso iure incidat in excommunicationem. Poterit enim hac admonitione praemissa offerre satisfactionem et pro transgressione facta imponi *alia poena vindicativa non excommunicatio, quae poena est medicinalis, non vindicativa* ». Quae quidem sunt ratione Suarez nec apparet, quomodo Filliuccius non adverterit, easdem prorsus militare adversus alteram partem, quam ipse dein tuetur.

His vero accedit ratio, quam praebet textus superius (n. 108.) allatus ex c. *Reprehensibilis, de Appellat.* Nam cum in eo districte interdicatur praelato, ne censuram ferat, nisi commonitione canonica

praemissa, excepto si sermo sit de culpa, quae ipso suo genere (idest ipso iure seu ipso facto) suspensionis vel excommunicationis poenam inducat; iam valet regula, quod exceptio firmat regulam in contrarium atque adeo quoties non sit censura latae sententiae, semper praerequiritur canonica praemonitio, ut scite arguunt Palaus disp. 1. p. 5. n. 7. et Suarez disp. 3. sect. 10. n. 20. (a). Sententia igitur s. Alph. non videtur niti ulla firma ratione aut auctoritate.

114. Reponunt VV. (p. 857.), *doctrinam s. Alphonsi non modo solidis, verum et gravissimis rationibus muniri. Etenim* 1° *s. Doctor in casu semper requirit citationem rei ad censuram declarandam et* 2° *omnino cum Suario convenit, sententiam non esse ferendam in reum resipiscentem.*

Resp. ad 1^m. Ista ad rem non faciunt. Nam heic quaestio est de censura *ferendae sententiae*, quando scilicet iudex seu superior *fert sententiam, qua censuram imponit*, quam reus nondum incurrerat; DECLARATIO autem et *citatio ad censuram* DECLARANDAM locum habent, quando reus *ipso facto* iam censuram incurrerat.

Resp. ad 2^m. Idcirco Suarez, contra ac s. Alphonsus censuerit, *monitionem* praerequirit. Et haec quidem, sicut et alia quaedam, quae VV. (ibid.) congerunt, ut ostendant, s. Alphonsum cum Suaresio et aliis DD. convenire, hoc unum evincunt, generalem illam s. Doctoris thesim, qua in casu *monitionis* necessitatem negat, cum aliis eiusdem doctrinis minus cohaerere.

115. Porro non qualiscumque monitio sufficit, sed debet esse *trina*. Sed (inquit ex communi s. Alph. n. 56.). etiam canonica est, si una fiat pro tribus et quidem etiam sine alia causa, dummodo hac una designetur tempus aequivalens; quod cum ex communi DD. requirat saltem *biduum* pro singulis monitionibus, idcirco ad sex dies extendetur, si unica fiat et si terminus sex dierum assignetur ut peremptorius et ultimus, secus enim reus nondum contumax constitueretur. Unde s. Alph. ibid. docet sufficere, si dicatur. = Mandamus, ut infra sex dies restituat; alias ipso facto excommunicabitur =.

Haec deducuntur ex c. *Constitutionem, de Sentent. Excomm.* in 6° ubi dicitur: « Statuimus quoque, ut inter monitiones, quas (ut canonice promulgetur excommunicationis sententia) statuunt iura praemitti, iudices, sive monitionibus tribus utantur, sive una pro omnibus, observent aliquorum (*ergo*, concludunt DD. *saltem duorum*) dierum competentia intervalla. *Nisi facti necessitas aliter ea suaserit moderanda* ».

(a) Egregie Suarez disp. 3. sect. 8. n. 10. evincit, monitionem praerequiri, etiam quando a Praelato censura fertur ad sui defensionem.

Et postrema haec Gregorii IX. verba fundamentum praebent doctrinae, quam sic exprimit s. Alph. n. 56.: « Ex iusta causa tria illa intervalla redigi possunt ad unum diem vel brevius tempus... Imo si periculum sit in mora, v. gr. si clericus ad mortem ducatur, vel si agatur de reprimenda violentia et turbatione iurisdictionis, sufficit una monitio, dummodo (inquit Croix lib. 7. n. 72.) detur breve tempus, intra quod contumax citatus parere possit et a violentia desistere ».

S. Alph. loquens de die uno vel breviori tempore assignando addit: « dummodo tria spatia assignentur, ut Bonacina, Suarez, Salmantic. cum Coninck etc. ». Sed reipsa est singularis doctrina Salmanticensium cap. 1. n. 94., de qua nihil alii allegati habent. Et Coninck disp. 13. *de Cens.* n. 79. dicit unice, in casu dicendum: *moneo te pro tribus vicibus*, prout et A. innuit.

116. Adverte tamen cum s. Alph. n. 58. ex communi doctrina, quod trina (vel una pro tribus) utique necessaria est, ut *licite* censura feratur; non tamen foret invalida censura, sine huiusmodi monitione: uti probatur ex c. *Romana de Sent. Excomm.* in 6° ubi ait: « non ferendas censuras absque competenti monitione praemissa, et si contra praesumpserint, *iniustas* noverint illas esse »: ad quae Glossa ponderat dictionem *iniustas* et advertit non dixisse *nullas* (a).

S. Alph. n. 58. addit, imo in c. *Sacro*, *de Sent. Excomm.* has censuras dici *iustas*, « intellige (inquit), quod saltem non sunt contra iustitiam commutativam et distributivam, quamvis sint contra legalem ». Sed haec videtur inanis speculatio Salmanticensium cap. 1. n. 97. Et dum in cit. cap. *Sacro* dicitur: « Etiamsi iusta fuerit excommunicationis sententia », huius sensus est unice: *Etsi* IUSTA DE CAUSA excommunicatio lata sit etc., quod nihil pertinet ad rem praesentem.

Ab hac generali doctrina de validitate censurae latae sine competenti monitione praemissa, excipitur, nisi censura feratur contra participantes et communicantes cum excommunicato ab eodem iudice: haec enim censura, *ut valida sit,* trinam requirit monitionem, ut expresse cavetur in c. *Statuimus*, et c. *Statutum*, *de Sent. Excomm.*

S. Alph. n. 58. post Salmantic. cap. 1. n. 98. addit, excipiendum etiam casum, in quo potestas ferendi censuram non aliter concessa

---

(a) De hac doctrina Suarez ita addit explicationem (disp. 3. sect. 11. n. 3.): « Hanc communem sententiam intelligendam existimo *de trina admonitione*, haec enim canonica et competens proprie appellatur..., et de illa solum loquuntur iura allata. At vero si loquamur absolute de admonitione, etiam de illa, quae includitur in omni lege vel mandato, quod respicit futurum et non cadit in praeteritum nisi sub aliquo ordine ad futurum, sic censeo monitionem adeo esse necessariam ad valorem censurae, ut si omnino excludatur, censura nulla sit ». Unde cum ista limitatione excipienda est s. Alphonsi doctrina.

seu delegata sit alicui, quam trina monitione praecedente. Et circa hoc nulla esse potest difficultas: vid. Suar. disp. 3. sect. 12. n. 6.

117. Quaeritur, *cui monitio sit facienda.* Porro pro diversis adiunctis, haec sufficiant ex s. Alphonso lib. 7. n. 57. In illis censuris, quae generales sunt contra personas, quae hoc vel illud delictum commiserunt, cum personae delinquentes ignorentur, non potest eis admonitio personaliter fieri. Satis ergo erit, quod fiat in aliquo loco publico et usitato more, v. gr. in Ecclesia coram populo; nam id satis erit, ut ad delinquentium notitiam admonitio perveniat. Et in foro quidem exteriori ita semper praesumetur, quandiu oppositum probatum non fuerit: in conscientia vero necessarium semper est, ut ad notitiam personae deveniat; alioquin excusabitur (ut sup. notatum est n. praec. nota). Ita Suarez disp. 3. sect. 11. n. 5. et Bonacina disp. 1. q. 1. p. 9. n. 8.

Quando interdictum vel suspensio contra Communitatem fertur, admonitio facienda est delinquenti, ob cuius delictum fertur interdictum vel suspensio. Ratio est, quia ipse est inobediens et contumax, non vero communitas; ergo delinquenti facienda est admonitio, non autem communitati: nisi forte delinquens alia ratione non posset admoneri et retardari a peccato. Ita Bonac. disp. 1. q. 1. p. 9. n. 11., et Suarez disp. 3. sect. 8. n. 2. cum aliis.

Quando vero censura fertur contra personam aliquam particularem et determinatam, admonitio facienda est coram illa persona. Ratio est eadem ac generatim pro necessitate admonitionis, quia nempe ad incurrendam censuram requiritur contumacia; sed nullus est contumax nisi admonitus. Ergo. Ita communis DD. Bonac. disp. 1. q. 1. p. 9. n. 8.

Quocirca *regulariter* in casu non sufficit, admonitionem fieri ad domum delinquentis. Fieri enim potest, ut nihil ipse sciat et consequenter puniatur poena censurae absque contumacia et inobedientia; quod fieri non potest.

118. Dixi *regulariter;* quia nonnulli casus sunt, in quibus sufficiet admonitio ad domum delinquentis facta, non secus ac citatio dicitur ex iure communi legitime facta, si fiat ad domum illius, qui citandus est. Sunt autem casus sequentes:

1° Quando reus per dolum se abscondit, vel impedit per vim, ne moneatur. Tunc enim habetur satis contumax, licet non fiat ipsi personalis admonitio. Debet tamen prius probari, eum per dolum se abscondere aut per vim impedire; quippe factum vel dolus non praesumitur, sed probari debet. Bonac. disp. 1. q. 1. p. 9. n. 9. Quo in loco fieri possit, sic indicat Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 29.: « Monitio

fieri debet ad Rei personam, nisi iste malitiose lateat; tunc enim citatio eius fieri posset ad eius domum, vel valvas Ecclesiae, vel in alio loco publico, ex quo in rei notitiam pervenire possit. Ex c. *Quoniam* §. 9. *Porro* h. tit.

2° Si contingat, huiusmodi delinquentem non habere domicilium; sufficiet enim tunc monitionem fieri in ecclesia cathedrali, vel principali illius loci. Ita Communis apud Bonac. l. c.

3° Quando semel facta fuit personalis admonitio; tunc etenim fieri reliquae possunt ad domum aut per edictum, aut in ipso tribunali, ut DD. tradunt et definivit etiam Rota apud Bonac. disp. 1. q. 1. p. 9. n. 9.

4° Quando citatio ad domum facta innotuit delinquenti; tunc enim reliquae ad domum fieri possunt (Bonac. ibid. cum aliis): dummodo probari possit, primam admonitionem reipsa reo innotuisse. Et haec probantur ex Clem. 3. *de Election.*

5° Denique quando quis fuit male absolutus ab excommunicatione et agitur de revocando ipsum ad priorem excommunicationem, ut Bonacin. ex decis. 399. Rotae *In novis* et DD. confirmat (l. c.).

119. *A quo facienda est admonitio canonica?*

Admonitio facienda est, inquit s. Alph. n. 56. in fin., ab ipso iudice, vel ab alio eius nomine.

Ea de re Suarez disp. 3. sect. 11. n. 1.: « Ex his... sequitur, fieri (admonitionem) debere *auctoritate et nomine* ipsius iudicis, qui censuram laturus est. Ratio est manifesta; quia admonitio talis esse debet, ut, si quis non pareat, contumax et inobediens exsistat; quod esse non potest, nisi admonitio Superioris auctoritate facta sit. Addunt Canonistae aliam rationem, quia nempe haec admonitio habet vim citationis: citatio autem, ut sit alicuius momenti, iudicis auctoritatem requirit ».

Insuper quando censura ferenda est in commodum alicuius privatae personae, tunc oportet admonitionem fieri ad instantiam eius. Quia habet vim citationis et citatio, ut valida sit, ad instantiam partis fieri debet; quippe propter privatam utilitatem non debet iudex proprio motu suum officium interponere...

Secus tamen, si censura feratur propter commune bonum; in quo casu potest iudex ex officio procedere atque adeo potest ex officio admonere, sicut etiam potest ex officio citare. Suarez disp. 3. sectione 11. n. 1.

120. *Suntne sollemnes quaedam formae in monitione adhibendae?*

Auctor sane addit: 1° monitionem ex scripto recitandam, 2° exprimendam censurae causam, 3° Reo petenti exemplum tradendum intra mensem et quidem sub poena suspensionis a divinis.

Verum 1° nescio quomodo penes quosdam Auctores, uti etiam nostrum, illud irrepserit de monitione ex scripto facienda. Quod quidem habet etiam Schmalzgrueber lib. 5. tit. 39. n. 28. inquiens: « Haec monitio fieri debet in scriptis » et cum eo Reiffenstuel in lib. 5. tit. 39. n. 25. iisdem prope verbis; uterque autem allegant Palaum disp. 1. p. 5. n. 9., qui reipsa id tradit et dicit, id erui ex cap. *Cum medicinalis* §. *de Sent. Excomm.* in 6°.

Atqui in isto loco iuris non est sermo de monitione, sed de sententia excommunicationis, uti paulo post videbimus (n. 122.).

Hinc alii, ubi v. gr. Suarez disp. 3. sect. 11. et 12. et Bonacina disp. 1. q. 1. p. 9. n. 11. et 12. nihil de necessitate scripti habent. Imo vel ipse Filliuccius, quem Auctor allegat, scilicet (tr. 1. cap. 4. q. 6. n. 101.) scribit: « sive fiat admonitio in scripto, sive absque illo etc. » quae plane nullam dicunt scripti necessitatem.

121. Difficilia autem sunt, quae habet s. Alphonsus n. 56. in fin., ubi ait: « Debet etiam monitio fieri in scriptis, nisi iudex procedat ex officio prout tenetur aliquando ob bonum commune ex cap. *Venerabilibus* §. *Porro de Sent. Excomm.* in 6°; quia tunc sufficit, si monitio fiat oretenus, ita tamen ut probari possit in foro ».

Sed heic haberi certe mendum typographicum dixerim, quo factum est, ut duae disparatae sententiae seu doctrinae Salmanticensium, a quibus haec se sumpsisse ait s. Alphonsus, ita permixtae sint, ut exceptio priori adiuncta ad secundam translata sit et sic monstrum quoddam prodierit. Nam ita Salmanticenses cap. 1. n. 95. habent: « Quando in commodum alicuius particularis (censura) fertur, ad instantiam illius (monitio) debet fieri; si vero in bonum commune, ex proprio motu (iudex?) potest procedere; quia ex officio ad hoc tenetur ex cap. *Venerabilibus* §. *Porro, de Sent. Excommunic.* in 6°. Non requiritur, quod fiat in scriptis; bene tamen coram testibus idoneis, quibus in foro exteriori probari possit, c. *Sacro, de Sent. Excomm.*, Diana supres. 19., Gibal. n. 10., Corneio dub. 2. q. 7. ». In quibus apparet, exceptionem *iudicis procedentis ex proprio officio*, pertinere non quidem ad quaestionem, an scripto facienda sit monitio, sed ad quaestionem (quam sup. tetigimus n. 119.) de monitione facienda *ad instantiam partis, aut ex proprio iudicis motu.* Contra vero quoad quaestionem, an scripto monitio sit facienda, Salmanticenses oppositam sententiam sectantes, expresse negant, requiri unquam monitionem in scriptis.

Hinc et textus c. *Sacro, de Sent. Excomm.*, Dianae, Gibalini et Corneio, quos ex Salmanticensibus sumpsit s. Alph., pertinent utique ad monitionem faciendam *coram testibus*, nihil vero habent de ipsa in

scriptis facienda; quin imo cum et Gibalinus (*de Cens.* disquis. 6. p. 1. n. 10.), et Diana p. 5. tr. 9. res. 19. et in Edit. Coord. tom. 5. tr. 1. res. 3. n. 2. reliqua recensentes ad monitionem requisita, de ea facienda in scriptis taceant omnino, contra s. Alphonsum faciunt.

Mendum autem hoc typographicum (nisi quis putet potius tribuendum errori oculorum, dum s. Alph. haec compendiatim ex Salmanticensibus exscribebat) valde est antiquum, nam habetur in prima editione anni 1748. tum in aucta anni 1757., dein in Bassanensi et Taurinensi 1825. et etiam in stereotypa Taurinensi anni 1847.: ut idcirco putem, nullam editionem hoc mendo esse immunem.

Praeterea 2° quod A. dicit de poena suspensionis a divinis, nisi tradatur exemplum scripturae intra mensem reo petenti, id non de monitione intelligendum est, sed de sententia, qua fertur censura. Et fortasse Auctor etiam quod praemiserat *ut ex scripto recitetur*, intellexit de censurae sententia; de qua iam agendum.

122. *Sunt sollemnitates servandae in ferenda censura.*

Hasce sollemnitates ita praescripsit Innocentius IV. in decreto lato in Concil. Lugdun. an. 1245. et relatum est in Ius Canonic. (cap. *Cum medicinalis de Sent. Excomm.* in 6°): « Cum medicinalis sit excommunicatio, non mortalis, disciplinans, non eradicans, dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat: caute provideat Iudex ecclesiasticus, ut in ea ferenda ostendat, se prosequi, quod corrigentis fuerit et medentis. Quisquis igitur excommunicat, excommunicationem *in scripto* proferat et causam excommunicationis expresse conscribat, propter quam excommunicatio proferatur. Exemplum vero huiusmodi scripturae teneatur excommunicato tradere intra mensem, si fuerit requisitus, super qua requisitione fieri volumus publicum instrumentum vel litteras testimoniales confici sigillo authentico consignatas. — Si quis autem iudicum huiusmodi constitutionis temerarius exstiterit violator, per mensem unum ab ingressu Ecclesiae et divinis officiis noverit se suspensum. — Superior vero, ad quem recurritur, sententiam ipsam sine difficultate relaxans, latorem (al. auctorem) excommunicato ad expensas et omne interesse condemnet et *alias puniat*, ut poena docente discant iudices, quam grave sit excommunicationum sententias sine maturitate debita fulminare. — Et haec eadem in suspensionis et interdicti sententiis volumus observari. — Caveant autem Ecclesiarum Praelati et Iudices universi, ne praedictam poenam suspensionis incurrant; quoniam, si contingeret eos sic suspensos divina officia exsequi, sicut prius, irregularitatem non effugient iuxta canonicas sanctiones: super qua non nisi per summum Pontificem poterit dispensari ».

Ex quibus patet, requisita ab A. expressa spectare ad sollemnitates adhibendas in censuris ferendis, non vero in praemittenda monitione.

Monent porro Doctores, poenas hasce non incurri ab Episcopo, qui forte aliquam ex praedictis sollemnitatibus omittat. Ratio, quia in praedicto decreto non fit expresse mentio Episcopi. Atqui Episcopi poenas generatim latas suspensionis et interdicti non incurrunt, nisi in decreto expresse nominentur, ut habetur in c. *Quia periculum*, *de Sent. Excomm.* in 6° hisce verbis: « Quia periculum est Episcopis et eorum Superioribus propter exsecutionem pontificalis officii, quod frequenter incumbit, ut in aliquo casu interdicti vel suspensionis incurrant sententiam ipso facto; Nos deliberatione provida duximus statuendum, ut Episcopi et alii superiores Praelati nullius Constitutionis occasione sententiae sive mandati praedictam incurrant sententiam ullatenus ipso iure, nisi in ipsis de Episcopis expressa mentio habeatur ».

123. Praeterea cum Pontifex eas poenas intentet iis, qui *temerario* violent eam Constitutionem, idcirco recte s. Alph. n. 61. notat, poenas dictas non incurri ab eo, qui illas sollemnitates omittat *ex causa urgenti*, aut ex ignorantia etiam culpabili; quippe *temeritas* veram scientiam requirit: imo *urgente causa* etiam licite eas sollemnitates omitti addit Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 28. Et Episcopus verbo tenus posset excommunicare. Schmalzgr. ibid.

Addit tamen s. Alph. n. 61. ad fin., poenas incurri, etiamsi censura effectum non habeat, v. gr. si Praelatus habeat iurisdictionem impeditam. Ratio, quia per illas punitur non prolatio iniustae censurae, sed prolatio sine sollemnitatibus praescriptis.

Ceterum *verius*, ut ait s. Alph. n. 60., seu *probabilius*, ut ait Schmalz. n. 28., censura valore suo non destituitur, etiamsi sine iusta causa sollemnitates omittantur et prolatio censurae fiat verbo tenus. Ratio, quia iure naturae scriptura non est necessaria; iure vero positivo etsi scriptura requiratur ex cit. cap. *Cum medicinalis;* tamen non sic necessario exigitur, ut aliter prolata censura irritetur.

S. Alph. n. 60. in fin. autem censet, nihilominus graviter peccare, si vel non scripto feratur censura aut causam non exprimat, aut exemplar postulanti non concedat.

Denique monet s. Alph. cum aliis (n. 61.), quod Episcopus potest censuram etiam per alium quemlibet proferre; praelatus vero inferior, nisi per se faciat, publicum notarium aut alium ministrum debet adhibere.

Causam autem explicare debet non generice, v. gr. ob *contumaciam* vel *inobedientiam;* sed in specie delictum exprimendo etc. s. Alph. ibid.

Quoad alias sollemnitates monet s. Alph. n. 65., non esse censuram ferendam diebus feriatis, quando fertur per modum sententiae (ex l. final. *De feriis*), licet secus non sit invalida: excipe nisi contumacia ita pateat, ut non sit opus cognitione causae.

124. Quoad necessitatem exprimendi in sententiae scripto censuram, quae infligitur, memorat s. Alph. n. 62. quaestionem, an incurratur censura lata sub distinctione, v. gr. si dicatur: *maneat aut excommunicatus aut suspensus.*

Adsunt (inquit) duae sententiae, ambae probabiles. Negant quidam, quia dicunt requiri, ut censura in specie et individue determinetur. Affirmant alii cum Suarez aiente *de Cens.* disp. 3. sect. 2. n. 12.: « Ex ratione adducta et exemplis similibus videtur fieri *valde probabilis* et ideo in eo casu consulerem, talem sententiam timendam esse et quoad alteram saltem partem esse servandam: electionem tamen relinqui arbitrio delinquentis ». Eligi autem una censetur, ut notat s. Alph. si altera frangatur.

Ratio autem, quam Suarez innuebat, ista est (ibid. sect. 2. n. 17.): « Quia disiunctiva licet non definita sit ad unam partem determinate, confuse tamen est determinata ad unam earum: nihil ergo impedit, quominus sententia ita sub disiunctione prolata valida sit. Nam intentio iudicis esse potest, ut altera illarum partium exsecutioni mandetur: relinquit autem arbitrio ipsius delinquentis, ut quam maluerit, partem illius poenae eligat et acceptet ».

125. Iamvero cum s. Alphonso n. 63. advertemus hoc loco posse censuram ferri *sub conditione;* quae propterea non incurritur, nisi conditione impleta. Idcirco si quis appellet ante impletam conditionem, censura non incurritur. Vid. Suarez disp. 3. sect. 6. n. 4.

Suspensio effectus censurae procedere potest etiam (in casu) sine appellatione, si creditor, in cuius gratiam intentata fuerit censura, proroget terminum debitori. Ratio patet; quia sicut potest remittere debitum (quo casu censura cessat, cessante eius ratione), sic potest et terminum solvendi seu satisfaciendi prorogare.

Et quidem recte s. Alph. n. 64. docet ceu probabilius, id fieri posse etiam inconsulto iudice. Quippe iudex non assignat illum terminum ad finiendam obligationem, sed ne solutio ultra porrigatur sine creditoris consensu. Idcirco transacto deinde termino prorogato a creditore, eadem censura incurritur (vid. Suarez disp. 3. sect. 6. n. 9.).

126. Quaestio fit, an per mutationem domicilii, quae mutatio secum trahere videtur mutationem fori, quis vitet censuram.

Qua de re ob brevitatem sententia s. Alphonsi n. 65. est paulo obscurior. Dicit enim, incurrere censuram eum, qui, pendente conditione,

mutat forum; quia adhuc primus forus retinet iurisdictionem. Limitandum id tamen esse, nisi ex iusta causa et non in fraudem, domicilium cum foro mutaretur.

Ut clarius haec materia explicetur, prae oculis habeantur hae conclusiones quas statuit Suarez.

1° Si ex aliqua mutatione subditi contingat, illum ante impletam conditionem fieri non subditum, respectu illius, *ut sic*, cessat et vires amittit censura lata sub conditione. Ratio, quia censura cessat, quando iudex desinit esse iudex, quia nempe iurisdictionem amittit. Atqui quando ex parte alterius extremi fit mutatio, uti cum subditus domicilium mutat, desinit iurisdictio in illam personam. Ergo (Suarez disp. 3. sect. 5. nn. 1. 2.).

Veruntamen, quia potest aliquis non esse subditus simpliciter et nihilominus esse subditus quoad aliquid seu in aliqua causa; ideo licet per mutationem domicilii certum sit, fieri non subditum simpliciter eum, qui antea erat subditus, adhuc tamen quaeri potest, an possit manere subditus respectu illius causae vel actionis, propter quam lata est censura, vel an etiam respectu huius subiectionem amittat. Sint ergo aliae conclusiones (ibid. n. 2.).

2° Quandocumque censura est lata per statutum generale propter futuram actionem, si quis mutet domicilium ante impletam conditionem, etiamsi postea agat contra statutum, non incurrit censuram.

Ratio evidens, quia ille iam non obligatur illo statuto, cum iam sit extra territorium et extra iurisdictionem alterius Praelati. Vid. cap. fin. *de Constitutionibus* in 6° (Suarez disp. 3. sect. 5. n. 3.).

3° Item quandocumque censura lata est per sententiam generalem ab homine, vel per speciale praeceptum, quibus pure prohibetur vel praecipitur aliquid in futurum sub tali censura, sine ullo ordine vel habitudine ad praeteritum factum; tunc quoque amittit vim ad inferendam censuram respectu illius, qui mutavit domicilium.

Ratio, quia licet hae sententiae dicantur esse ab homine, reipsa tamen solum sunt quaedam praecepta. Ergo possunt solum obligare subditos. Atqui qui mutat domicilium, desinit esse subditus; ergo non obligatur praecepto alterius Praelati. Neque eiusmodi praecepta quoad hoc maiorem quandam vim ex eo habent, quod munita fuerint censura (Suar. ibid. n. 4.).

127. 4° Quando censura fertur sub conditione, quae respicit factum praeteritum et commissum tempore prioris domicilii, et subiectionis, tunc ratione iuris acquisiti ex priori facto, efficitur, ut licet mutetur subiectio simpliciter cum domicilio, maneat tamen subiectio quoad talem causam et consequenter quoad talem censuram.

Duobus autem modis id contingere potest:

Ac primo quidem, si quis prius commisit delictum vel fecit nocumentum, ad cuius restitutionem vel satisfactionem intra tantum tempus obligatus est a priori iudice sub censura ipso facto incurrenda. Licet enim intra dictum tempus ille mutet domicilium, obligatus tamen manet priori praecepto et ita, si conditionem non impleat, censuram incurret.

Ratio, quia per prius delictum mansit subditus speciali hoc titulo praeter titulum domicilii: atqui specialis ille titulus per se sufficit ad constituendum subditum in tali causa. Ergo quamvis mutet domicilium, manet subiectio quoad hanc causam ratione delicti (c. fin. *de Foro Competenti*) atque adeo manet obligatio sub eadem censura.

Altera ratio est, quia talis sententia censurae non est purum praeceptum rei futurae, sed est veluti iudicium quoddam inchoatum in tali causa, in qua ille constitutus est reus et iam vel formaliter vel virtute coram tali superiore citatus est, ut causam agat et in eo iudicio condemnatus est et ita per sententiam praeventus, ut in eodem iudicio debeat reum absolvere. Manet ergo semper subditus quoad hanc causam (Suarez ibid. n. 5.).

Alio modo potest id contingere, quando non praecessit quidem delictum, praecessit tamen causa aliqua, quae in iudicium trahi coepta est: v. gr. si praecessit aliquis contractus vel debitum, cuius exsecutio coram Superiore postulata fuerit per citationem partis et alia, quae ad litem inchoandam requiruntur. Tunc enim si ex tali causa vel in ordine ad eius progressum orta sit impositio censurae sub conditione intra certum tempus, quamvis eo tempore mutetur domicilium, subiectio in ordine ad talem causam semper manet, uti expresse deciditur in cap. *Proposuisti, de Foro Compet.:* » Proposuisti nobis, quod quidam subditus tuus, ad petitionem cuiusdam adversarii sui, a te legitime citatus ad causam, quia postmodum iurisdictionis alterius esse coepit, tuum intendit iudicium declinare. Porro tuae prudentiae dubium esse non credimus, quod is in praedicta causa ius revocandi forum non habet, quasi ab altero iam praeventus (vid. Suarez l. c. n. 6.).

Videtur tamen, ut Suarez l. c. n. 6. pergit, moderatio adhibenda, nempe quando huiusmodi persona domicilium mutat aut in fraudem, aut proprio motu. Nam si domicilium mutare cogatur ex praecepto Superioris propter bonum commune, vel aliam similem causam, tunc omnino desinit esse subditus priori iudici, etiam in causa coram illo inchoata et cum *omnino* mutetur subiectio, cessat obligatio parendi priori Superiori et consequenter cessat in materia contumacia, adeo ut, adveniente tempore impletae conditionis, non incurrat censuram.

XXIX. Tertio, ob defectum iustae causae. Haec autem deficere potest tripliciter: 1. Si nec a parte rei nec secundum allegationem fori externi subsistat. 2. Si a parte rei crimen subsistat quidem, non tamen in ordine ad iudicium; quia reus de eo non confitetur, nec legitime de eo convincitur. 3. Si a parte rei non subsistat crimen, etsi iuridice probetur, ideoque titulum seu causam praesumptam habeat iudex. In quo casu, etsi sententia a parte rei sit iniusta, ideoque probabilius censura non liget in foro conscientiae, in foro tamen externo servari debet propter scandalum. Vide Laym. p. 1. c. 6.

128. Triplicem casum Auctor recenset.

Primus est, quando quis tum in foro conscientiae tum in foro externo expers est culpae.

Convenit inter omnes, sic innocentem ligari censura non posse; quia in eo casu iudex potestate sua abutitur et ideo sententia illius irrita est ac nulla et non timenda. Vid. cap. *Solet* et cap. *Venerabilibus* §. *Potest. de Sent. Excomm.* in 6°.

Alter est, quando quis reus est; sed culpa exterius non est probata. Etiam tunc affici quis censura non potest, etiamsi crimen privatim notum sit iudici. Ratio, quia Iudex censuram ferre non potest ob scientiam privatam, sed publicam; utpote quae est actus publici ac forensis iudicii: alias nulla erit sententia.

Hoc tamen intelligitur de sententia ab homine per sententiam particularem lata. Nam si censurae latae sint per legem, statutum, seu generalem sententiam et *ipso facto incurrendae*, tunc in foro conscientiae afficietur quisquis delictum patravit, etiamsi in foro externo probari nequeat (Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 80.).

Tertius demum est, quando crimen nullum reipsa adest: tamen in foro externo probatur adesse.

Et recte respondet A., probabilius in foro conscientiae censuram non valere et hanc sententiam communius docent non modo Thh., sed etiam Canonistae (vid. Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 82. et Reiffenstuel lib. 5. tit. 39. n. 40. seqq.).

Ratio est, quia praeceptum illud iudicis nititur falsa praesumptione obligationis et aperto errore. Alienum autem est a benignitate Ecclesiae cogere et obligare sub censura ad solvendum ceu debitum, quod nullo modo est debitum. Ergo non est credendum, ullam obligationem ex hoc praecepto induci (Schmalzgr. l. c. n. 82.). Atque id confirmatur ex doctrina, quae traditur communiter, dē homine ad damnum reparandum damnato ex falsa culpae iuridicae praesumptione, v. gr. quod canis, qui momordit, fuerit tuus. Nam tenemus, illum in foro conscientiae non obligari, imo posse uti occulta compensatione.

129. Addit tamen A., in foro externo parendum esse praecepto et censuram servandam, quando sine scandalo subterfugere quis non

potest. Excipe cum s. Alph. n. 68., nisi publice constet, censuras esse nullas; tunc enim scandalum abest.

Hinc (addit s. Alph. n. 48. in fin.) exsecutor sententiae, quae sit iusta secundum allegata et probata, tenetur eam exsecutioni demandare, etiamsi ex privata scientia noverit esse iniustam: secus vero si sententia etiam secundum probata foret iniusta.

Quae obligatio non a Superioris illius praecepto oritur, sed a iure naturali, quod iubet, ne potestati publicae iuste et iuridice praecipienti resistatur, licet minus iustum sit id, quod ipsa praecipit. Idcirco censura sic percussus tenetur in publico abstinere ab omnibus actibus, qui per censuram prohibentur idque non vi censurae, ut diximus, sed naturali iure.

Veruntamen ab iis non abstinens, quae vetat censura, non incurreret in foro conscientiae irregularitatem nec eiusmodi censura affectus reipsa privatus est communione fidelium, Ecclesiae suffragiis, iurisdictione spirituali etc.; quippe hi effectus solum adnectuntur verae censurae, non vero merae illius existimationi.

Proinde, ubi scandalum illud absit, licebit se gerere, prouti se alii gerunt illa censura soluti v. gr. alibi sacramenta suscipere, sacris interesse etc. et item si quis sacerdos sciat eius statum, secreto poterit sacramenta illi dare etc.

130. Nonnullas resolutiones addit heic s. Alphonsus, quae pendent ex generalibus principiis in re dubia (tract. *de Consc.*).

In dubio, an censura sit incursa, in foro conscientiae non tenemur, nos gerere uti censura affectos.

Non in dubio facti, idest circa crimen, v. gr. si dubitetur, an Clerici percussio sit graviter iniuriosa; quia in dubio nemo expoliandus est iure suo communicandi, quod possidet.

Non in dubio iuris v. gr. si dubitetur, an censura sit sententiae latae vel ferendae, vel an apposita conditio sit impleta (sed hoc est dubium facti); quia poenae sunt restringendae: unde in dubio non incurruntur. Ita s. Alph. n. 67.

Contra, si post censuram incursam dubitetur de obtenta absolutione vel de interposita interpellatione etc., teneris te habere ut censura affectum. Ratio, quia possessio stat pro Superiore seu lege (s. Alphonsus n. 67.).

In dubio de potestate Superioris, qui pacifice eam possidet, standum est pro hac potestate et ideo censura habenda est ut valida (ibid.).

Item in dubio, an sententia iusta sit necne. Eadem ratio, quia possessio stat pro lege ac Superiore (ibid. n. 68.).

Etiamsi probabile tibi sit, te non teneri praecepto, praecipienti

tamen sub censura, v. gr. solutionem pecuniae, parere teneris. Ratio (inquit s. Alph. n. 68.), quia secus lites nunquam finirentur. Adde rationem, quia iudicis sententia inter probabilitates litigantium, iusta censeri debet.

Illud tandem advertatur, quod iam innuimus, per appellationem non suspendi efficaciam censurae, ita ut appellans sit ab ea liber, durante appellatione. Id ipso iure cautum est (cf. Suarez disp. 6. sect. 4. n. 2.). Et ratio affertur in c. *Pastoralis*, *de Appell.*, quia censura secum trahit suam exsecutionem.

* Adverte cum Lugo (*Resp. mor.* l. 2. d. 6.), quod, quamvis appellatio interposita post declarationem censurae incursae a iudice factam non suspendat censuram, suspendit tamen effectum declarationis, ut excommunicatus quidem reus maneat, non tamen vitandus, sed toleratus, ut ante declarationem. Cf. Sanchez *Consil.* l. 3. D. 32. n. 243. et D. 33. n. 2. *

Dub. V.

Quis possit absolvere a censuris.

131.* Quaerere heic primum licet, an censuratus teneatur petere absolutionem statim. Haec quaestio potissimum fieri solet de excommunicatione, ut suo loco videbimus.

Per se (nisi occurrat speciale aliquod Ecclesiae praeceptum, aut quaedam obligatio vel ex officio vel ex contractu, cui oporteat statim facere satis ipsum censuratum) si non tenetur quis, peccato admisso coram Deo, statim poenitere (*de Sacr. Poenit.* Vol. V. 683. seqq.): non video cur statim teneatur, absolutionem censurae petere ab Ecclesia. Suarez disp. 6. sect. 2. n. 2. ait, teneri censuratum deponere contumaciam et, si habeat voluntatem novam manendi in contumacia, novum admittere peccatum. Verum si agatur de censuris latae sententiae, opus haud est contumaciam durare patrato delicto, nec restat nisi necessitas poenitendi et petendae absolutionis a peccato et a censura. At re per se spectata, non apparet, cur magis urgeat necessitas huius absolutionis, quam illius.

Si tamen agatur de censura non contracta, sed contrahenda, tunc profecto, minitante superiore censuram nisi contumacia deponatur, statim obedire oportet: parendum est enim Ecclesiae rite praecipienti: sed quaestio nostra est de eo, qui non obediens censuram contraxerit, an statim teneatur petere absolutionem. Et adverte, aliud esse quod contumacia deponatur, aliud quod absolutio petatur; illud enim esse potest sine hoc.

Ceterum si praecepto Ecclesiae annuae confessionis aut communionis faciendum est satis, absolutio ab excommunicatione vel etiam ab interdicto, quod sit censura, petenda erit intra annum: qua de re cf. dicenda de excommunicatione suo loco.*

XXX. Resp. 1. A censura lata per sententiam particularem ordinarie is tantum potest absolvere, qui eam tulit vel eius superior vel successor vel delegatus. Ab ea, quae lata est a iure communi, vel ab homine per sententiam generalem, si non sit reservata, potest absolvere quivis, qui censuratum potest absolvere a mortalibus: si vero sit reservata, ordinarie et per se potest tantum vel relaxari ab auctore legis vel eius successore vel delegato.

Dixi 1. Ordinarie: quia in articulo mortis quivis Sacerdos absolvere potest a quavis censura.

Dixi 2. Per se: quia per accidens et ex privilegio possunt etiam alii. Laym. l. 1. t. 5. p. 1. c. 7.

132. DD. distinguunt cum Auctore censuras latas ab homine per sententiam particularem et latas tum ab homine per sententiam generalem tum a iure.

Quoad primas, potest ab iis absolvere 1° qui eas tulit, vel 2° eius superior vel 3° successor aut 4° delegatus et nullus alius. Est certum, et commune, ut ait s. Alph. n. 72.

Sed singulae particulae indigent explicatione.

Quod possit ille, qui tulit, a censura absolvere, ratum est apud omnes (vid. Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 86.). Distingue tamen auctorem censurae ab eo, qui solum denuntiat authentice, aliquem esse excommunicatum. Hic enim non hoc ipso absolvere potest c. *Conquesti sunt, de Sent. Excomm.* sed is potest, qui censuram tulit.

Et huc facit (cap. 1. *de Reg. Iuris* in 5. decretal. tit. 41.). « Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur ».

Et l. *Nihil.* ff. *de Reg. Iur.:* « Nihil tam naturale est, quam eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est ».

Extenditur hoc, etiamsi reus domicilium mutet; adhuc enim non modo potest, sed etiam debet solum ab eo absolvi, qui tulit sententiam. Ratio est, quia mutatio domicilii non eximit hominem a iurisdictione auctoris censurae. Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 87. Sane superius n. 35. adnotatum fuit, Episcopum posse etiam in alieno territorio absolvere suos subditos in foro tum externo tum interno, dummodo id fiat sine strepitu iudiciali (vid. s. Alph. lib. 7. n. 72.).

Et hinc est, quod et s. Alph. notat n. 72., quod si quis in alieno territorio deliquit et ab illius loci Episcopo *specialiter* fuerit excommunicatus, non potest absolvi ab Episcopo proprio, nisi de Episcopi excommunicantis licentia.

Absolvi autem potest reus *ab Ordinario*, qui censuram tulit, etsi interposuerit appellationem.

Ratio est, quia per interpositam appellationem Iudex *a quo* non privatur iurisdictione quoad ea, quae appellationi non obstant. Atqui absolutio a censura non obstat appellationi, cum imo sit id, quod per appellationem intenditur. Ergo.

Diximus *ab Ordinario;* nam si sit iudex delegatus, etsi possit impendere absolutionem ante interpositam appellationem, non tamen post eam admissam, quippe eo ipso privatur iurisdictione (Schmalzg. lib. 5. tit. 39. n. 87.).

133. Plures tamen sunt casus, in quibus Auctori censurae non permittitur absolvere. Quinque seqq. recenset Schmalzgr. l. c. n. 88.

1° Si is evadat excommunicatus vitandus; tunc enim privatur omni iurisdictione, quam habebat, ut infr. dicetur.

2° Si potestas ferendi censuram illi commissa sit absque causae cognitione (cap. fin. §. fin. *de Offic. Delegati*): quia ipsi tunc censetur commissum nudum ministerium, seu nuda exsecutio ferendae censurae.

3° Si Papa ex certa scientia censuram ab Ordinario latam confirmet; eo ipso enim absolutionem sibi reservat, quia ea confirmatione Ordinarii sententiam suam facit (*Si Apostolica, de Praebendis* in 6°).

4° Si censura ab Ordinario lata sit in incendiarium; quia eo ipso reservatur Papae iuxta c. *Tua nos, de Sent. Excomm.:* « Non solum qui in Clericos temerarias manus iniiciunt, sed etiam incendiarii, ex quo sunt per Ecclesiae sententiam publicati, pro absolutionis beneficio ad Apostolicam Sedem sunt mittendi ».

5° Si quempiam excommunicaverit Papae delegatus; nam hic ab eodem delegato post annum ab incursa excommunicatione absolvi nequit, ex c. *Quaerenti, de Offic. Delegati* (Schmalzgr. l. c. n. 88.).

134. Cum vero dicitur posse a censura absolvere *Superior ferentis,* intellige *Superiorem, qui pleno iure talis sit.*

Proinde Archiepiscopus non potest pro lubito absolvere a censuris suffraganeorum suorum, sed tantum vel tempore visitationis (c. *Cum ex Officii, de Praescript.*), vel si causa ad ipsum fuerit per appellationem delata (c. *Romana* et c. *Venerabilibus* h. tit. in 6°). Ratio quia non est Superior Suffraganeorum suorum pleno iure, sed solum in quibusdam casibus.

Idem dicendum de Patriarcha vel Primate respectu Archiepiscoporum (c. *Venerabilibus* h. tit.).

Imo nec Legatus a latere, quamvis omnium Praelatorum provinciae suae superior sit et iudex, potest absolvere censuratos ab inferioribus Praelatis extra causam appellationis (communis apud Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 91.).

Quod vero semper possit ille, qui pleno iure est Superior, patet, quia huius potestas ab inferiore limitari aut circumscribi non potest (item 2. *de Elect.*) ac proinde dum absolvit a censura per inferiorem lata, utitur iure suo, ideoque nullam ei iniuriam irrogat. Ita Praepositus Gener. Ordinis quoad censuras latas a Praep. Provinc., vel locali.

Excipitur, nisi aliter ferat consuetudo; sicut contingit in Regularibus subiectis Episcopo; nam hi, si excommunicati vel suspensi fuerint a Praelato suo Regulari ex causa ad religiosam disciplinam spectante, nequeunt ab Episcopo absolvi, nisi intercesserit appellatio; quippe prima instantia Regulari Praelato competit. Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 90.

Ceterum licet Superiori sit facultas absolvendi inferioris censuras; nunquam tamen absolvere censuratos debet, etsi valide possit, quin prius satisfactionem plenam exigat et inferiorem Praelatum moneat, ne eius auctoritas contemni videatur (Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 90.).

135. Quod successor possit absolvere a censuris praedecessoris, res per se patet; quia eandem cum Antecessore potestatem habet eademque cum illo persona censetur (can. 40. caus. 11. q. 3.).

Idque valet tum in successore delegati (c. *Pastoralis* §. *Praeterea*, *de Offic. Deleg.*) tum etsi tantum sit successor ad tempus, ut v. gr. Capitulum Sede vacante (cap. unic. *de Maiorit.* in 6°).

Excipe tamen casus, de quibus sup. n. 133. ut res per se loquitur. (Schmalzgr. l. c. n. 89.).

De delegato id tamen considerandum, an vera ac plena fuerit delegatio ferendi censuram, quae involvit causae cognitionem, an vero cuipiam nudum ministerium seu mera exsecutio ferendi censuram commissa fuerit. Nam poterit utique absolvere delegatus in priori casu a censura lata a delegante, non item in posteriori (Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 92.).

136. Dictum est, neminem praeter recensitos posse a censura praedicta absolvere et ratio, cur nemini alii haec potestas fiat, obvia est; quia nempe secus iudicum iurisdictio turbaretur et eorum auctoritas contemneretur.

Si tamen reus paratus sit satisfacere, sed ob infirmitatem vel aliud impedimentum adire non possit censurae auctorem, ut absolvatur: tunc ab aequali iudice vel ab inferiore absolvi potest, praestitis debitis cautionibus, quod, cum primum poterit, se praesentabit ei, cui de iure competit absolutio. Ratio est, quia cum censura sit poena medicinalis, multis spiritualibus commodisque bonis privans, expediebat eam, posita correctione, auferri. (vid. c. *Ea noscitur*, c. *Quod de his* et cap. *Quamvis*, *de Sent. Excomm.*). Sed de his infra (Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 94.).

Addit s. Alph. lib. 7. n. 72.: « Quod si *iudex* in foro externo testetur (Salmantic. *de Cens.* cap. 2. n. 40. addunt idem *de Notario;* at unde id evincunt?), censuratum iam satisfecisse partibus aut esse emendatum; tunc censetur vel ipse iam absolvere, vel cuilibet absolvendum remittere ».

137. Nunc de censuris ab homine per generalem sententiam.

Quoad facultatem absolvendi ab hisce censuris dissentiunt DD., ut videre est apud s. Alph. lib. 7. n. 73. Et alii quidem censuerunt, idem de his statuendum, ac de latis ab homine per specialem sententiam. Ratio horum est praecipua, quia in cap. *Nuper.* h. tit. facta distinctione inter latam *a iudice* vel a *canone,* huius tantum absolutio ad alios pertinere dicatur, illius vero ad eum, qui illam tulit.

Alii contra, uti et Auctor, censent, has aequiparandas esse latis a iure, quarum absolutio, si reservatae non sint, impertiri possit a quocumque confessario, qui in poenitentem habeat iurisdictionem.

Porro postremam hanc sententiam s. Alph. n. 73. non modo *probabiliorem* vocat, sed et communem appellat eamque deduci ex cap. *Ex frequentibus, de Institutionibus* innuit Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 94. Ratio, inquit Schmalzgr., quia ex absolutione huius censurae ab aliis Praelatis facta, non perturbatur tribunal Iudicis ferentis censuram, cum reus non fuerit nominatim citatus.

Argumento autem prioris sententiae respondebimus cum Suarez, qui alioquin dixerat, eam in rigore iuris veram esse; sed mox subdit (*de Cens.* disp. 7. sect. 2. n. 23.) quod « prior (scil. sententia Auctoris quam tenemus) favorabilior sit et benignior et *probabilis* propter auctoritatem tantorum Doctorum et quia probabiliter responderi posset, sententiam generalem pro futuris culpis non esse proprie sententiam, sed potius praeceptum et ideo non manare a ferente, *ut a iudice,* sed ut a praecipiente, qui propterea cum Auctore iuris seu canonis aequiparari potest. Atque ita cum in cap. *Nuper* solum distinguatur sententia *iudicis* et sententia *iuris*, probabiliter sub sententia iuris comprehendetur, maxime cum favores sint ampliandi ». Quae sane responsio eius, qui in rigore iuris aliter censet, lucidior est et validior prae omnibus (mira res!), quas afferunt patroni nostrae sententiae.

138. Quaestio succedit de censuris a iure iisque non reservatis.

Regula ab Auctore tradita, posse a censuris hisce, si reservatae non sint, absolvere, quisquis potest absolvere a mortalibus, communis est Thh. et Canonistis cum s. Thoma *Suppl.* q. 24. art. 1.: « Si sit maior (scil. excommunicatio), aut est lata a iudice et sic ille qui tulit vel eius superior potest absolvere: vel est lata a iure et tunc Episcopus vel etiam sacerdos potest absolvere ».

Et quidem nemo quaestionem movit de iis, qui iurisdictionem in foro externo habent; cuiusmodi sunt non tantum Episcopi, sed etiam Abbates, Guardiani, Rectores, Priores etc. respectu sibi subditorum.

Controversum est de iis, qui nullam iurisdictionem habent in foro externo, cuiusmodi sunt parochi et alii sacerdotes.

Sed, ut diximus, communis est sententia, et hos posse absolvere (Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 96., s. Alph. lib. 7. n. 70.).

Colligunt DD. ex cap. *Nuper* (a), *de Sent. Excomm.* Nam licet ibi sermo sit de Excommunicatione minori, ratio tamen addita generalis est et militat pro absolutione a quacumque censura.

Ita enim Innocentius III.: « In secundo vero casu (b), a suo Episcopo vel a priori sacerdote poterit absolutionis beneficium obtinere: quamvis enim et tunc non iudicis sed iuris (c) sententia excommunicato communicans sit ligatus, *quia tamen conditor canonis eius absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi* ».

Ad rationem autem alterius sententiae respondet Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 96., quod « hic vel nulla requiritur iurisdictio fori externi, cum absolutio talis tantum prosit pro foro conscientiae, vel, si aliqua requiritur, haec erit extraordinaria vel delegata a iure ».

Schmalzgrueber ergo in allato textu duplici utitur responsione: prima datur ex eorum opinione, qui putant, in foro externo absolutionem non valere, sed solum pro foro conscientiae: altera vero ex sententia aliorum, qui docent, eam absolutionem valere pro utroque foro.

139. Et posteriorem hanc sententiam adoptat s. Alphonsus lib. 7. n. 70.; pro qua Suarez, postquam dixit, Navarrum nulla ratione oppositam probasse, addit (*de Cens.* disp. 7. sect. 5. n. 19.): « Cum Pontifex absolute loquatur et favores sint potius ampliandi quam restringendi, non est cur hunc ita restringamus. Praesertim quia decreta iuris Canonici praecipue respondere solent, quoad huiusmodi casus, in ordine ad forum iudiciale. Adde, quod non est maior ratio admittendi illam distinctionem in sacerdote proprio, quam in Episcopo; cum textus ille aeque et indistincte de utroque loquatur. Non est ergo necessaria illa distinctio; nam licet potestas haec concessa sit praecipue propter forum internum, cum tamen non limitetur, ad utrumque extenditur, quantum est ex vi illius iuris ».

(a) Difficultates, quas circa hoc caput quidam moverunt, quasi abrogatum fuerit, solvit Suarez *de Censur.* disp. 7. sect. 5. nn. 20.-22.

(b) S. Alph. n. 70. intra parenthesim dicit: *scilicet quod excommunicatio non sit reservata* minus ad rem; secundus enim casus est communicantis cum excommunicato,-licet non in crimine criminoso, ut patet ex verbis praecedentibus.

(c) S. Alph. scribit ordine inverso = *non iuris sed iudicis* =; at hoc est contra contextum.

Quando vero censura publica fuit, si non fuerit iuridice denunciata, tunc (ut observat Suarez *de Cens.* disp. 7. sect. 5. n. 29.) absolutio utique eam tollet; tamen ut possit quis publice absolutione uti, necesse est, ut de illa publice constet, non propter censuram veram, sed propter putatam et propter scandalum. Ut autem publice constare censeatur, satis erit, quod publice constet, illum fuisse confessum... habenti facultatem absolvendi, dummodo satisfactio, si qua necessaria fuerit, publice etiam sit exhibita; quamdiu enim hoc non fiat, non potest Ecclesiae constare, hominem recessisse a sua contumacia et ad obedientiam Ecclesiae rediisse.

Sed de his rursus inferius, ubi de absolventibus ex privilegio (infr. a n. 202.).

Porro quod dicit A., a reservatis absolvere posse solum censurae auctorem, vel successorem, vel delegatum, recte dicitur: sed addendum posse etiam *Superiorem.*

Quod vero per accidens possint alii ex privilegio, ut A. subdit, id refertur ad *delegationem;* quae proficisci potest vel ab auctore legis, vel ab eius Superiore.

140. Quod autem omnis sacerdos in articulo mortis absolvere possit a quovis peccato et censura, id in Concil. Trid. (sess. 14. cap. 7.) sancitum est: « Hanc igitur delictorum reservationem consonum est divinae auctoritati, non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere. Veruntamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et *censuris* absolvere possunt ».

Porro in tract. de Poenit. Vol. V. vidimus 1° quid intelligatur per mortis articulum seu periculum (n. 366. seqq.): 2° omnes sacerdotes non intelligi approbatos, sed quoslibet omnino (ibid.): nec 3° opus esse ut vocetur approbatus, vel habens facultatem pro reservatis, quasi vero hisce praesentibus non absolvat valide alius etiam non approbatus (ibid.).

Huc tamen revocandum est in memoriam discrimen inter peccata reservata sine censura, et reservata ob censuram, seu inter peccata reservata et censuras reservatas.

Nam peccata reservata sine censura absolute absolvuntur, nec opus est, si poenitens convalescat, ut coram superiore appareat. At si censurae reservatae sunt, distinguendum est. Nam si sint reservatae Rom. Pontifici *speciali modo* (cf. Const. Pii IX. *Apost. Sedis*), manet aegroto, si convalescat, obligatio non quidem sistendi se superiori, sed *standi mandatis Ecclesiae*, quod quid differat a praecedente dictum est *de*

Sacram. Poenit. in not. ad n. 438. Si vero censurae reservatae sint simpliciter tantum, nullam esse amplius obligationem imponendam absoluto aegroto, si convaluerit, vel sistendi se superiori vel standi mandatis Ecclesiae, prout haec aliquid speciale dicit, collectum est ibidem ex eo, quod in dicta Const. haec altera obligatio enuntiata sit tantum pro censuris speciali modo reservatis.

141. Ceterum iam antea quidam doctores, ut Navarrus, Henriquez, Avila, Filliuccius, Sporer, Gobat, Diana, quos recenset Gury *de Poenit.* n. 576. et quibus s. Alph. l. 7. n. 87. addit Corneium et Salmanticenses et quibus addendi sunt Thomas Del Bene *de Offic. s. Inquis.* p. 1. dub. 66. n. 19., qui praemissis AA. addit Gambarupta, tum Iordanus et Iosephus de Ianuario ex Sporer *de Poenit.* n. 726. censebant, probabiliter hoc onus se sistendi superiori generatim (nisi scilicet superior aliquam excepisset reservationem) post Trid. Syn. cessasse, a qua declaratum fuit absque ulla restrictione *omnem reservationem in periculo mortis cessare.*

Quod et colligebant ex Rituali Romano, quod obligationem sistendi se superiori non absolutam, sed conditionatam clare innuit. « Si vero quis confiteatur in periculo mortis constitutus, absolvendus est ab omnibus peccatis et censuris quantumvis reservatis; cessat enim tunc omnis reservatio: sed prius, si potest, cui debet satisfaciat ac si periculum evaserit et *aliqua ratione superiori*, a quo alias esset absolvendus, *se sistere teneatur*, cum primum poterit, coram eo se sistat, quiquid debet praestiturus ».

Hinc Diana tom. 6. tr. 1. res. 202. n. 5. scribit: « Claudius Millardus in *Summa Parochor. de Poenit.* c. 97. n. 10. notat, probabilissimum videri, hoc onus se praesentandi coram superiore, si quis absolutus fuerit tempore mortis ab excommunicationibus reservatis, non habere amplius locum et cessasse post Trid... Quam doctrinam Caelestinus in *Comp. Theol. mor.* tr. 1. c. 7. n. 3. putat, posse tuta conscientia approbari, quando excommunicatio non est notoria vel deducta ad forum externum ».

Et adverte ex mente s. Alph. l. 7. n. 87. hanc quaestionem locum habere non solum si absolutus quis fuit a censuris reservatis in mortis articulo; sed etiam quando ob diuturnum impedimentum adeundi Superiorem, ab alio absolutionem est consecutus.

At nunc, ut iam animadversum est, sola quaestio esse potest de obligatione imposita *standi mandatis Ecclesiae:* quae pro solis excommunicationibus speciali modo R. P. reservatis nunc urgeri potest (a).

(a) At s. U. Inq. die 14. probante SS. die 16. Ian. 1892. declaravit, obligationem standi mandatis complecti obligationem recurrendi et quidem sub poena reincidentiae. Prae-

Quod spectat ad *reincidentiam* in censuram, de qua veteres loquebantur eam sustulisse videtur Pius IX. cit. Const. Sed restituit pro certis casibus C. s. Off., ut iam narratum est in nota superius cit. (cf. et notam heic).

142. Quaeritur, an in articulo mortis alius, praeter sacerdotem, possit absolvere a censuris. Communius et probabilius DD. (vid. s. Alph. lib. 6. n. 540.) censent, hanc facultatem nec clericis non sacerdotibus, nec laicis fieri.

Sanchez tamen, licet id concedat et addat id optime probari a Suarez *de Cens.* disp. 7. sect. 6. a n. 6.; nihilominus haec subdit (*in Decal.* lib. 2. cap. 13. n. 13.): « Quia tamen multi non poenitendi auctores... dicunt, posse etiam quemcumque clericum primae tonsurae deficiente sacerdote..., deberet utique absolvere, conformans se cum opinione probabili, ab iis censuris. Quia ea absolutio obesse nequit et proderit, ut is tuta conscientia sepeliri in ecclesia valeat possintque pro eo offerri sacrificia, sequendo opinionem probabilem dicentem, valere absolutionem... Imo et deficiente clerico crederem, laicum debere absolvere a praedicta excommunicatione. Ducor, quia multi graves auctores dicunt, posse tunc laicum... ducunturque optima ratione congruenti. Cum ergo ea opinio non sit probabilitate destituta, potest ac debet amplecti in casu tantae necessitatis; ut eam sequendo possit ille in loco sacro sepeliri et ut pro eo sacrificia offerantur ».

Porro Lugo *de Poenit.* disp. 18. nn. 7. 12. reiectis aliis rationibus quas pro prima communiori afferunt, insistit huic, quod ex Tridentino custoditum in Ecclesia semper fuerit, propter necessitatem articuli mortis, ut quilibet sacerdos posset quemlibet a gravi censura et peccato absolvere. Hoc autem dici non potest in casu; nunquam enim custoditum fuit in Ecclesia nec in praxi observatum aut consuetudine introductum ut laicus in eo articulo absolveret... Signum ergo est, quod talis facultas nunquam fuerit, quam fideles omnes in praxi ignorarunt et solum ab aliquibus in schola cognita fuit.

Oppositae autem rationi respondet l. c. s. Alph. quod si excommunicatus decesserit cum signo poenitentiae, poterit eius cadaver absolvi ab habente facultatem super illam excommunicationem.

143. Tandem tenendum, hanc facultatem ad alias censuras extendi praeter excommunicationem. Et quidem hoc adnotasse videri poterat

---

terea eadem s. C. 23. Iun. 1886. declaraverat, obligationem recurrendi ad s. Sedem, sub poena reincidentiae, vigere, extra articulum mortis, etiam pro censuris Rom. Pontifici *simpliciter* reservatis. Porro ad obtinendam absolvendi facultatem recurrendum est ad sacram Poenitentiariam, saltem per epistolam. Ita eadem s. C. Inq. 17. Iun. 1891. Cf. notam infra sub postrema §. excommunicationum s. Sedi speciali modo reservatarum. — E.

inutile; adnotavit tamen s. Alphonsus lib. 7. n. 70. in fin., facultatem, quae vel inest omnibus confessariis circa censuras non reservatas, vel quae inest omnibus sacerdotibus absolvendi in articulo mortis a quibuslibet etiam reservatis, non sese porrigere ad solas excommunicationes, sed etiam ad suspensionem et interdictum.

Id notandum fuit ob scrupulos quorundam, qui facultatem coarctandam putabant ad solam excommunicationem, quod haec sola impediat, ne possit poenitens absolvi a peccatis.

Reponit s. Alph. n. 70., extendendam ad suspensionem et interdictum personale, « quia concessio, cum sit favorabilis, merito ampliatur ad omnes censuras ». Et melius adhuc poterit adverti principium quod deducitur ex verbis Innocentii III. sup. 138., pertinere ad omnes censuras; quoad articulum autem mortis Tridentinum (sup. n. 216.) id dixisse *de censuris*, non de excommunicatione speciatim.

XXXI. Resp. 2. Episcopi secundum Trid. sess. 24. c. 6. possunt 1. absolvere in foro conscientiae per se vel Vicarium ab omnibus censuris occultis, etiam in Bulla Coenae Papae reservatis, excepta haeresi, a qua per seipsos tantum absolvere possunt, quantum est ex vi huius decreti. * Hic diligenter adverte Propos. 3. inter damnatas ab Alex. VII.* Dicitur autem censura occulta, quae contracta est ob delictum non publicum, nec ad forum contentiosum deductum, aut si deductum fuit, a quo reus ob defectum probationis fuit absolutus. Bonac. d. 1. q. 3. p. 1. n. 15. et p. 2. n. 1. ex declarat. Cardin. etc. 2. Possunt etiam saepe absolvere a censura Papae reservata, propter impedimentum eius, qui incurrit, vel quando propter senium, morbum, sexum, pauperiem Pontifex non potest adiri. Bon. l. c. ex Nav. Sanch., Avila, Con. etc.

144. Auctor quidem non memorat nisi Episcopos. At, prouti alias occasio fuit (n. 138.) animadvertendi, nomine Episcoporum veniunt quicumque iurisdictionem Episcopalem habent, uti v. gr. Abbates, Capitulum Sede vacante etc. Ita s. Alph. n. 79.

Decretum Tridentini, de quo Auctor, est huiusmodi (sess. 24. cap. 6. *de Reform.*): « Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare et in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicae reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in dioecesi sua per seipsos aut Vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientiae gratis absolvere, imposita poenitentia salutari. Idem et in haeresis crimine in eodem foro conscientiae eis tantum, non autem horum Vicariis, sit permissum ».

Hinc merito Auctor dicit, *quantum est ex vi* huius decreti, posse Episcopos absolvere etiam a casibus *Bullae Coenae* et haeresi. Nam aliter dicendum, si alia decreta spectentur.

Et sane, ut videre est apud s. Alph. lib. 7. n. 82..., quaestio est, an facultas ista Episcopis facta a Tridentino coarctata et revocata sit quoad casus contentos in *Bulla Coenae*, inter quos et haeresis primum locum obtinet.

Et plures DD. (quos videre est apud s. Alph. nn. 82. 83.) negarunt revocatam aut coarctatam illam facultatem fuisse, idque duplici ratione defendebant:

1° Quia inverisimile est, Pium IV., qui decreta Concilii approbavit et omnem operam adhibuit, ut per omnes ecclesias promulgarentur, eodem anno per *Bullam Coenae* voluisse derogare praemisso decreto favorabili Episcopis, qui indignati fuissent, si nossent se compelli a Pontifice ad subeunda onera a Tridentino Concilio imposita eodemque tempore se privari privilegio per ipsum Concilium indulto. Iam vero *Bulla Coenae* etiam tum munita erat iis clausulis derogatoriis, quibus nunc est referta: ergo nec Pius IV. nec subsequentes Pontifices hoc Tridentinum privilegium revocarunt.

2° Praeterea (ut ratiocinantur apud s. Alph. n. 82.) decretis Concilii non derogatur sine expressa eorum mentione; quod in *Bulla Coenae* non fit.

145. Sed verior sententia est (inquit s. Alph. n. 84., qua phrasi negat primam esse probabilem), quae illam coarctationem et derogationem defendit: idque s. Alphonsus egregie demonstrat post Benedictum XIV. *de Synod.* lib. 9. cap. 4.

Et quoad primum argumentum primae opinionis, probandum fuisset (inquit Lambertini l. c. n. 8.), *Bullam Coenae* a Pio IV. promulgatam habuisse illas clausulas derogatorias, quas subsequentes habuerunt. Porro eae clausulae, illa praesertim *non obstantibus cuiusvis Concilii decretis*, ut testatur Lugo *de Fide* disp. 23. n. 48. (consentit et Benedictus XIV. l. c.), non inventae ab ipso sunt in ulla *Bulla Coenae* ante Gregorium XIII. Coniici ergo potest, eas clausulas non exstitisse in Bulla a Pio IV. promulgata.

Unde vis primi illius argumenti corruit. Etsi enim privilegium Trid. non revocavit Pius IV., at alii Pontifices revocarunt.

Quoad secundum vero argumentum respondetur, Concilii Tridentini decreto illi sufficienter derogari per clausulam *Bullae Coenae* additam: « *Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis et Cuiusvis Concilii decretis* ». Etenim cum solum Synodus Tridentina eam facultatem ab haeresi absolvendi dederit Episcopis, clausula illa non nisi ad decretum Tridentinum spectare potest. Huic ergo derogatum est.

Insuper ut Papa deroget Concilio Tridentino, necesse non est, ut expressam faciat eiusdem mentionem; sed satis est, ut aliquid statuat,

quod illius decretis adversetur. Nam Synodus decreta sua subiicit arbitrio Pontificis, ubi inquit (sess. 25. c. 21. *de Reform.*): « Omnia et singula, sub quibuscumque clausulis et verbis, quae... in hoc sacro Concilio statuta sunt, declarat, ita decreta fuisse, ut in his salva semper auctoritas Sedis Apostolicae et sit et esse intelligatur ». Quare dum Pontifex aliquid edicit contra quanpiam Tridentini sanctionem, non agit contra eiusdem Concilii mentem, neque utitur suprema illa potestate, quam habet, relaxandi et immutandi, ubi opus fuerit, quamcumque legem ecclesiasticam; sed potius utitur eo arbitrio, e cuius nutu ipsa Synodus voluit sanctionum suarum firmitatem pendere. Ita plures apud Lambertini l. c. n. 7.

146. Ceterum, ut Lambertini ibid. n. 9. prosequitur, cum haec controversia non versetur circa ius (nam nemo catholicorum dubitat, Pontificem potuisse hanc Episcopis facultatem adimere), sed circa factum (an scilicet reipsa ademerit), inutile est, ad praesumptiones et coniecturas recurrere, quando disserte Pontifices suam mentem aperuerunt.

Porro s. Pius V. et Gregorius XIII., de hac re interrogati, indubitanter responderunt, nemini, praeter Pontificem, hodie integrum esse, quemquam ab haeresi etiam occultissima absolvere, eo quod Papa hanc facultatem sibi reservet in Bulla Coenae.

Ita totidem verbis refert Navarrus (*Man.* cap. 27. n. 275.) et addit, ne Summo quidem Poenitentiario hanc facultatem a Papa tribui, nisi multis limitibus circumscriptam.

Hinc in vita s. Francisci Salesii legitur, quod cum in examine episcopali interrogatus a Pontifice fuisset: *Possentne Episcopi ab haeresi absolvere* et ille respondisset, *posse, virtute facultatis iisdem factae a Tridentino,* Pontifex respondit, *aliam sibi mentem, aliam sibi voluntatem esse.* Ad quae Salesius: « Siquidem haec est mens Sanctitatis vestrae, eidem acquiesco atque a sententia mea recedo ».

Id ipsum pluries decisum fuit in ss. Congregationibus, quarum ministerio Pontifices solent mentem suam aperire.

Ita a s. Congregatione s. Officii declaratum fuisse testantur Penia in *Not. ad Eymericum* 2. Part. q. 92. Comment. 141. §. *Equidem*, et Card. Albitius *de Inconst. in fid.* cap. 25. nn. 4. seqq.

Idem responsum fuisse a s. Congregatione Concilii narrat Fagnanus in cap. *Quoniam* n. 29. *de Constitutionibus*, et in cap. *Dilectus* n. 30. *de Temporibus ordinationum,* ac Card. Petra in comment. ad Const. 18. Innocentii IV. tom. 3. n. 19.

Exinde Suarez, qui prius (*de Censur.* disp. 21. sect. 3. n. 5.) opinionem Episcopis favorabilem censuerat probabilem, postea cum allegata

Pontificum et ss. Congregationum responsa considerasset, ab ea opinione recessit et (*de Fid.* disp. 21. sect. 9. n. 13.) aperte docuit, nulla probabili ratione hodie posse attribui Episcopis facultatem absolvendi ab haeresi.

Itemque Card. Lugo *de Fid.* disp. 23. n. 46. post quaestionem in utramque partem versatam, eadem respiciens decreta concludit: « Mihi moraliter certa est Pontificis mens et sensus romanae Curiae, in qua omnes Pontificis ministri pro certo supponunt, singulis annis denuo eam facultatem Episcopis conferri, et ea solum de causa ad eumque finem addita esse in Bulla Coenae verba illa, quibus revocantur facultates concessae etiam per cuiusvis Concilii decreta; nullius enim Concilii decreto concessa est facultas aliqua, nisi in Concilio Tridentino, quod reverentiae fortasse causa nominatum non est, sed solum sub illa generalitate verborum ». Huc usque Lugo.

Denique Fagnanus in cit. C. *Dilectus* n. 31. post allatam s. Cong. Conc. Declarationem concludit: « Unde frustra nonnulli ex recentioribus Theologis hunc articulum in controversiam adducunt: cum habeamus claram determinationem sacrae Congregationis ».

Huc etiam facit damnatio huius Propositionis, quae tertia est ex proscriptis ab Alex. VII.: « Sententia asserens, Bullam Coenae solum prohibere absolutionem haeresis et aliorum criminum, quando publica sunt et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Iulii in Consistorio s. Congregationis Emm. Cardinalium visa et tolerata est ». Nam etsi non configatur directe sententia asserens eam facultatem Episcopis, tamen vix curasset Roma hanc imposturam, si sententiam aliquo modo probabilem aut tolerabilem putasset (Lambert. l. c. n. 10.).

Denique litem dirimit Benedictus XIV. in Constitutione *Convocatis.* 25. Nov. 1749. n. 53. dicens: « Reliqui omnes noverint, in concessione facultatis absolvendi a censuris in Bulla Coenae reservatis, non comprehendi facultatem absolvendi a censuris propter haeresim formalem externam, etiam occultam, incursis, nisi specialiter et expresse huiusmodi facultas concedatur, iuxta iteratas hac de re declarationes et nominatim iuxta decretum Universalis Inquisitionis die 15. Maii an. 1656. a fel. record. Praedecessore nostro Alexandro VII. approbatum » (a).

(a) Haec disputata a Ball. in declarationem textus Bus. secundum ius vigens ante Pii IX. Const. *Apostolicae Sedis* censuimus non omittenda. Nunc vero satis aperte constat ius inductum a cit. Constitutione, sub cuius finem Pontifex edicit: « Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Trid. Syn. Episcopis concessam sess. 24. c. 6. *de Reform.* in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac nostra Constitutione reservatis: *iis tantum exceptis, quas eidem Apost. Sedi speciali modo reservatas declaravimus* ». Iam vero inter casus speciali modo reservatos primo loco est haeresis. — E.

147. Verum haec valent *de haeresi occulta,* sicut et de aliis occultis criminibus reservatis in Bulla Coenae.

Si vero sermo sit de haeresi externa et non occulta, quae ad forum externum Episcopi deducta sit, sive quia reus coram Episcopo sponte comparuerit, sine quia ab aliis fuerit denunciatus; certum est, Episcopos posse eum ad fidem catholicam recipere, reconciliare Ecclesiae et ab excommunicatione in utroque foro absolvere, quemadmodum potest et Inquisitor s. Officii: ut clare constat ex C. *Ut officium, de Haereticis* in 6°.

Atque ita pluries determinavit Suprema Inquisitio, ea ratione, quia Episcopus sicut potest contra haereticos procedere (licet in sua dioecesi adsit Inquisitor), ita et absolvere, prouti rescriptum fuit et Episcopo Casertano 28. Nov. 1595. (vid. Albitius *de Inconst. in fid.* cap. 25. n. 35...).

Advertit denique s. Alph. lib. 7. n. 76., quod licet Episcopi non possint absolvere ab haeresi occulta, possunt tamen dispensare in irregularitate ex haeresi occulta contracta. Pro qua sententia ipse allegat solum Salmanticenses et Felicem Potestas; at plures alios (inter quos sunt Lugo *de Fid.* disp. 23. n. 130. Sanchez, Barbosa etc.) allegat Albitius l. c. n. 43. quos et ipse sequitur oppositasque rationes fuse diluit.

Albitius porro (ibid. n. 45.) addit, quod licet Episcopus possit dispensare super irregularitate eiusmodi, ut clerici in susceptis Ordinibus minoribus et fortasse sacris ministrent; non tamen possit dispensare cum Sacerdote in altaris ministerio. – Verum quae disputat Card. de Lugo *de Fid.* disp. 23. n. 132. evincere videntur, id valere quidem quoad haereticos ad forum externum deductos, seu manifestos, non vero quoad casum haeresis occultae.

Subdit heic Albitius n. 46.: « Pariter monendus est Episcopus, ne cum istis dispenset ad audiendas confessiones; quia Sedes Apostolica vel Suprema etc. eos dispensare non solet ad audiendas confessiones, sed nec etiam suspectis de haeresi, qui de vehementi abiurarunt, concedit licentiam eas audiendi... Secus autem in eo, qui abiuravit de levi... »

Et haec satis in praesens de Episcopi facultate quoad casus in Bulla Coenae contentos: de qua re Auctor noster, ut patet, limitandus est et corrigendus.

148. Bene tamen notat s. Alphonsus lib. 7. n. 80., facultatem hanc concessam a Tridentino Episcopis in cap. *Liceat*, absolvendi a casibus Papalibus et ab irregularitatibus occultis non competere Episcopis illarum regionum in quibus Concilium adhuc receptum non est. Et

cum Fagnano in cap. *Dilectus* n. 15. *de Temporibus Ordinationum* addit declaratum fuisse a Gregorio XIII., praedictam facultatem ne Cardinalibus quidem competere, etsi Ecclesiarum Urbis titulum habeant.

Lugo autem *de Fid.* disp. 23. n. 54. ex Suarez *de Fid.* disp. 41. sect. 2. n. 6., et Sanchez *In Decal.* lib. 2. cap. 11. n. 3., rationem quoad priores reddit « quia non debent favores sentire, qui onera non sentiunt ». Tum affert declarationem Congr. Concil., ex mss., conceptam hisce verbis « Episcopi illarum regionum, in quibus Concilium Tridentinum adhuc receptum non est, non possunt uti hac facultate concessa in hoc decreto ». E quibus verbis Lugo ibid. censet confirmari id, quod habet Sanchez l. c., « id non intelligi de locis, in quibus Concilium receptum est quoad alia, non tamen quoad aliquam legem: quia iam ibi Concilium receptum videtur. Idem iudicandum, si Concilium ibi receptum fuit, sed postea consuetudo deobligavit ab eius legibus: potuit enim perseverare quoad favores iam introductos et videtur probari posse ex verbis illis Congregationis - *In quibus Concilium adhuc receptum non est* -; quae non verificantur in casu nostro ».

149. Cum vero facultas Episcopis concessa versetur circa crimina occulta aut irregularitates ob occulta crimina, quaerunt DD., quandonam crimen censeatur occultum.

S. Alphonsus lib. 7. n. 76. respondet, occultum non esse quando « vel deductum sit ad forum contentiosum, vel notum sit fere omnibus..., aut saltem maiori parti oppidi, viciniae, parochiae, collegii seu monasterii... ita ut occultum adhuc dicatur crimen, si illud sciant quinque vel sex personae ».

Ut de secunda parte nunc dicamus, tenendum est, certam esse responsionem, sed indigere explicatione. Etenim quomodo cohaeret, quod *quinque vel sex personae* exhibeantur veluti limes censendi adhuc crimen occultum, quando prius dicitur, satis esse, si crimen non sit notum fere omnibus, aut maiori parti oppidi, aut viciniae etc.?

Sciendum ergo est, *occultum*, heic dici, non illud quidem, quod nulla ratione probari possit et cuius iudicium soli Deo relinquitur (Reiffenst. lib. 5. tit. 1. q. 241.), sed prout occultum opponitur *notorio* (vid. Schmalzgr. lib. 5. tit. 37. n. 116.) (a).

Notorium autem heic accipitur etiam prout distinguitur a *publico*, licet quidam in hac re usurpent *publicum* pro *notorio*, uti Suarez, qui (*de Censur.* disp. 41. sect. 2. n. 6.) dicit: « Concilium non loqui

(a) Unde s. Alph. lib. 6. n. 1111.: Navarrus dicit, esse occultum, quod factum fuit in praesentia quinque personarum, quia (ut Navarr. ait) *non est de occulti essentia, quod natura sua non sit probabile, qualia sunt mentalia.*

tantum de casibus omnino occultis, qui a nemine sciuntur sed absolute de occultis prout a *publicis* distinguuntur, etiamsi probabilia sint » scil. possint probari; qui tamen alibi utitur voce *notorii*, uti (*de Cens.* disp. 16. sect. 6. n. 3.) ubi ait.: « Dicendum est, aliquid dici occultum, quia non est *notorium* omnibus aut pluribus seu communiter, quamvis sit probabile in iudicio per duos vel tres testes: strictius vero esse occultum quod nec sufficienter probari in iudicio potest ».

Dixi, *notorium* distingui a *publico*. Etenim, ut advertit Reiffenst. lib. 5. tit. 1. n. 43. post Suarez et Palaum, *publicum* tripliciter sumitur. « Prima species primusve et maxime genericus gradus *publici* illud est, quod saltem a duobus scitur et consequenter probari potest. Tale enim a iure iam *publicum* itemque *probabile* dicitur..., quod quidem *publicum* cum *pene occulto* convenit. Alter gradus publici est, quod non tantum probari potest, sed iam pluribus notum est, ut *fama* de illo exsistat: quod etiam *manifestum* dicitur, item etiam *famosum*. Tertius et supremus *publici* gradus est, quod ita iam notum est, ut nullo modo amplius celari aut negari valeat et tunc etiam *notorium* dicitur. Unde *publicum* se habet tanquam genus: *manifestum* autem, *famosum* et *notorium* tanquam species; ut proinde omnia notoria et manifesta sint etiam publica, sed non omnia publica sint manifesta... ».

Atque heic obiter adverte, quoad secundum gradum, non esse confundendum *manifestum* cum *famoso*, licet *manifestum* proprie loquendo dicatur quod et *publice* et *famose notum* est ex certa scientia et certis auctoribus.

Porro *manifestum* dicitur utique *famose notum*, quia ut vere quid dicatur manifestum, debet concurrere fama, quae non requiritur ad *publicum*. At differt a *famoso* vel a *rumore*, ex eo quod manifestum requirat certam scientiam certosque auctores. Nam fama non requirit certam scientiam, sed provenit etiam ex sola suspicione: itemque rumor non certum requirit auctorem, sed et ex incerto auctore provenit (a). Non ita *manifestum*, utpote quod exigit, quod plures certi fuerint auctores, qui per certam scientiam et sensum corporeum rem cognoverint et desuper testimonium dare possint (vid. Reiffenst. lib. 5. tit. 1. n. 245.).

(a) *Fama* multipliciter differt a *Rumore*. Nam fama proprie est, quando tota civitas vel vicinia, seu maior pars populi aliquid asserit. Rumor autem est, quando aliqua pars minor, v. gr. media, tertia, quarta pars ita loquitur. — Deinde fama, saltem proprie dicta, procedit a certo auctore, v. gr. a certis et honestis personis, quae dixerint se vidisse etc. Rumor autem est ab incerto auctore. — Insuper minus probat rumor, quam fama; haec enim est communis assertio: rumor vero, cum pauci aliquid dicunt et ideo solam suspicionem et praesumptionem inducit. — Denique fama vires suas extendit eundo et perseverando: rumor vero cito quandoque deficit. Reiffenst. lib. 2. tit. 20. n. 392.

150. Verum ut ad rem nostram accedamus, *notorium* proprie loquendo dicitur, id quod constat seu etiam dicitur *evidentia rei quae nulla possit tergiversatione celari.* Ita si quid fiat coram omnibus vel maiori parte communitatis, vel si constet ex spontanea rei confessione, aut per sententiam iudicis condemnatoriam (a qua non fuerit appellatum) aut per testes idoneos aliasve legitimas probationes etc. (Reiffenstuel l. c. n. 246.).

Ubi DD. advertunt, quod licet interdum pro eodem sumantur *notorium* et *manifestum*, tamen proprie loquendo et prout *notorium* propriam speciem constituit, differt a manifesto et quidem principaliter in hoc, quod *manifestum* sit minus, quam *notorium* (Reiffenstuel ibid. n. 247.).

Porro praetermissis modo, quae spectant ad rem notoriam per actus iudiciales, quaerendum solum de *notorietate facti* (de qua res in praesens est), ut ratio reddatur praemissae doctrinae (n. 149.) s. Alphonsi.

Generatim dicitur *notorium* illud factum, quod fit *coram omnibus,* vel etiam *coram maiore parte communitatis*, vel quod per testes idoneos certum fit *omnibus* vel *maiori parti communitatis.* Cur satis sit maior pars communitatis, ratio redditur (Reiffenstuel l. c. n. 246.), quia *per maiorem partem populus universus designatur,* iuxta l. 160. ff. *de Reg. Iur.:* « Refert ad universos quod publice fit per maiorem partem ».

At, inquies, quomodo ita ergo constringitur ista regula (sup. 149.), ut sermo fiat de quinque vel sex personis?

Resp. Rationem et intelligentiam huius doctrinae petendam esse ex eo ipso quod dicunt DD., ad facti notorietatem requiri et sufficere ut res nota sit maiori parti populi, viciniae, parochiae, collegii, communitatis etc.

Etenim DD., advertunt (vid. Reiffenst. lib. 5. tit. 1. n. 249.), ex iuris principiis ad constituendum *populum* requiri ac sufficere decem saltem personas. Proinde regulam illam intelligunt de communitate, quae saltem constet decem personis, cuius maior pars sex ad minus personis constet oportet. Cuius rei ratio peti debet ex alio principio, a ss. Canonibus et Glossa desumpto (vid. Reiffenst. l. c. n. 242.), quod nempe adhuc *secretum* dicatur id, quod in praesentia quinque personarum dicitur. Unde cum non debeat res eadem dici simul *secreta* et *notoria*, nunquam notorietas adesse censetur ex praesentia maioris partis communitatis, nisi maior haec pars excedat numerum quinarium atque adeo nisi communitas saltem decem personas contineat et sex ex his sint praesentes facto (Reiffenst. l. c. n. 252.).

Quando ergo s. Alphonsus (sup. n. 149.) dicebat, occultum adhuc id censeri, *quod notum sit quinque vel sex personis*, id intelligi debet quoad *quinarium* quidem ex praemissa doctrina, quae secretam habet rem quinque tantum testes habentem; quoad *senarium* vero intelligi debet de casu, in quo tota communitas tali numero constet, cuius maior pars excedat numerum senarium. Quam eandem ob causam non solum sex, sed etiam sexdecim aut sexaginta personae non efficient *rem notoriam*, quando hae potiusquam maiorem, contra vix constituunt partem exiguam magnae communitatis.

151. Addit tamen Reiffenst. lib. 5. tit. 1. n. 250., valde controverti inter DD., num ad notorietatem semper requiratur maior pars communitatis, etiamsi haec ingenti hominum copia v. gr. 300. constet. Et allata sententia affirmativa Sanchez (*Consil.* lib. 6. cap. 3. dub. 3. n. 9.), subdit ex Panormitani et Fagnani sententia, id prudenti iudicis arbitrio relinquendum esse, qui ex circumstantiis, qualitate actus, loci, temporis et personarum iudicare debebit, cum circa hoc nihil in iure decisum habeatur. Tum concludit: « Et certe ridiculum videtur dicere, non esse notorium, quod in praesentia 100. hominum factum est, eo quod communitas constet 300. hominibus ».

At enim si hoc ita erat ridiculum, cur definiebat (l. c. n. 346.) *notorium* esse id, quod fiat coram omnibus vel maiori parti communitatis? (De tota hac re egregie Sanchez *Consil.* lib. 6. cap. 3. dub. 3. per tot, e quo pleraque transscripsit Reiffenstuel). Cessabit forte ratio ridiculi, si reputetur, 1° in notorietate quid relativi haberi, ex quo fit ut idem numerus modo sufficiat, modo non: 2° notorium differre a manifesto etc.: 3° de eo notorio quaeri propter quod iudex potest procedere non servato ordine iuris seu processus iudicialis (Reiffenst. lib. 5. tit. 1. n. 253.). Nihil ergo mirum, si *notorium* confundi non debeat cum re *nota multis* (a).

152. Dubium proponitur, an crimen in uno loco publicum possit absolvi ab Episcopo in alio loco, ubi est occultum.

Et s. Alphonsus lib. 7. n. 78. memorata quorundam negativa sententia, subdit, probabiliter ab aliis affirmari et mox plures recenset DD., adeo ut vere communior dici haec sententia debeat (b).

Addit idem: « Dummodo locus, ubi crimen est notum (scil. notorium) ita distet, ut non sit timor, quod publicetur, ubi est occultum »: vel,

---

(a) Adhuc difficultas in praxi manet. Quid enim si crimen notorium quidem sit ex. gr. in parochia, non vero in civitate aut dioecesi? poterit ne Episcopus absolvere? Hanc difficultatem expedit vel aufert, puto, quod mox in seqq. Ball. docet. — E.

(b) Congruit id cum praxi s. Poenitentiariae, de qua locuti sumus in praeced. tr. *de Dispensat.* — E.

ut ait Croix lib. 6. part. 2. n. 1658.: « Dummodo non detur *periculum proximum,* quod in illo (loco) publicetur ».

153. Quaestionem alteram sic effert s. Alph. n. 77.: « An possit absolvi ab Episcopo reus alicuius casus papalis, qui iam punitus fuit in foro alterius Episcopi, ubi iudicium sit finitum ».

Et idem s. Doctor uti *communiorem* et *veriorem* sententiam complectitur illam, quae negat, posse absolvi; quia crimen iuridice publicum evasit et, utpote publicum, reservatum manet Summo Pontifici.

Verum claritatis gratia primo quidem expungenda est a quaestione pars heterogenea, quam quidam addunt, nempe circumstantia criminis ALIBI patrati vel damnati. Ob eam enim circumstantiam v. gr. Bonacina *de Cens.* disp. 1. q. 3. punct. 2. n. 3. affert pro negativa sententia, quod confundantur iurisdictiones (reapse heic Bonacina tractat quaestionem praeced. n. 152.) et Guttierez, ad quem omnes velut ad auctorem huius quaestionis, remittunt lectorem, reipsa quaestionem facit (*Quaest. Canon.* lib. 1. c. 3. nn. 9. 10.) de irregularitate *publica* et casum adducit presbyteri, cui cum interdictum fuisset ob quaedam crimina, ne domo seu palatio secederet sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae, tamen effugit et in eo statu publice Missam celebraverat, adeo ut de violatione censurae et simul de irregularitate ob id contracta contra eum ageret iam promotor fiscalis; tunc vero iste presbyter contendebat, posse dispensari ab irregularitate ista (iam notoria iure et facto si eum populus sciebat esse excommunicatum): quia de violata censura iam punitus erat vel puniendus *ab eodem illo Superiore* seu Praelato.

Omissis ergo illis quaestionis adiunctis, quae minus faciunt ad rem, superest controversia, an deductio ad forum externum et causae finis per rei punitionem efficiat, ut absolvi ab Episcopo possit.

Porro advertere licet, Doctores quosdam, qui pro negativa afferuntur, ut Guttierez l. c., Suarez *de Cens.* disp. 41. sect. 2. Barbosa *de Pot. Ep.* part. 2. all. 39. n. 35. ac Bonacina *de Cens.* disp. 7. q. 5. punct. 1. n. 6. quaestionem restringere ad dispensationem ab irregularitate, quando crimen per deductionem ad forum contentiosum ita eo ipso evasit publicum, ut non censeatur iniustus famae detractor quisquis illud manifestat nec ad restitutionem teneatur, ut ait Bonacina l. c.: cuius dispensationis potestatem idcirco Episcopis denegant. Sed posset quis putare, non efficaciter ex hoc casu argui ad negandam facultatem *absolvendi.* Ratio est, quia irregularitas est mera poena, cuius relaxationem Pontifex sibi reservat independenter a punitione, quam de eodem crimine sumere possit alius iudex ordinarius. Contra vero censura cum reservatione est poena *medicinalis* ordinata

ad rei emendationem, et quidem iis conditionibus obtinendam, quas reservans opportunas iudicaverit. Unde valere potest *quoad absolutionem* ratio Sanchezii, sic ratiocinantis (*in Decal.* lib. 2. c. 11. n. 21.): « Intentum Concilii fuit conservare auctoritatem iudici de delicto illo cognoscenti et non concedere delicta publica, quo publicum scandalum caveatur. At in hoc eventu utrumque damnum cessat. Nihil enim auctoritati iudicis detrahitur, utpote qui iam functus est officio suo, delictum illud puniendo. Scandalum etiam publicum cessat punitione illa humiliter tolerata a delinquente. Per illam enim purgat delictum et satisfacit reipublicae ex illo offensae. Et ex his constat solutio utriusque rationis contrariae ».

154. Et pro hac sententia Barbosa *de Pot. Ep.* part. 2. alleg. 39. n. 35. allegat etiam Henriquez lib. 14. c. 7. n. 5., Avila *de Censur.* p. 2. disp. 2. dub. 7. et part. 7. disp. 10. dub. 7., Reginaldum *Prax. Trib. Poenit.* lib. 30. tr. 2. n. 29., Sigismundum a Bononia *de Elect.* dub. 71. n. 13., Sanctarellum *de Haeres.* cap. 5. dub. 6. n. 29., Hurtado tr. *de Irregular.* disp. 2. diffic. 20. n. 68., Diana part. 4. tr. 2. res. 97., Marchinum tr. 1. p. 9. diffic. 4. n. 11. Adde Salmantic. *de Censur.* cap. 2. n. 62.

Ipse tamen Barbosa stat pro negativa, quam dicit se putare *veriorem,* et pro ea septem Doctores (inter quos sunt etiam sup. allegati Suarez, Bonacina, Guttierez) affert et insuper s. Congregationis Votum his verbis conceptum: « Qui occasione dictorum delictorum occultorum Papae reservatorum (de quibus intelligitur cap. *Liceat*) fuerunt inquisiti, sed quia non potuerunt delicta probari, Rei non fuerunt quidem absoluti definitive nec alio modo, sed simpliciter dimissi, recepta promissione de se repraesentando, non posse huiusmodi uti dicti capituli *Liceat* beneficio; quia in eo scriptum sit, exceptis aliis deductis ad forum contentiosum: sicque sufficit sola deductio, quicquid inde sequatur ». Quae tamen declaratio 1° non constat, utrum referatur ad causam *irregularitatis;* 2° non praefert casum nostro similem, quia ibi iudicium non est finitum per rei punitionem: 3° ultimam particulam habet valde obscuram; falsum est enim, quamlibet deductionem valere, *quidquid inde sequatur;* nam si non probatur crimen, nullus est deductionis illius effectus.

Unum itaque reperi Palaum, qui agit de *absolutione* (tract. 4. disp. 4. punct. 3. §. 1. n. 12.) et negativam sententiam ceu *probabiliorem* firmat hisce rationibus praeter communem, quod *crimen non sit amplius occultum:* « Item absolutio, quae in dicto capite conceditur, est solum pro foro conscientiae: at delictum sic manifestum et publicum non solum indiget absolutione pro foro conscientiae, sed etiam pro exteriori....

Neque obstat ratio contraria; nam esto admittamus in illo delicto esse satisfactum intentioni Concilii negantis absolutionem delicti publici et ad forum contentiosum deducti; non inde infertur, posse Episcopum in eius absolutione se intromittere, nisi a Pontifice fuerit concessum: cum autem sub verbis concessionis illa delicta non comprehendantur, ad illa se extendere non potest; illa enim ratio probat, optime convenire, ut Pontifex hanc Episcopis facultatem concedat, non tamen probat, esse concessam ».

At prima ratio non valde urget; quia nisi iudex absolverit, ipse sententia punitionis videtur iuri exterioris fori cedere.

Quoad secundam vero, haec supponit, quod est in quaestione, num scilicet, cum satisfactum iam est foro externo, fiat necne facultas absolvendi illis, qui id possunt pro foro conscientiae.

Quocirca rationes Palai non videntur eiusmodi, ut sententiae Sanchezii probabilitatem auferant.

Quaerendum nunc esset, an haec facultas Episcopis concessa per c. *Liceat* se porrigat ad peccata post Syn. Tridentinam reservata. Sed haec quaestio iam plene acta est tr. IX. Vol. IV. 528. seqq.

155. Quaeritur, *qui sint subditi Episcoporum in ordine ad absolvendum vel dispensandum in occultis.*

Hac in re indiget additione aliqua s. Alphonsi doctrina, qui, allegans Croix, videtur excludere peregrinos. Ita enim (lib. 7. n. 79. n. IV.) scribit: « Nomine subditorum veniunt etiam vagi et omnes habentes animum permanendi in loco illo per maiorem anni partem, ut Croix lib. 7. n. 136. cum Sanch., Suarez, Bonacina., Barbosa etc. »

Sed reipsa Croix lib. 7. n. 136. non excludit peregrinos, quamquam prorsus inconcinnus sit in tradenda doctrina. Sic enim habet: « Inter subditos, quos ita absolvere potest Episcopus, habentur vagi, quia possunt se quoad hoc subiicere; uti et illi fiunt subditi, qui animo per maiorem anni partem permanendi acquisiverunt quasi-domicilium (quid opus erat hoc notare? nonne et ipsi sunt legibus subiecti?), uti ex consuetudine Ecclesiae et benigna interpretatione mentis Pontificiae colligunt Suar., Bon., Sanch., Gorm., Barb., Dicastill. (quae citationes sunt abs re; quia citati scriptores loquuntur, ut infr. patebit, de *consuetudine* et *mente Praelatorum* non quoad vagos aut quasi-domicilium habentes, sed quoad peregrinos). Quod si tamen peregrinetur aliquis vel transeunter sit in aliena dioecesi, adhuc potest absolvi ab Episcopo huius loci, si censura erat lata a iure vel ab homine generaliter *neque fuerat reservata* (quod imprudenter additum: nam ipsa quaestio circa reservata sed occulta versatur): si tamen esset lata ab homine nominatim, non posset, nisi ubi non posset adiri proprius Episcopus (quae

exceptio est extra locum; nam valet etiam pro vagis excommunicatis *nominatim* alibi atque etiam pro propriis subditis excommunicatis forte in alia dioecesi iuxta dicta nn. 43. 45.) ». Utcumque igitur minus concinne, tamen Croix non omiserat peregrinos et ex solo lapsu oculi s. Alph. id amisit et allegationes Sanchezii, Suarezii, Bonacinae, Barbosae perperam addit, propterea quod etiam Croix praepostere illas produxerat.

156. Nitidius igitur Barbosa *de Officio et Potestate Episcopi* part. 2. Alleg. 39. n. 4.: « Non convenit haec potestas Episcopo in ordine ad omnes indifferenter, sed conceditur proprio Episcopo habenti iurisdictionem in *suos subditos*, ut Concilium declarat: sub quorum nomine comprehenduntur in praesenti materia omnes illi, *qui sibi quomodocumque subduntur*, vel qui sunt ordinarii subditi, utpote qui ibi domicilium habent, vel *quia subduntur quoad solum Poenitentiae forum*, eo quod in sua dioecesi inveniuntur tanquam *advenae et peregrini*, etiamsi sint vagabundi, scholastici ac mercatores; nam quoad sacramenta Confessionis et Eucharistiae sunt subditi Episcopi loci, in quo reperiuntur, ex consuetudine generali Ecclesiae (alii melius dicent, ex Praelatorum tacito consensu: cf. disputata in tr. *de Poenit.* Vol. V. 463. seqq. et in dissert. ibid. addita in fine part. 1ª) vel ex interpretativa voluntate Summorum Pontificum. Ita Suar., Sanchez *de Matrim.* lib. 3. disp. 23. n. 12., Garcia, Zerola, Bonacina, Henriquez, Homobonus, Naldus, Novarius, Duardus, Marchinius, Bossius, Trullench etc. ».

Et Suarez *de Poenit.* disp. 30. sect. 2. n. 3.: « Secundo notanda est illa particula, *subditos suos*. Circa quam dubitari potest, an peregrini, qui sunt in aliena dioecesi, scholastici et mercatores vel vagabundi, possint per hanc facultatem absolvi ab Episcopo illius dioecesis... Et ratio dubii est, quia... sunt alterius Episcopatus. Respondetur: quoad vagabundos non est dubium, quin absolvi possint, quia non habent alium Episcopum proprium et ita sunt subditi. De iis vero, qui per aliquam anni partem habitant in aliquo Episcopatu et ideo sacramenta recipiunt in illo Episcopatu, existimo etiam posse absolvi; quia quodammodo etiam habent domicilium in eo Episcopatu et ita sunt subditi. De illis vero, qui solum agunt iter et facile redibunt ad suam dioecesim, res est magis dubia. Nihilominus non audeo illis negare hanc facultatem; quia, ut dixi, pro tunc sunt subditi in hoc foro et ex consuetudine seu interpretativa voluntate suorum Praelatorum se habent ut incolae illius dioecesis ».

157. Fusius et clarius Sanchez qui tertius est ex allegatis a s. Alph. post Croix sup. 237. Sic enim (*in Decal.* lib. 2. cap. 11. nn. 8. et 9.): « Secunda difficultas est, quid nomine subditorum in praedicto Trid.

decreto comprehendatur. Et quidem vagabundos non est dubium comprehendi, ut bene docet Suarez *de Poenit.* disp. 30. sect. 2. n. 3. Et ratio est, quia cum nullibi fixum domicilium habeant, subduntur Episcopo, in cuius dioecesi reperiuntur, ut late probavi *de Matrim.* (lib. 3. disp. 25. n. 4.). Similiter comprehenduntur habentes duplex domicilium ex aequo in duplici dioecesi: quia nimirum aeque in utraque habitant, ut v. gr. in una in hyeme, in altera in aestate. Quippe hi poterunt absolvi tanquam utriusque Episcopi subditi ab utrovis illorum, etiam tempore, quo in altera dioecesi habitant, ut probavi *de Matr.* lib. 3. disp. 24. n. 5. Sed difficultas est de peregrinis, scholasticis, mercatoribus propriam dioecesim habentibus an possint absolvi a... casibus, in eo decreto concessis, ab Episcopo alienae dioecesis, in qua tunc reperiuntur. Et existimo, eos posse absolvi, etsi brevi in suam dioecesim redituri sint nec exigi, ut in ea dioecesi maiori anni parte sint moram tracturi, quod bene docet Suarez *de Poenit.* disp. 30. sect. 2. n. 3. et *de Censur.* disp. 41. sect. 2. nn. 10. et 12. Ducor, quia etsi ad dispensationes, tam in eo decreto, quam in quocumque alio, Episcopis concessas erga subditos, exigatur in dicendis (forte *dispensandis*) habitatio, aut saltem animus habitandi maiori parte anni in ea dioecesi (ut probavi lib. 3. *de Matrim.* disp. 23. n. 12..., et ita de dispensationibus intelligendi sunt Doctores, quos ibid. n. 12. retuli, petentes hanc habitationem ad casus in Trid. decreto allegato concessos): at id non exigitur ad absolutionem... cuiuscumque casus reservati ibi concessam; quia ex generali Ecclesiae consuetudine, seu interpretativa propriorum Praelatorum voluntate, quicumque extranei sunt ut incolae et subditi Episcopis, in cuius dioecesi reperiuntur, quod attinet ad sacramenta confessionis et Eucharistiae recipienda et consequenter quoad absolutionem ab excommunicatione, quae ad haec sacramenta praeexigitur et ad confessionem pertinet. Et ideo optime advertit Suarez cit. disp. 41. sect. 2. nn. 10. et 12., eam restrictionem quoad alios subditos non esse positam in priore parte illius decreti Tridentini, in qua de dispensatione ab irregularitate et suspensione factus est sermo; sed in posteriori sola, ubi de absolutione ab haeresi et casibus reservatis tractatur: quo distinctas subiectiones ad has iurisdictiones exercendas peti denotetur; ad priorem aliquale domicilium, ad posteriorem vero esse tunc in ea dioecesi, ac proinde subiici illius Episcopo quoad sacramenta confessionis et communionis ».

Denique Bonacina (quem s. Alph. ex Croix allegat) sic eadem tradit *de Censuris,* disp. 1. q. 3. p. 2. n. 5.: « Ex dictis de Poenitentia patet ab Excommunicationibus Papae reservatis, posse vagabundos, peregrinos, scholasticos, et mercatores absolvi ab Episcopis, in quorum dioecesi

reperiuntur; nam quoad Sacramentum confessionis et Eucharistiae sunt subditi Episcopo loci, in quo reperiuntur, ex consuetudine generali Ecclesiae, vel ex interpretativa voluntate Summ. Pontificum; ergo etiam sunt illis subditi quoad absolutionem excommunicationis, quae requiritur ante absolutionem peccatorum ».

Unde si s. Alph. permotus fuit auctoritate quatuor horum DD. cum Croix ad primam partem quoad vagos et quasi domicilium habentes, admittere certe non esset cunctatus et aliam partem quoad peregrinos, nisi eum prohibuisset inconcinna ratio agendi Croix, e quo haec mutuatus fuerat.

Accedit, quod doctrinam Sanchezii et Suarezii admittat etiam Gallemart in not. E, ad cap. 6. *de Reform.* sess. 24. et propterea accedat etiam suffragium Ubaldi Giraldi l. c. sup. n. 443., qui pro quaestionibus hisce ad Gallemartium remittit.

Quin Bonacina l. c. addit: « Idem censuit illustrissima Cardinalium Congregatio, teste Petro Marzilla et aliis ».

158. Ceterum et ipse s. Alph. alibi lib. 6. n. 593. bene distinguens duplicem facultatem, quae in cap. *Liceat* conceditur Episcopis, nempe 1° dispensandi in irregularitatibus et suspensionibus Papae reservatis, et 2° absolvendi a casibus papalibus, quoad priorem docet, decisum esse a Gregorio XIII. (prout refert Fagnanus in c. *Dilectus*, *de Temp. Ordinat.* n. 36.). nihil posse Episcopum cum alienigenis: etiamsi hi fungentes officio praetoris aut medici, in eius dioecesi commorentur (a). « Quoad absolutionem vero casuum (pergit s. Alph.) commune est apud DD., quod Episcopus bene potest absolvere peregrinos a casibus papalibus, modo sint occulti, ex facultate Tridentini in c. *Liceat* etc... Nam, uti recte dicunt AA. praefati, subditi etiam dicuntur tales peregrini, qui in foro sacramentali subiiciuntur Episcopo dioecesano. Idque refert Suarez *de Cens.* disp. 41. sect. 2. n. 10. declaratum fuisse a s. Congregatione, quae respondit, posse absentem a sua dioecesi absolvi ab Episcopo illius dioecesis, in qua moratur, non autem a suo; rationem reddens, quia Concilium in dicto c. *Liceat* loquitur de absolutione sacramentali in foro conscientiae, quae requirit praesentiam ». Cf. n. 245.

159. Quaeritur praeterea an Episcopus delegare aliis possit hanc facultatem. Multiplex in hac quaestione opinio est. Nam 1° quidam pauci, ut Henriquez apud Sanchez *de Matrim.* lib. 2. disp. 40. n. 17. censent, facultatem tum dispensandi ab occultis irregularitatibus ac suspensionibus, tum absolvendi a casibus papalibus non posse ab Episcopo delegari generaliter vel vicario vel alii, sed tantum delegare

(a) Sed nonne hi quasi domicilium acquirunt et sic fiunt subditi? — E.

Episcopum posse, quando casus occurrerit, ut alius id faciat mandato ac nomine ipsius (vid. Barbos. *de Off. et Pot. Ep.* all. 39. n. 12.).

2° Alii distinguunt inter potestatem dispensandi atque absolvendi, ita ut prior exerceri possit per quemcumque, cui generaliter ab Episcopo fuerit delegata ; secunda vero conveniat tantum vicario, qui specialiter deputatus sit ab Episcopo cum facultate absolvendi a casibus reservatis. Rationem afferunt, quia Concilium facultatem illam dispensandi generaliter concedit ; potestatem vero absolvendi tribuit cum limitatione, ut id possint *in dioecesi sua per seipsos aut per vicarium ad id specialiter deputatum* (apud Barbosam l. c. n. 13.).

3° Alii diversimode accipiunt praedictam distinctionem, ita ut potestatem dispensandi Episcopi per se ipsos tantum possint exercere, neque delegare possint ; contra vero possint delegare potestatem absolvendi. Et rationem petunt ab ipso decreto, quod delegandi potestatem concedit solum pro absolutione a reservatis, non vero pro dispensatione. Insuper addunt id congruum fuisse, quia absolutio est magis necessaria ad salutem animarum, quam dispensatio. Vid. Suar. *de Cens.* disp. 42. sect. 2. n. 3., et Barbosa l. c. n. 13., qui tamen male auctoribus accenset etiam Suarez, qui l. c. refert quidem hanc sententiam, sed illi non adhaeret.

Alii denique censent, Episcopum posse utramque facultatem aliis committere et delegare. Pro qua sententia (inquit Barbosa l. c. n. 11.) multa et validiora habentur fundamenta. Et in primis nulla occurrit ratio sufficiens cur credere debeamus, voluisse Concilium eam facultatem reservare Episcopo per se ipsum exercendam, praesertim cum non declaret, hanc potestatem Episcopis convenire tanquam delegatis Sedis Apostolicae, ut alias subinde facit, sed simpliciter eam Episcopis concedat: unde videtur haec potestas per illud decretum *iure ordinario* adnexa iurisdictioni Episcopali atque adeo delegabilis ab ipso Episcopo. Deinde quia non eligitur industria personae ; si enim haec eligeretur, nec generaliter nec specialiter posset Episcopus delegare et alioqui quoties aliquid conceditur praesentibus et futuris in perpetuum, non potest dici, electam fuisse industriam personae, quando delegatio fit personae incognitae... Observant autem, Doctores huius sententiae patroni, clausulam quoad absolutionem a reservatis ita intelligendam esse, ut Concilium velit, Vicarium Episcopi non habere ex generali commissione Vicariatus hos casus, nisi sibi specialiter committantur, non autem ut velit negare Episcopi potestatem specialiter delegandi.

Et Barbosa quidem l. c. n. 14. concludit: « Ergo in hoc opinionum

conflictu meam interponere sententiam non audeo, dum super hoc peculiarem non habuero decisionem: interim studiosus iudicet lector ». Tamen dixerat postremam hanc sententiam multis ac validioribus inniti fundamentis.

Et reipsa communior est haec sententia, ut patet ex syllabo DD. ab ipso Barbosa allegatorum l. c. n. 11. et eam defendit etiam Suarez illamque appellat *probabiliorem* s. Alphonsus lib. 7. n. 93. et rursus lib. 6. n. 594. dub. 9.

Et quoad absolutionis negotium satis esse debet, si sententia sit probabilis, uti ex generali principio habemus.

160. Quaeritur, *an uti pro se hac facultate possit Episcopus.* Et quidem ex generali principio (inquit Lugo *de Fid.* disp. 23. n. 61.). quod Episcopus potest circa seipsum, quod potest erga subditos (conf. Lugo *de Poenit.* disp. 20. nn. 57. et 65.) colligitur quod ipsemet Episcopus potest confessario suo committere potestatem vel se absolvendi ab occultis papalibus, vel dispensandi in occultis irregularitatibus ac suspensionibus. Est communis apud Barbosa *de Off. et Potest. Ep.* Allegat. 39. n. 15.

Imo clarius ex declaratione id patet s. Congregationis, quam affert Suarez (*de Poenit.* disp. 30. sect. 2. n. 15.) hisce verbis: « An Episcopo in aliquod delictorum, de quibus hoc capite (scil. 6. *de Reform.* sess. 24.), prolapso, liceat ad se absolvendum proprium confessarium deputare cum eadem auctoritate, quam ipse posset ex eodem capite in sibi subditos exercere: Congregatio censuit, id Episcopo licere ».

Subdit Lugo: « Quam declarationem invenio etiam in meis declarationibus mss., ubi plus aliquid additum est in illo responso, nempe « Congregatio censuit licere *etiamsi Episcopus Romae esset et sic extra suam dioecesim* (a) ». Quae probat et s. Alph. l. 6. n. 593.

161. Quaeritur *an Episcopus possit extra confessionem absolvere a casibus praedictis.* Negat s. Alphonsus lib. 6. n. 593. et l. 7. n. 81. in fin. cum Barbosa et aliis nonnullis (vid. Barbos. *de Off. et Potest. Episcopi* p. 2. Alleg. 39. n. 8. et ad h. l. cap. *Liceat*, in not ad Conc. Trident., ubi censet, verba decreti « *in foro conscientiae* » valere idem ac « *in sacramentali confessione* »); dicens, id esse decisum in declaratione s. Congregationis imo et declaratum a Gregorio XIII. (narrante id Fagnano c. *Dilectus, de Temporib. Ordin.* n. 36.). « Contraria tamen sententia (inquit Lugo *de Fid.* disp. 23. n. 64.) communis est

---

(a) Si ita est, habemus heic absolventem et absolutum esse extra dioecesim. Cf. n. 165. — E.

fere omnium ». Idque patet ex prolixo DD. catalogo, quem exhibet etiam Barbosa (ll. cc.).

Quoad interpretationem vero verborum Conc. Trident., contra Barbosa melius Lugo scribit (l. c.): « Et quidem ex verbis Tridentini non potest contrarium sufficienter probari et ex principiis generalibus deduci videtur, cum constet absolutionem a censura posse separari ab absolutione a peccatis. Nec limitatio illa « *pro foro conscientiae* » cogit ad hoc, ut fiat in sacramento: nam verba illa alium habent sensum, nempe ne prosit absolutio haec pro externo; in quo, quantumvis aliquis absolutus sit ab Episcopo pro foro conscientiae, habebitur tanquam non absolutus et punietur omnibus iuris poenis ». Ipse deinde difficultatem solvit, quae peti ex binis s. C. declarationibus forte posset; quae quidem solutio optime quadrat etiam in illud, quod Fagnanus l. c. narrat declaratum fuisse a Gregorio XIII.; neque enim controversia tunc agitabatur, num infra sacramentum Poenitentiae an extra illud posset Episcopus absolvere: sed utrum vi capitis *Liceat* absolvere *istas illasve personas* posset.

162. Quoad declarationes autem s. Congr. duas affert Lugo l. c. n. 62.-63. Prima est: « Qui non sunt subditi Episcopi, puta, Medicus, Praetor et similes exteri, qui tamen habitant in civitate, hoc decreto comprehenduntur, etsi commiserint crimina in aliis dioecesibus, adhibita tamen hac distinctione, quod scilicet possint absolvi in *sacramento Poenitentiae a suis criminibus* non tamen dispensari super his ». Ubi vides, disserte determinari absolutionem *in sacramento* impartiendam.

Secunda est: « Quaerebatur, an Episcopus in causa huius cap. 6. habeat facultatem dispensandi cum suo dioecesano absente, in aliena dioecesi, legitime impedito, commorante. Congregatio censuit, quod forensis in casu huius cap. 6. potest absolvi *in Sacramento Poenitentiae* ab illo Episcopo, in cuius dioecesi vel civitate commoratur, non autem ab alio dispensari. Facit ad hoc, quod Nuntii, qui possunt absolvere excommunicatos ob iniectionem manus in clericos, non possunt absolvere subditos extra provinciam. Accedit etiam quod Concilium loquatur de absolutione sacramentali in foro conscientiae, quae requirit praesentiam exemplo confessionis, quae non potest fieri per nuntium vel per litteras ». Ubi pariter recurrit absolutio *sacramento* danda.

De quibus idem Lugo ibid. n. 65.: « Ad has (declarationes) dici potest in iis agi non solum de absolutione a censura, sed etiam ab ipso peccato: ideo enim dictum est, posse *absolvi in sacramento Poenitentiae a suis criminibus*, a quibus certum est, Episcopum non posse absolvere extra sacramentum. An vero possit auferre reservationem peccati

absolvendo extra sacramentum a censura, ita ut postea ab alio confessario ordinario possit poenitens in sacramento absolvi a peccato non fuit ibi quaesitum, nec decisum ». Post quae idem Lugo ibid. nn. 65. 66. solvit obiectiunculas petitas ex iisdem declarationum verbis, nempe ex comparatione cum auctoritate Nuntiorum, et ex eo quod altera requirat praesentiam absolvendi.

Ceterum ipse quoque Thesauro *de Poenis Eccl.* part. 5. cap. 22. licet veriorem dicat sententiam, quae negat facultatem absolvendi extra sacramentum Poenitentiae (notum est autem, hunc hominem semper severioribus adhaerere) illis, qui possunt absolvere solum pro foro conscientiae, tamen excipit facultatem factam Episcopis. « Idem (inquit) puto (scil. *expedire posse extra sacramentum*) in facultate concessa Praelatis uti Episcopis (Trid. Sess. cap. 6. *de Reform.*) ut communiter DD. apud Barbosam...; quia cum verba debeant intelligi secundum qualitatem personae ad quam referuntur..., particula, *in foro conscientiae*, pro iis, qui non solent audire confessiones sacramentales, non est restringenda ad forum sacramentale seu poenitentiale, sed generatim ad forum animae, sive poenitentiale exsistat, idest sacramentale, sive quasi poenitentiale, idest non sacramentale ».

Imo ipse s. Alph. l. 7. n. 126. generatim in id consensit, nempe quisquis potestatem habet absolvendi a censura in foro conscientiae, posse id praestare extra confessionem: excipit tamen Episcopos deceptus e Fagnano.

163. Quaeritur tandem, an *Episcopus possit absolvere morantem extra dioecesim.*

Adverte, duo inquiri posse, 1° an facultas, quam Episcopis dat cap. *Liceat*, exerceri possit cum absente: 2° an exerceri possit cum absente ac praeterea commorante seu exsistente extra dioecesim.

Porro quoad mere absentem, certum est penes omnes, alteram e facultatibus factis Episcopo in illo cap. scilicet *facultatem dispensandi* exerceri posse cum absente idque perpetua praxis confirmat: neque enim ad Sedem Apostolicam seu s. Pontificem accedunt praesentes, qui dispensationes postulant et obtinent. Quod facultatem vero absolvendi, ii solum negant, exerceri eam posse cum absente, qui negant, eandem facultatem exerceri posse extra sacramentum Poenitentiae. « Alii tamen omnes (ut ait Lugo disp. 23. *de Fide* n. 67.) qui dicunt, posse extra sacramentum dari absolutionem ab hac censura, consequenter et merito admittunt, posse conferri absenti: quia absolutio a censura ex genere suo absenti dari potest et haec facultas non limitatur Episcopo quoad hanc censuram. Ita Suarez, Sanchez etc. ».

164. Quando autem subditus non modo sit absens, sed etiam extra Dioecesim, quoad *dispensandum ab occultis irregularitatibus et suspensionibus,* adhaerendum est sententiae, quam merito s. Alphonsus lib. 7. n. 81. *communiorem* et *probabiliorem* dicit et pro qua longum catalogum insignium Auctorum allegat Barbosa (*de Episcopi Off.* etc. Alleg. 39. n. 7.), et stat etiam Lugo (*de Fid.* disp. 23. n. 77.), nempe posse Episcopum ea facultate uti cum subdito quoque extra diocesim commorante.

Ratio ex s. Alph. ibid. est, « quia dispensatio per se potest concedi absenti; ergo non oportet, ut dispensandus adsit in diocesi, cum actus iurisdictionis voluntariae bene possit exerceri etiam extra territorium. Nec obstat, quod in Tridentina dicatur « *in dioecesi sua* »; nam respondetur, quod vel illa particula satis verificatur, cum aut Episcopus aut subditus exsistit in propria dioecesi, ut dicunt... Salmant. (*de Cens.* cap. 2. n. 53.) vel quod praefata particula refertur tantum ad secundam (decreti) partem (et haec responsio est magis peremptoria), ubi agitur de absolutione casuum, ut respondent Suarez (*de Cens.* disp. 41. sect. 2. n. 10.), Sanchez (*in Decal.* lib. 2. cap. 11. n. 13.). Ex quo hi Auctores inferunt, quod etiamsi uterque, tam Episcopus quam subditus, sint extra dioecesim, bene poterit Episcopus dispensare ab irregularitate et absolvere a suspensionibus ».

165. Quoad *absolvendum* vero a casibus reservatis extra dioecesim, non consentiunt Doctores.

Et missa eorum opinio fieri debet, qui censentes absolvere a censuris istis Episcopum non posse nisi in sacramento Poenitentiae, concludunt, et Episcopum et subditum debere intra dioecesim exsistere; quia Tridentinum restringit facultatem Episcopis, ut liceat eis « *quoscumque sibi subditos in* DIOECESI *sua absolvere* ». Ita et s. Alph. sup. n. 242.

Quae sententia (ait Lugo, *de Fid.* disp. 23. n. 68.) communiter reiicitur; quia « legum correctio vitanda est, quantum fieri possit: quare cum verba illa (Synodi) alium sensum habere possint, non debet imponi nova limitatio adeo exorbitans, ut uterque debeat intra dioecesim exsistere ».

Alii (vid. Lugo ibid. disp. 23. nn. 69. 70.), ut Sanchez (*in Dec.* lib. 2. cap. 11. n. 17.) censuerunt, neutrius intra dioecesim praesentiam exigi: vel saltem sufficere, si in sua dioecesi moretur Episcopus, etsi extra eam sit subditus absolvendus, uti Palaus t. 4. disp. 4. punct. 3. §. 1. n. 12. et idcirco verba decreti « *in sua dioecesi* » variis modis distorquent.

Praeferenda tamen videretur sententia, quam post Suarez (*de Cens.*

disp. 41. sect. 2. n. 11. seq.) amplectitur etiam Lugo (*de Fid.* disp. 23. nn. 73. 76.), non posse nempe Episcopum absolvere subditos, quandiu extra suam dioecesim commorantur, licet subditos intra dioecesim commorantes possit absolvere Episcopus extra eam degens.

Argumentum sumit Lugo ex altera declaratione sup. n. 162. allata, ubi s. Congregatio dicit « *posse ipsum* (scil. subditum absentem) *absolvi in sacramento Poenitentiae ab illo Episcopo, in cuius dioecesi vel civitate commoratur* ». Ad quae Lugo ib. n. 74.: « Quamvis autem non dixerint expresse, non posse absolvi a proprio Episcopo, hunc tamen fuisse Cardinalium sensum, significant satis verba immediate subsequentia...: quia *Nuntii, qui possunt absolvere excommunicatos ob iniectionem manus in clericos, non possunt absolvere subditos extra provinciam.* Quod exemplum probat etiam de absolutione a censura, quasi diceret...: Sicut Nuncius, qui accipit potestatem limitatam ad exercendam illam intra Provinciam, non potest absolvere a censura subditum extra illam existentem; ita nec Episcopus, cui data est facultas absolvendi subditos in sua dioecesi, poterit vi huius facultatis absolvere eos extra illam vagantes. Unde constat, verba illa « *in sua Dioecesi* » intellecta fuisse a Congregatione ut limitantia facultatem, ne exerceretur cum subdito extra dioecesim commorante ».

166. Et quoad aliam doctrinae praemissae partem subdit Lugo: « Ex eodem autem Legati exemplo probari potest, Episcopum extra dioecesim commorantem posse absolvere subditum suum intra suam dioecesim exsistentem; quia Legatus Pontificis, licet iurisdictionem limitatam ad suam provinciam accipiat et licet extra illam non possit iurisdictionem contentiosam exercere, potest tamen exercere voluntariam, etiamsi extra suam provinciam adhuc sit ».

Porro rationem Concilii ad hanc limitationem addendam Suarez (*de Cens.* disp. 41. sect. 2. n. 11.), cui adhaeret Lugo (*de Fid.* disp. 23. n. 73.), assignat, ut servaretur unio et concordia inter Episcopos non solum in ordine ad subditos, sed etiam in ordine ad territoria... « Etenim contingit Episcopum multum curare, ne circa subditos, qui ad eum iam pertinent, dum ibi commorantur, alius Episcopus, sive praesens sive absens, illos actus exerceat. Cum enim hi eo tempore deberent ad ipsum Episcopum recurrere, in cuius dioecesi sunt, multum ei praeiudicatur, si possint ad proprium Episcopum recurrere, ipso relicto, eoque invito se ostendere absolutos, qui antea erant excommunicati. Ut igitur haec occasio querelae Episcopis tolleretur et debita servaretur pax, prudenter cum ea limitatione facultas absolvendi concessa fuit, ne subditi extra dioecesim commorantes a proprio Episcopo absolverentur, sed ab illo, apud quem actu sunt ». Ita Lugo disp. 23. n. 73.

Veruntamen ista ratio nimis probare videtur, nempe Episcopum non posse in dioecesi alterius absolvere suum subditum a peccatis, ne pax illa et ordo turbetur. Praeterea quae discordia heic timetur, supponit casum quodammodo notorium, unde causa querelae, quod excommunicati inscio imo invito loci Episcopo absolvantur, at enim nos modo disputamus de casibus occultis. Insuper vix apparet, cur eadem ratio vitandi discordias et querelas non valeat quoad dispensationes quoque ab irregularitatibus et suspensionibus. Ergo detur utique sua vis declarationi; sed alia eiusdem ratio videtur adhuc quaerenda. Et cum Episcopus suum subditum possit a peccatis absolvere in aliena dioecesi, vix apparet, quomodo requirenda prius foret absolutio censurae ab Episcopo loci. Quid enim, si subditus ligaretur alia censura iure Episcopis reservata, v. gr. ob procuratum abortum? Cur non posset proprius Episcopus suum subditum absolvere in aliena dioecesi? Quod si potest praesens, cur non posset etiam absens, idest exsistens in propria dioecesi cum subdito commorante in alia? Sincere igitur fatendum est, hanc quaestionem adhuc obscuritate non mediocri laborare. Et oppositam sententiam tenent alii (praeter citatos a Lugo et Salmantic.), apud Dianam tom. 5. tract. 8. resol. 15. num. 6., et resol. 18. (a).

XXXII. Respond. 3. Multi Religiosi, praesertim Mendicantes, possunt ex privilegiis, in foro tamen interno tantum, a variis censuris absolvere. V. Dian. p. 9. t. 4. res. 63. Quare a superioribus suis illa privilegia petant, cum ad confessiones audiendas exponentur et circa ea sequentes regulas sequantur:

Prima. Qui habet potestatem absolvendi a censuris reservatis Episcopo, non potest vi illius absolvere a reservatis Papae.

Secunda. Qui habet potestatem absolvendi a reservatis Papae, non censetur posse absolvere a censuris Bullae Coenae eo quod hae censeantur maiores nec comprehendi in concessione generali. Dian. p. 5. t. 12. res. 34. ex Suarez etc. contra Bossium.

Tertia. Qui habet potestatem absolvendi a censuris Bullae Coenae, habet etiam a quibusvis Papalibus et Episcopalibus a iure latis, etsi aliqui negent de excommunicatione contracta propter haeresim, de qua alii probabilius affirmant, praesertim pro regionibus septentrionalibus, pro quibus alioqui concessio per magnam partem esset inutilis.* Hanc circa doctrinam animadverte Proposit. 4. et 12. inter proscriptas ab Alex. VII.*

Quarta. Possunt Regulares per sua privilegia, sicut ab aliis censuris Papae reservatis, ita etiam absolvere duello certantes. Idem dic de similibus casibus, post constitutionem Clementis VIII. sicuti poterant ante eam: praeterquam in Italia extra urbem; idque ex declaratione ipsiusmet Clementis apud Comitolum l. 6. *Mor.* Reg. l. 21. d. 83. Filliucc. t. 1. tr. 15. c. 5. Laym. l. 3. t. 3. p. 3. c. 5.

167. Vix est, quod hoc loco addamus de facultate absolvendi a censuris, quae Religiosis aut Mendicantibus aut horum privilegia

(a) « Illa verba *in dioecesi sua*, utrum pertineant ad absolventem an ad absolvendum, non satis convenit: ideo sat erit, alterutrum in ea versari », ait d'Annibale vol. 1. n. 346. — E.

participantibus inest. De hoc enim argumento in tract. *de Poenitentia* satis dictum fuit (vol. V. 510. seqq.) ubi et de facultate Regularium erga suos subditos. Pauca igitur sufficiant ad Auctoris declarationem.

Dicit Auctor, plures Religiosos et praesertim Mendicantes habere privilegia absolvendi a censuris pro *foro interno*.

Profecto Mendicantibus plura concessa fuerunt: at haec privilegia perpetua quoad censuras papales concessa ordinibus Regularium abrogata fuerunt per Const. *Apostolicae Sedis*, ut saepe dictum est.

Dicit pro *foro interno tantum*: quia nempe absolutio ista utique tollit censuram: sed non eximit *per se* a iudicio, quod superior forte velit instituere contra reum in foro externo (vid. dicta sup. nn. 138. seqq., seu potius dicenda infr. a n. 202. seqq.).

* Habenda est praesertim ratio responsis. Poenitentiariae 5. Dec. 1873. Proposito sane dubio: « An praelati Regulares, post Const. *Apost. Sedis*, iisdem privilegiis gaudeant, quibus antea id est, an possint necne *suos subditos* absolvere a casibus papalibus in dicta Bulla *simpliciter* reservatis » s. Poenit. respondit: « Negative, salvis aliis facultatibus, quae promanant ex rescriptis particularibus ad tempus concessis ». *

Addit Auctor, haec privilegia a Superioribus suis religiosos petere et obtinere debere. Videatur de hac re Suarez *de Relig.* Soc. Iesu. lib. 9. cap. 2. n. 2. seqq. ubi planum facit, iurisdictionem omnem Religiosis inesse a s. Pontifice quidem, sed communicatam per *Superiores*, qui propterea coaretare eam possunt tum quoad personas, v. gr. solos viros, tum quoad tempus etc.: sicut autem generatim iurisdictionem, ita et eiusdem extensionem plus minusve statuere in potestate Superiorum est, per quos omnis potestas a Summo Pontifice descendit.

168. Regulas addit A. servandas in usu privilegiorum.

Porro quoad 1^m^, quod qui habet facultatem absolvendi a censuris Episcopo reservatis, non ideirco possit absolvere a reservatis Papae, res est manifesta. Vel enim prior illa potestas est ab Episcopo et hic nihil concedere potest quoad causas Papae reservatas. Vel datur a s. Pontifice et si hic concedit solum facultatem quoad causas episcopales, alias sibi reservatas ea concessione plane non includit. Ergo.

Quoad 2^m^, quod in concessione casuum papalium non comprehendebantur contenti in Bulla Coenae, res est compertissima et multoties in Decretis Pontificiis inculcata. Vid. Decretum Clementis VIII. Nov. 1502. Nunc constat, non comprehendi casus speciali modo Romano Pontifici reservatos ut habet Const. *Apostolicae Sedis* sub finem 1^ae^ seriei.

Quoad 3^m^. Duo hoc loco habet Auctor, quae admitti non debent.

Primum est, quod qui habet facultatem generatim pro casibus *Bullae*

Coenae, probabilius possit absolvere ab haeresi. Qua de re alias attulimus expressam declarationem Benedicti XIV., qui antiquiora decreta allegat (sup. n. 146.) et haec decreta negant, facultatem absolvendi a censura propter haeresim in concessione casuum Bullae Coenae includi. * Nunc etiam post Const. *Apost. Sedis*, est alius specialissimus casus, de quo in seqq. ubi eam Constitutionem declarabimus. *

Alterum est, quod Auctor facultatem absolvendi a casibus Episcopalibus a iure latis videtur reservare illis, qui a Pontifice acceperint facultatem pro casibus *Bullae Coenae*. Atqui nos alias (*de Poenit.* Vol. V. 510. seq.) ostendimus, eam facultatem competere Mendicantibus, prouti habent facultatem generatim pro casibus Papalibus, etiamsi non habeant facultatem pro casibus in *Bulla Coenae* et s. Alphonsus lib. 7. n. 99. hanc sententiam appellat *communiorem* et *probabiliorem*. Et quidem ipse Auctor alibi (*de Poenit.* cap. 2. dub. 4. resp. 3. resol. 1.) innuerat haberi doctores, quibus sententia s. Alphonsi et communior arriserat.

Quoad 4^m^. Auctor Mendicantibus tribuit facultatem absolvendi a casibus quoque, qui appellari solent *Clementini:* sed ponit exceptionem pro regionibus *extra Urbem intra Italiam:* atque ita nihil aberrat a veritate nec ab aliis dissentit (cf. tr. *de Poenit.* n. 512.).

Adnotatio autem Patavini Scholiastae, scilicet circa *hanc doctrinam* animadvertendas 4. et 12. propp. damnatas ab Alex. VII., abs re apponitur. Nam prior de absolutione haeresis etiam occultae, posterior de casibus Episcopalibus agit. Atqui Auctor nihil de his agit; imo in Resp. 2^a^ haeresim excluserat.

S. Alphonsus lib. 7. nn. 102. 107. plures quaestiones addit de facultate Regularium circa absolvendos a censuris suos subditos. Sed de his vide in tract. *de Poenit.* nn. 517. seqq. * et cf. heic responsum s. Poenitentiariae n. praec. *

XXXIII. Resp. 4. Ampla etiam solet dari potestas a censuris absolvendi in Iubilaeis: in quibus diligenter considerandum, quid, quantum et quomodo concedatur. Si enim detur potestas absolvendi a casibus reservatis Papae, etiam conceditur potestas absolvendi a censuris Papae reservatis; quia is non solet reservare casus, nisi ratione censurae adiunctae. Porro absolutio data confitenti bona fide in Iubilaeo, cum intentione lucrandi illud, etsi postea vel sua negligentia, vel propter aliud impedimentum non lucretur, est valida tollitque censuram, secus si ab initio indulgentias lucrari noluerit; eo enim casu probabilius est absolutionem non valere et tam peccata reservata, quam censuram de novo debere tolli ab eo, qui potest extra Iubilaeum.

169. Omnia clara sunt. Quod dicitur de facultate pro censuris, ubi data sit facultas pro peccatis reservatis, bene advertit s. Alphonsus lib. 7. n. 114.: « Universe loquendo qui absolvere potest a peccato

reservato, potest etiam a censura adnexa; cum nequeat absolvi peccatum, nisi prius censura absolvatur ». Circa id, quod altero loco docet A. cf. Tract. *de Poenit.* Vol. V. nn. 505. 507.

Dub. VI.

Quomodo danda sit absolutio a censura.

XXXIV. Resp. Id statuendum esse ex natura tum censurae, tum cuiusvis absolutionis.

170. Ab initio huius dubii monendum est, quod censura semel incursa non alia via tolli potest, quam absolutione. Ratio, quia censura auferri nequit nisi potestate concessa Petro solvendi ligatos: sed huius potestatis actus est, sicut ligatio, ita etiam absolutio. Ergo. Ita Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 107., Pirhing eod. tit. ibid. n. 179. Engel h. t. n. 17. et Reiffenstuel h. t. n. 240. (a).

Una esse dicitur ab hac regula exceptio: si nempe censura lata est sub conditione resolutiva, uti solvi debeat scilicet vel cessare, adveniente conditione; tunc enim hac posita, cessat censura ipso iure. Sed hoc ideo, quia iam sententia ferens censuram eius quoque absolutionem, data conditione, continebat.

Regula ergo est generalis, censuram absolutione tolli.

Hinc infertur, censuram non cessare ob mortem Auctoris seu *iudicis* ferentis censuram. Ratio, quia licet ab eo pendeat in fieri, non tamen in conservari. Accedit, quod censura est poena; atqui poena, iure sic disponente, durat, usque dum legitime tollatur. Ita communis cum Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 108. Reiffenstuel h. t. n. 240. etc.

Nec tollitur censura plene et perfecte etiam morte censurati. Ratio, quia censura non tantum afficit delinquentem, sed et aliis fidelibus obligationem imponit abstinendi a censurati communione et ex hac parte non perit morte censurati; siquidem eo mortuo vivi nequeunt eius corpus sepulturae ecclesiasticae tradere aut pro eius anima sacrificium offerre et preces publicas fundere. Schmalzgr. l. c. n. 109., Reiffenst. l. c., Suar. Laym. Palaus, Conink etc.

Denique non tollitur sola satisfactione facta parti laesae et emendatione delinquentis, si censura absolute lata sit. Ratio, quia esto quod imponatur, ut parti satisfactio detur et delinquens corrigatur; at id solum probat, posita satisfactione et correctione debere censuram a iudice auferri, non tamen quod ipsa per se cesset. Schmalzgr. l. c. n. 110., Reiffenst. n. 240.-241. etc. Sed de hoc postremo cf. dicenda sub. resol. 5.

(a) Cf. superius n. 9. discrimen inter *absolutionem* et *dispensationem*. — E.

Cum responsio A. statuat unice principium, absolvendi modum accommodandum esse naturae rei et cuiusvis absolutionis, nihil addendum est. Nam peculiares conclusiones habemus in resolutionibus.

Ex qua circa absolvendi modum resolves.

XXXV. 1. Ex natura rei non requiruntur certa verba, sed sufficiunt ea signa, quibus aperte significetur absolutio impendi. In foro tamen externo communiter servanda est forma cuiusque Episcopatus. In foro autem conscientiae haec fere est in usu: *Ego te absolvo,* verbi gratia, *a vinculo excommunicationis, suspensionis etc. quam incurristi propter* NN. (talem causam) et (si sit excommunicatus) *restituo te Sacramentis Ecclesiae et communioni fidelium, aut* (si sit suspensus) *exsecutioni tuorum ordinum vel officiorum vel beneficiorum. In nomine Patris,* etc. In publica autem ac sollemni absolutione praemittitur Psalmus Miserere et ad singulos versus poenitentis humeri denudati leviter percutiuntur (nisi ex iusta causa talis ceremonia videatur omittenda, praesertim in feminis) tum adiectis precibus absolvitur et in Ecclesiam introducitur. Idem modus fere servatur in absolutione mortuorum, nisi quod sepulcrum virga percutiatur. Vide Rituale Roman.

171. Non solum ex natura rei (quod A. habet), sed neque in iure formula ulla praescripta est; sed ea sufficit, quae voluntatem absolvendi declaret potestque fieri aut verbis, aut etiam scripturis, aut alio signo, v. gr. si subdito postulante absolutionem, superior mere faciat manu super eum signum crucis, vel sciscitanti, an demum absolvat, superior caput inclinando annuat. Schmalzgr. tit. 39. n. 98.

Bene addit s. Alph. lib. 7. n. 116., signum aliquod externum requiri et non sufficere solam internam voluntatem iudicis.

Rationem affert Suarez *de Cens.* disp. 7. sect. 9. n. 2., quia haec actio fit inter homines, unde necesse est, ut sensibili modo fiat, sicut dictum est alibi de ferenda censura. Deinde oportet aliquo modo indicare personam, quae absolvitur.

Quoad aliam resol. partem, Auctor formam innuit tum pro absolutione *privata,* tum pro *sollemni.*

Bene quoad sollemnem Schmalzgr. tit. 39. n. 98.: « Ritus servandus in absolutione iudiciali a censura excommunicationis praescribitur cap. *A nobis* 28. *de Sent. Excomm.* (ubi dicitur: = *absolutionis autem forma servetur, ut fiat cum poenitentiali Psalmo et tam oratione dominica, quam alia consueta* =), quae nempe habetur in Pontificali Romano. Omissio tamen illius absolutionem non reddit invalidam, ut omnes fatentur, *neque illicitam graviter,* etsi expediat regulariter praedictas ceremonias observari » (a).

(a) In Rituali Romano (*de Sacr. Poenit.* c. 3.) prostat modus absolvendi ab excomm. in foro exteriori, qui dicitur *forma Ecclesiae consueta:* at si absolutio danda est in foro interiori, id tantum dicitur: *Confessarius absolvat iuxta formam communem praescriptam in absolutione sacramentali* (D. N. I. Ch. te absolvat etc.).

XXXVI. 2. Absolvi a censura potest absens, imo et invitus; etsi hoc communiter non liceat, ne censura contemnatur. Ratio, quia sicut poena in absentem et invitum potest statui, sic et auferri. Turr. Dian. p. s. t. 9. res. 10.

172. Quod praesentia rei, dum absolvitur, absolute necessaria non sit, certum est, ut inquit s. Alphonsus, qui (n. 117. lib. 7.) et sacros canones allegat. Et rationem egregie addit A., quia sicut poena in absentem et invitum statui potest, ita et auferri et sicut absens per litteras potest excommunicari, ita et absolvi.

« Regulariter tamen (inquit Schmalzgr. tit. 39. n. 102.) expedit, reum esse praesentem, tum ad reverentiam censurarum, tum ad maiorem humilitatem et cautionem ipsius censurati. Hinc s. Alph. lib. 7. n. 117. subdit quod « sine urgenti causa non licet absolvere absentem ».

Et idem dicendum (ait Schmalzgr. l. c.) de absolutione medio Procuratore, scil. « regulariter non expedire, ut fiat; causa tamen urgente concedi posse. Hic tamen Procurator speciale mandatum habere debet petendi absolutionem, ut sic constet, censuratum recessisse a contumacia: item iurare debet et praestare ea omnia, quae absolvendus praestaret, si praesens adesset ». Quae suo calculo confirmat et s. Alphonsus lib. 7. n. 117.

Quoad absolutionem autem inviti, scite monet s. Alphonsus lib. 7. n. 131. not. III.: « Si privilegium sit factum poenitentibus, prout in iubilaeo, ubi datur eis facultas eligendi sibi confessarium, a quo absolvantur; tunc nequit absolvi invitus, quia usus privilegii pendet a voluntate privilegiati. Secus, si privilegium sit in favorem confessariorum, uti sunt privilegia Regularium... » (a).

XXXVII. 3. Is, qui pluribus censuris est adstrictus, potest absolvi ab una, relictis aliis; quia inter eas non est necessaria connexio. Unde si dicatur, *absolvo te ab omni vinculo*, etc. valet pro omnibus: ideoque si sic absolutus in Iubilaeo forte omisisset invincibiliter peccatum habens annexam censuram, idest excommunicationem, posset is postea ab eo peccato per quemvis approbatum absolvi, cum non sit amplius reservatum, eo quod censura, ratione cuius tantum erat reservatum, sit sublata.

173. Superius (a n. 78.) dictum est hominem pluribus censuris innodari posse non modo *diversae rationis*, sed eiusdem quoque rationis, tum propter causae diversitatem, tum pro diversitate superiorum, tum etiam propter multiplicitatem actuum eiusdem criminis.

Exinde facile intelligitur, quomodo absolvi quis possit ab una censura, permanens tamen alia obstrictus aut diversae rationis, aut eius-

---

(a) « Eum qui lege vel obligatione aliqua devinctus est, inscium et invitum absolvi posse, tralatitium est (l. 23. *De solution.*): verum dispensationes, quasi gratiae, non aliter, concedi solent, h. e. non nisi volenti, quia *invito beneficium non datur* (arg. ex l. 10. *de Donation.*): ait d'Annibale I. 223. 9.

dem rationis, sed inflicta ob diversam causam, aut inflicta ob eandem causam, sed a diverso Superiore etc.

Quoad aliam partem, ubi sermo est de absolutione, quae valeat etiam circa peccata omissa ex oblivione, s. Alphonsus lib. 7. n. 131. ad fin. id concedit, si privilegium concessum sit poenitenti, ut fit etiam in Iubilaeo aut Bulla Cruciatae, non vero si agatur de Superiore, *quia* (inquit) *reservatio imposita est, ut culpae cognoscantur a Superiore* etc. et remittit ad lib. 6. n. 597.

Sed alibi iam ostendimus (*de Poenit.* Vol. V. a n. 498.) 1° haec dici contra communem sententiam; 2° ex mero oculi lapsu s. Alphonsum pro ea opinione allegasse plures DD., qui reipsa nihil ad rem faciunt: 3° eam opinionem nulla solida ratione inniti.

XXXVIII. 4. Absolutio vi aut metu gravi iniuste incusso extorta non valet; imo novam excommunicationem incurrit, qui metum incutit.

174. Invaliditatem absolutionis, quae vi seu metu gravi et iniusto extorqueatur, Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 99. merito extendit ad casum censurae *iniuste* quoque latae, quae tamen foret ex se valida. Ratio, quia textus iuris (cap. unic. *de His, quae vi metusve causa fiunt* in 6°) non distinguit: « Absolutionis beneficium ab excommunicationis sententia, vel quamcunque revocationem ipsius, aut suspensionis, seu etiam interdicti, per vim vel metum extorta, praesentis Constitutionis auctoritate omnino viribus vacuamus ».

Praeterea scite Suarez *de Censur.* disp. 7. sect. 6. n. 13. advertit decretum extendi ad censurae revocationem. Dicitur autem revocari censura quando sub conditione lata fuit, vel intra certum terminum et postea, antequam ipsa contrahatur, mandatum vel sententia censurae revocatur. Tunc etiam si revocatio facta sit per vim aut metum ex vi allati decreti revocatio est nulla, ut expresse decretum habet. Quapropter, non obstante illa revocatione, censura contrahetur, si praeceptum prius violetur. Ita Suarez.

Attamen metus aut vis saltem indirecte incutiatur necesse est in ordine ad extorquendam absolutionem; quia alias illa non tam causa esset absolutionis, quam occasio. Unde si quis pressus a suis inimicis excommunicatum absolveret, ut eum hac ratione invitaret ad sui liberationem, valide eum absolveret, modo illi nullo modo premerent iudicem, ut absolutionem extorquerent (Conink disp. 14. n. 223.).

Et ex hoc casu iam innuitur, non opus esse, ut metus incutiatur ab eo, qui absolvendus est, sed regula valet, a quocumque demum metus incutiatur. Proinde merito Suarez *de Censur.* disp. 7. sect. 6. n. 15. ait, sine dubio id ipsum tenendum esse, etiamsi metus inferatur

ab aliquo non subdito Ecclesiae, v. gr. ab homine vel Principe Gentili. Ratio, tum quia haec lex directe irritat actum *absolventis*, qui est Ecclesiae subditus; tum etiam quia ille Gentilis in hoc iniuriam infert Ecclesiae, quae potest se defendere.

175. Veruntamen monent generatim Doctores, quos sequitur s. Alphonsus n. 119., valere absolutionem, si metus *non iniuste* fuerit incussus. Nam textum iuris (ut advertit Coninck l. c.) loqui de extorsione *per iniuriam*, inde patet, quod textus damnat extorsionem eamque punit tanquam factam contra iustitiam.

S. Alphonsus l. c. hoc videtur dumtaxat extendere ad casum, quo « extorta fuerit absolutio a iudice, qui nolebat absolvere, adhuc cessante contumacia » : quam limitationem sumpsit ex Roncaglia *de Cens.* q. 1. cap. 6. q. 6. resp. 2. At non ita rem alii constringunt. Ita v. gr. Suarez *de Cens.* disp. 7. sect. 6. n. 14.: « Necessarium videtur, ut talis vis vel metus per iniuriam inferatur: nam si vis tantum consistat vel in denegandis beneficiis gratuitis, vel in pura et iusta defensione, illa non potest appellari vis, nec metus inde conceptus potest dici cadens in constantem virum ». Ubi patet, non quaeri, iuste ne an iniuste Superior negaret absolutionem, sed num metus incussio, in se spectata, iniuriam per se involvat.

Coninck disp. 14. n. 223. exemplum attulerat « si qui obtineret absolutionem minando alteri poenam, quam iuste posset inferre ». Ad quae Collet *de Censur.* cap. 5. art. 2. q. 6.: « id ego aliquando verum, saepius vero falsum aut valde dubium puto. Qui enim alium iuste infamare potest in negotio, quod cum censura iuste inflicta nihil commune habet, si non in hominem, ut homo est, saltem in hominem, ut iudex est et legitime censuram tulit, iniuriosus videtur ». Sed Collet duo confundit, nempe iniustitiam extorsionis in se spectatae et iniustitiam actionis, qua extorsio fit. Iniquum sane esto, quod quis exigat indebitam absolutionem: at si ab actione qua metus fit, abest iniuria, v. gr. si minitetur Episcopo iustam apud Pontificem accusationem, aut exactionem crediti ingentis, quod aut ipsum Episcopum aut eius consanguineos premit, profecto iste utitur iure suo, quaevis abest iniuria, nec metus in se iniustus est. Atqui Pontifex in decreto damnat metum iniustum, non vero iniquam tantum absolutionis exactionem, quam sibi Episcopus imputare deberet. Ergo. — Memorare haec e Colleto volui, quia s. Alph. etiam Colletum, a quo limitationem suam hausit, simul cum Roncaglia allegat.

Postremo advertendum, poenam excommunicationis latam in eos, qui metu absolutionem seu revocationem censurae extorserint, Ita allegatum sup. n. praec. decretum prosequitur: « Ne autem sine vindicta

violentiae crescat audacia, eos, qui absolutionem seu revocationem huiusmodi vi vel metu extorserint, excommunicationis sententiae decernimus subiacere ». Hanc omisit Pius IX. Const. *Apost. Sedis.*

Quaeritur, an valeat absolutio ob falsam causam obtenta. Breviter s. Alphonsus n. 132.: Quando absolutio datur ob falsam causam, nempe si iudex absolvat, *quia* reus dicit se iam emendatum, vel parti satisfecisse et hoc verum non sit; non valet absolutio, si deficiat causa principalis: secus, si causa illa fuerit minus principalis, vel si iudex perspectam habuit causae allatae falsitatem. Ita ad sensum s. Alph. *cum communi.*

XXXIX. 5. Absolutio data ab Ordinario, non praestita satisfactione, etsi sit illicita, valida tamen est: imo etiam data a delegato, modo non delegetur cum conditione satisfactionis: quae si impossibilis sit, sufficit praestare cautionem aut iuramentum de satisfaciendo, cum poterit.

176. Tria Auctor hic docet:

1° Si absolutio, non praestita satisfactione, detur ab Ordinario, illicitam esse, sed validam.

2° Item, si idipsum fiat a delegato, nisi tamen facultas illi concessa fuerit cum conditione satisfactionis; nam sic nec valida quidem foret.

3° Quando impossibilis sit satisfactio, sufficere cautionem aut iuramentum: intellige, ut absolutio tum valide tum licite conferatur.

In primis adverte cum s. Alphonso n. 122. doctrinam de necessitate absolutionis, etiam satisfacta parte: « Certum est (inquit), quod etiam secuta emendatione vel satisfacta parte, ad cuius instantiam lata est censura, haec non auferatur sine absolutione; quia licet, cessante contumacia, censura debeat statim absolvi..., ex hoc tamen non infertur, quod sit iam absoluta. Patet ex prop. 44. damn. ab Alexandro VII.: *Quoad forum conscientiae, reo correcto eiusque contumacia cessante, cessant censurae* ».

N. B. S. Alphonsus ad probandum, quod posita satisfactione et correctione debeat a iudice censura auferri, allegat c. *Cum desideres* (ex mendo scriptum est *consideres*) *de Sent. Excomm.* Melius forte id constat ex c. *Qua fronte, de Appellationibus*, ubi sic legis: « Sane si quis pro contumacia vel alia qualibet iusta causa, interdicto vel excommunicatione tenetur adstrictus *et offert se ad iustitiam*, de his, pro quibus sententiam ipsam excepit, Iudex eum... absolvere poterit, etiamsi pars adversa, ne absolvatur, appellationis obstaculum interponat ». Et c. *Ex litteris, de Constitution.*: « Cum tam iuris Canonici, quam nostri moris exsistat, ut is, qui propter contumaciam communione privatur, cum satisfactionem congruam exhibuerit, restitutionem obtineat... ».

Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 111. cum Suarez, Reiffenstuel lib. 5. tit. 39. n. 241., Laymann. etc. hanc doctrinam limitat: « *Si censura absolute sit lata* ». Nam si feratur censura, *quousque* satisfecerit reus, verius est, posita satisfactione ipsum pro absoluto habendum... Sed tunc verba ipsa, quibus censura *sub tali conditione* illata est, absolutionem ab illa, posita satisfactione, continent ».

177. Declaremus doctrinam Auctoris exordientes a tertio puncto. Ut a facilioribus initium ducamus, duos alios casus s. Alphonsus, post alios DD., recenset, *praeter impossibilitatem*, in quibus absolvi quis potest, non satisfacta parte.

Primus est (ait n. 128.), « quando pars iniuriam remittit; sufficit enim satisfactio damnificati, quin satisfiat Ecclesiae, ut tenent Salmantic. cap. 2. n. 20. vid. lib. 6. n. 536. ad n. XVI.

Quoad *substantiam rei* per se patet; quia si laesus remittit, cessat obligatio satisfactionis, non secus ac cessat obligatio debitoris, si creditor debitum condonet. « Hinc (pergit s. Alph.) si *percussus clericus* (male in editis hoc loco legitur: *percussus a* CLERICO) remittat iniuriam expresse vel tacite, v. g. percussorem familiariter tractando, hic bene posset absolvi ».

Dixi *quoad substantiam rei:* nam indigent declaratione quae s. Alph. addit, nempe « *sufficit enim satisfactio damnificati, quin satisfiat Ecclesiae* ». Nam in c. *Cum desideres, de Sent. Excomm.* edicitur oppositum facta eadem prorsus quaestione: « Tua discretio requisivit; si clericus verberatus, Episcopo mediante, cum suo verberatore composuerit et ille reconciliatus sibi fuerit, an per hoc is debeat ad aliorum communionem admitti? Super quo tibi breviter respondemus, quod licet ille, qui violentas manus iniecit, ei, quem laesit, satisfecisse taliter videatur; Ecclesiae tamen, quam offendit, ex hoc non satisfecisse dignoscitur et nisi forma Ecclesiae, quae pro absolutione talium introducta est, observetur, non est communicandum eidem ». Unde videbitur assertio s. Alphonsi e diametro opponi definitioni Innocentii III. in cit. capite.

Nec prodest allegatio lib. 6. n. 536., ubi s. Alphonsus refert sancita a Benedicto XIV. in Bulla *Inter praeteritos* 3. Dec. 1749. pro iubilaeo anni sancti. Nam ibi (n. 16.) solum declaratur (§. 65.) quod, *nomine partis laesae non intelligitur iudex, sed qui damnum est passus.* Hoc enim clarum est; sed non excludit id, quod habet Innocentius III.

Nec item prodest allegatio Salmanticensium (*de Cens.* cap. 2. n. 20.), qui non negant, satisfaciendum esse Ecclesiae, sed dicunt, quod « satisfactio partis, QUAE REQUIRITUR (scil. in iure aut clausulis) non debet fieri Ecclesiae aut iudici, sed ipsi, qui damnificatus est ». Tunc subdunt,

quod « ob contumaciam et inobedientiam satisfactum iam est Ecclesiae *se subiiciendo clavibus petendo absolutionem et iurando* de non amplius talem contumaciam habendo ».

Et forte hunc sensum voluit s. Alph. exprimere; sed ipsi contingit illud: *Brevis esse laboro, obscurus fio.*

178. Alter casus est, quando pars laesa reiicit *iustam* satisfactionem oblatam; quia (ait s. Alph. n. 128.) *tunc iam per se satisfacit* seu, ut clarius habent Salmantic. ab eodem allegati (*de Cens.* cap. 2. n. 20.), quia iam per ipsum non stat, quominus offenso condigne satisfaciat ».

Tertius demum casus est, quem etiam Auctor innuit, quando reus impotens est ad satisfaciendum; quia (inquit s. Alph. n. 128.) tunc iudex eum absolvere bene potest, imo tenetur et valet compelli ex cap. *Qua fronte* (vid. supr. n. 176.); quia, cessante contumacia, debet reus absolvi.

Hac de re Suarez (*de Cens.* disp. 7. sect. 5. n. 41.): « Censeo... iuxta negotii qualitatem et conditionem personae et alias occurrentes circumstantias considerandum esse, an poenitens possit moraliter prius cum effectu satisfacere, quam absolvatur a censura et tunc id praemittendum esse; si vere non possit, nec etiam absolutio differri possit, nisi per multum tempus vel cum magno detrimento, tunc censeo posse absolvi, si satisfaciat eo modo, quo de praesenti potest, idest praestando cautionem vel pignoratitiam, si potest, vel iuratoriam, si maiorem non potest (a) et exhibendo talia signa poenitentiae et propositi, ut Confessor *probabiliter* iudicet, absolutionem profuturam ipsi poenitenti et non impedituram seu futuram occasionem, quominus comparata potestate postea satisfaciat »... Ratio autem huius sententiae est, quia cum Pontifex ait, *satisfacta parte;* intelligendus est, *quantum poenitens satisfacere potest:* quia non est verisimile, Pontificem postulare conditionem impossibilem. Item quia saepe in Iure conceditur potestas absolvendi sub conditione simili et tamen semper intelligitur ilio modo, ut colligitur ex Clementina *Multorum* et Clem. *Nolentes, de Haereticis* et notat Navarrus cap. 27. nn. 47. 48.

Concludit ibid. paucis s. Alph.: « Reus tamen, qui non est solvendo nec in toto nec in parte, debet cautionem praestare, si potest; alias saltem iuramentum solvendi, cum poterit. ex c. *Odoardus, de Solution.* et c. *Ex parte* 23. *de Verb. Signific.* ».

(a) Diana autem tom. 5. tr. 2. resol. 186. distinctione utitur, inquiens: dicendum est igitur probabiliter, quod ille processus satisfactionis et cautionis pignoratitiae et iuratoriae, videtur intelligendus pro foro exteriori; nam in foro poenitentiali, deficiente possibilitate poenitentis, propositum eius firmum tantum valet, quantum datio pignorum vel fideiussorum in foro iudiciali. Ergo in foro conscientiae satis erit credere poenitenti ». Allegaverat Io. Valerum et Henriquez.

Duo addit s. Alph.: « 1° Hoc autem currit, si reus certe est debitor; nam si habet opinionem probabilem pro se, vel si sit dubius, cum melior sit conditio possidentis, non potest obligari, nisi, ad summum ad praestandum iuramentum solvendi, si de obligatione constiterit. 2° Quod si debitor statim solvere non posset, nisi cum magno damno aut incommodo, potest etiam praestita cautione, absolvi; nisi pars idem incommodum ex dilatione pateretur ». Sed haec, ut patet, pertinent ad communes doctrinas de iustitia et iure.

179. Veniamus ad 2^m^ punctum. Auctor quaestiones vitat, dicendo, absolutionem validam fore *modo potestas non delegetur cum conditione satisfactionis*. Nam si satisfactio partis iniungitur *tanquam conditio*, patet facultatem, delegatam cum conditione, non concedi nisi *conditione purificata;* ergo in casu absolutio non esset valida.

Sed quaestio est, an pari modo res se habeat, quando a Pontifice datur facultas absolvendi cum clausula, *Satisfacta parte;* nempe an ista clausula accipienda sit uti conditio *sine qua non* conceditur facultas absolvendi.

« Probabiliter negant (inquit s. Alph. n. 121.) Sanchez, Palaus, Bonac., Roncaglia et Salmantic., nisi exprimatur in concessione, nullam fore absolutionem hac conditione non impleta... Sed probabilius affirmant Suarez, Sporer Suppl. (idest Kilianus Katzenberger) etc. Ratio, quia praedicta clausula probabilius importat veram conditionem, ut in simili dictum est lib. 6. n. 1115 ».

Ad quae adverte, allegationem Sporer, seu potius Katzenberger, esse hanc: *Suppl. Theol. Sacram.* cap. 3. sect. 4. *de Gratiis Iubilaei* n. 214. Sed ipse ibi mere refert sententiam Vivae; nam alibi (*Suppl. de Censur.* n. 60. in fin. dicit, rem *dubiam esse*).

Ceterum quando s. Alph. dicit, *probabiliter negasse Sanchez* etc., tunc s. Doctor suum profert iudicium, nimirum *probabilem* esse sententiam Sanchezii etc.: quod habet et Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 101.

Nam alioqui Sanchez (*de Matr.* lib. 3. disp. 33. n. 6.) dicit eam doctrinam *probabilissimam,* Salmanticenses (*de Cens.* cap. 2. n. 25.) censent *probabiliorem*, aeque ac Bonacina (*de Cens.* disp. 11. q. 3. punct. 9. n. 3.).

Alii vero graves DD. eam absolute docent; e quibus satis sit nominare Reiffenstuel *Theol. Moral.* tract. 15. dist. 2. q. 5. §. 1. n. 107., Pirhing. in lib. 5. tit. 39. n. 163., et Hurtadum aliosque, e quibus aliquos memorat et s. Alphonsus lib. 6. n. 537. q. 7.

180. Quod attinet ad rationum momenta, s. Alph. lib. 6. n. 537. q. 7. nil aliud habet, nisi quod verba illa, *satisfacta parte,* indicent *conditionem*. Quod (lib. 7. n. 121.) ex eo confirmat, quod ubi adhi-

betur *ablativus absolutus*, plus aliquid innuitur, quam mera admonitio facta delegato idque (lib. 6. n. 1115.) evincere vult ex Benedicto XIV., qui (Inst. 87. n. 68.) contendit, apud iurisconsultos *ablativum absolutum* significare conditionem: quae quidem Bened. XIV. dicit de clausula, *certiorata parte* etc. ubi agitur de dispensatione ad convalidandum matrimonium. Concludit tamen (lib. 7. n. 121.) se non censere improbabilem sententiam oppositam, *saltem ob DD. auctoritatem.*

At postrema illa s. Doctoris verba, se non putare improbabilem aliam sententiam, *saltem ob auctoritatem DD., qui hic illud, satisfacta parte, non iuterpretantur pro conditione*, ea verba (inquam) indicare videntur non satis s. Alphonsum introspexisse in principium, quo heic DD. illi utuntur.

Distinguunt nimirum Doctores (vid. Sanchez *de Matrim.* lib. 3. disp. 34. n. 3.) utrum in commissione seu delegatione exprimatur forma iuris communis, *eo modo* quo iure inest, an vero formae communi iuris addatur *aliquis limitatus modus.* In priori casu statuunt, non esse intentionem committentis inducere novam formam seu conditionem; sed esse admonitionem quandam, ut servetur forma communis; quare, ea praetermissa, non irritatur actus, qui alias esset validus, si in commissione forma illa non exprimeretur. Secus in casu posteriori; nam additio illa importat conditionem. — Ita v. gr. (ait Sanchez l. c.) si dicat Pontifex: *Committo tibi, ut des beneficium Petro, si est idoneus*, est forma iuris communis, sed si addatur: *Si per solertem indaginem inveneris esse idoneum;* est conditio, quia est limitatus modus scientiae et ita nova forma.

Exinde Innocentius et Felinus apud Sanchez l. c. asserunt: « commissione facta iudici, ut condemnet Titium, si Petrus probaverit debitum, valere sententiam iudicis condemnantis, Petro non probante; quia est conditio, quae iure inerat »..... Et idem Innocentius cum Imola... ait: Si in delegatione dicatur: *Conferto beneficium Petro, si fuerit idoneus*, non esse conditionem; quia iure communi inerat nec nova idoneitas, iure communi non requisita, exprimitur et proinde actum contra gestum valere... Et ratio est, quia expressio eius, quod tacite inest, nil prorsus operatur ex cap. *Significasti, de Electione* ».

Et hoc quidem principium habetur in glossa ad Clement. unic. *de Officio Delegati*, ad v. *repererit:* « Sunt clausulae, quae sonant in monitionem, non in conditionem; puta *si persona sit idonea* et similia et istae non dant novam formam mandato, sed instruunt exsecutorem, quali personae provideat; quare teneret tum provisio facta indigno et excommunicatio propter hoc lata, licet sit iniusta: cum exsequutor in his iurisdictionem habeat. Sed sunt, quae bene sonant in conditionem;

ut si dicitur: Provideas P. in tali Ecclesia, si de tali vico sit oriundus; hoc enim sapit conditionem et formam certam adiicit mandato; unde si non est vera, non valeat provisio nec excommunicatio propter id lata, propter transgressionem mandati... ».

181. Quam doctrinam Didacus Covarruvias (In c. *Alma* p. 1. §. 9. n. 8.) sic *communem omnium sententiam* dicit: « Communi omnium sententia adnotatur minime inducere formam nec conditionem ea quae iure insunt, etiamsi ab homine expressa fuerint. Hoc enim verum est cum eo modo et in eum finem ab homine exprimuntur, quo et in quem iure tradita sunt ». Quae notat, ut evincat validam, licet iniustam esse excommunicationem latam a delegato, non praemissa trina monitione, etiamsi in mandato haberetur clausula: *trina monitione praemissa* (vid. ib. n. 7.).

Et ex praedicta glossa, quam *receptissimam* dicit, Navarrus concludit nimirum pro re nostra. Nam (*Man.* cap. 27. n. 37.) cum praemisisset, invalidam fore absolutionem, si delegatus non servet praescriptam formam, quae sit *alia quam iuris*, subdit: « Dixi, *alia quam iuris;* quia ut pridem respondimus, absolutio data virtute mandati Papae ad absolvendum secundum formam iuris, valet, quamvis ea non servetur, ut valeret facta sine illa ab Ordinario auctoritate ordinaria; quia non fuit intentio Papae inducere novam formam per illa verba (satisfacta parte) sed admonere commissarium id, quod secundum ius debet facere; quod in simili dixit Innocentius etc. ».

Eandem rationem breviter sic indicavit Reiffenstuel (tr. 15. dist. 2. n. 107.). « Actualis satisfactio non est ita necessaria, ut ea non praestita nulla sit absolutio... Est ratio, quia verba haec Bullae = *satisfacta parte* = non sunt strictius interpretanda, quam quae similia de eadem re habentur in iure cap. *Solet, de Sent. Excomm.* in 6° et c. *Ex parte, de Verb. Signific...* Praecipit ergo Summus Pontifex, quod servent Confessarii id, quod secundum ius commune est praestandum, cum relata in Bulla statuit verba non inducens ea ut formam, *neque ut conditionem sine qua non, sed tanquam modum, qui iam est in iure* ».

Laymann vero (*de Cens.* part. 2. cap. 6. n. 8.), non solum haec confirmat, sed casum innuit, quo *ablativus absolutus*, de quo s. Alphonsus post Benedictum XIV.. valorem conditionis habere queat. « In commissione seu delegatione expressio rei, quae iure communi inest, non inducit novam formam, seu *novam conditionem sine qua non*, sed solum admonetur commissarius seu delegatus, quid eum facere oporteat. Quare si requisita conditio *secundum ius ordinarium ad formam seu substantiam actus non pertineat*, tunc illicita quidem erit exsecutio

delegantis, non observata tali conditione, sed nihilominus valida. Ita autem in proposito res se habet. Nam spectato iure communi atque ordinario, ante absolutionem praemittenda est satisfactio aut cautio satisfaciendi parti laesae: si tamen iudex, non sine culpa, eam exigere praetermittat, valebit nihilominus absolutio. Ergo idem dicendum est, si quis ex delegata potestate absolvat, non exacta satisfactione: praesertim si delegatio facta fuit per modum gratiae, quae late interpretari debet, ut si in Bulla, Privilegio, aut Iubilaeo ».

182. Adverte igitur illud: *Si requisita conditio... ad formam seu substantiam actus non pertineat.* Nam de hoc casu disserit Benedictus XIV. a s. Alphonso allegatus, quaerens, quisnam valor sit *clausulae* illi s. Poenitentiariae in dispensationibus matrimonialibus: *certiorata parte* de nullitate prioris consensus. Et cum reiicit opinionem eorum, qui illa clausula contineri instructionem pro exsecutore contendunt, non vero conditionem (Instr. 87. n. 68.), non modo argumentum petit ex eo, quod *ablativus absolutus* secundum iurisconsultos dicat *conditionem*, sed (quod solidioris ponderis est) addit, rationem petitam ex essentia contractus matrimonialis: « Siquidem illud Poenitentiariae mandatum innititur iuri communi, quod pro matrimonio rite confirmando expostulat novum a coniugibus consensum et declarari impedimentum ignaro, ne idem consensus per errorem elicitus putetur, sive... ne permaneat primus consensus cum errore coniunctus, qui traditus fuit, cum matrimonium primo celebraretur ».

Et nostrum quidem non est tangere in praesens quaestionem a Benedicto XIV. heic agitatam (de qua cf. dicta in praeced. Tr. *ubi de revalidando consensu*). At palam est, eum censere, clausulam illam ad formam seu substantiam actus, contractus scilicet, in quo essentia matrimonii residet, spectare. Hinc non potest hinc argumentum desumi pro aliis clausulis, quae rei essentiam non attingunt.

Quod vero additur de *ablativo absoluto* indicante conditionem, pertinet prorsus ad illud argumentorum genus, quae *convenientiae* appellari solent et quae passim fallunt, nisi forte vera sint fortuito ratione materiae.

Idque inde etiam patet, quod cum eiusmodi formulae reperiantur in iure, nemo tamen ex *modo ablativi absoluti* concludit, eas vim habere conditionis, si res agatur per eum, qui pollet potestate *Ordinaria*, ut etiam Auctor notat.

Sanchez lib. 3. disp. 33. n. 6. ab obiectione *ablativi absoluti* se expedit dicendo, id verum esse, quando ea forma, posita in commissione, non est forma iuris communis, sed nova etc. (Vid. sup. n. 180.), quanquam non tam ad formam *ablativi absoluti* Sanchez spectat,

quam generatim ad quasvis formulas; ut patet ex argumento quaestionis, in qua non quidem *ablativus absolutus* recurrit, sed = *Dummodo sponsis praecipiat sub excommunicatione* etc. =; ablativus vero absolutus recurrat solum in alio exemplo (ibid.) de mandato coniungendi sponsos, *praemissis denuntiationibus.*

Obiectionem vero, quod delegans non censeatur dare facultatem absolvendi, non satisfacta parte, quia illicitum hoc est, ita solvit ex communi Schmalzgrueber lib. 5. tit. 39. n. 101.: « Neque inde fit, peccare delegantem concedendo facultatem absolvendi valide non satisfacta parte; nam sicut Ecclesia non peccat concedens Ordinario hanc potestatem, ita nec Ordinarius peccabit, si eo modo deleget illam, quo ipse habet; satis enim iuri tertii cautum est, dum absolutio huiusmodi prohibetur ».

183. Restat 1^{m} punctum, in quo dubium incessere posset, quis veniat in praesens nomine Ordinarii; quia DD. ad ea probanda, quae et Auctor habet, nempe validam sed illicitam esse absolutionem, non satisfacta parte, adducunt c. *Venerabilibus* §. *Sane* 3. *de Sent. Excomm.* in 6°, ubi sermo est de Archiepiscopo, qui absolvit ab excommunicatione subditum sui suffraganei ad illum ab hoc appellantem. « Ubi autem (inquit) Superiori competit de excommunicatione cognoscere, absolutio seu relaxatio, quam ipse fecerit, tenet, licet forsan (excommunicatio) sit iusta: quoniam etsi contra ius litigatoris non tamen contra ius constitutionis absolvit. ». Ibi ergo agitur de Superiore iudicante circa excommunicationem latam ab inferiore.

Praeterea ratio, cur, omissa satisfactione, *valide* quidem *Ordinarius*, *invalide* vero, ex multorum opinione, *Delegatus* absolvat, eadem illa sponte se offerre videtur, propter quam decernunt DD., in sua quemque Superiorem lege *valide*, etiam sine causa, dispensare, *invalide* vero dispensare inferiorem seu delegatum, si absque causa dispenset. Nomine ergo *Ordinarii* intelligi videretur ille, qui tulit sententiam, ac propterea eadem potestate, qua conditiones exigit, has potest negligere.

Veruntamen sensus DD. alius esse videtur, nempe Ordinarium intelligi, qui absolvendi casum, de quo sit quaestio, ordinariam habet potestatem, sive quia ipse de lege a se facta iudicat, sive quia iudicat de sententia Inferioris, sive demum quia iure ei competat potestas absolvendi a sententia Superioris, uti v. gr. Episcopus in papalibus occultis.

Ceterum ratio, cur illicita sit absolutio, non satisfacta parte seu non exacta partis satisfactione, sive demum haec ab Ordinario sive a Delegato concedatur et cur non modo illicita, sed graviter sit illicita, est, Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 101. « tum ob iniuriam parti factam,

tum quia violat iuris ordinem, praescribentis, realem satisfactionem praemitti, si fieri potest ».

184. Quae autem dicta hucusque sunt de necessitate exigendi in antecessum vel satisfactionem, vel cautionem aut pignoratitiam aut iuratoriam, valent praesertim pro foro exteriori. Nam quoad forum internum attendenda sunt sequentia Reiffenstuel verba lib. 5. tit. 39. n. 270.

« Quamvis Laymann lib. 1. tr. 5. part. 1. cap. 7. n. 8. recte notet, pro foro interno, spectata qualitate personae, sufficere etiam nudam promissionem vel fidei interpositionem censurati, si censura est occulta (cf. quae dedimus ex Diana sub. n. 178.) »; tamen etiam (ibid. n. 7), idem recte monet: « Regulares privilegiatos cavere debere, ne etiam pro solo foro interno absolvant aliquem, vi iuris communis aut sententiae generalis notorie censuratum v. gr. excommunicatum, vel cuius excommunicatio iam fuit deducta ad forum contentiosum, priusquam parti laesae actu satisfecerit; quia alias, si talis reus, saltem pro foro interno absolutus iam exsistit, ab Ecclesia non tam facile adigi valet ad satisfaciendum parti laesae: quod bene observare habent Confessarii Regulares; quamvis et in huiusmodi notorie excommunicatis circumstantiae suadere possint, ut ad solam praeviam cautionem vel promissionem absolutio pro foro interno prudenter dari queat ».

XL. 6. Dari potest absolutio sub conditione de futuro contingenti; cum sit actus iurisdictionis externae, qui conditionatus esse potest. Communiter tamen non expedit ita absolvi; si enim reus absolutionem meretur, non debet apponi conditio, si non meretur, non debet absolvi.

185. Duas habet partes haec Resolutio:

1ª Quod absolutio a censura dari valide possit sub conditione et ratio ab A. additur.

2ª Quod communiter id non expediat.

Nunc de 1ª parte.

Conditio potest esse de praesenti aut de praeterito aut de futuro. Si sit de praesenti vel de praeterito, quoad valorem actus nullam res habet difficultatem; quia talis conditio non suspendit actum vel effectum absolutionis; sed vel absolutio statim operatur, vel nulla redditur, prout scilicet conditio exstitit vel non (Suarez *de Cens.* disp. 7. sect. 8. n. 3.).

Neque semper est illicitum sub tali conditione absolvere; sed interdum necessarium vel utile id esse potest, ut quando de censura non constat et ad maiorem securitatem datur absolutio, prout fieri solet a Confessariis ante absolutionem sacramentalem sub illa conditione generali: *Absolvo te ab omni vinculo* etc... *in quantum indiges.*

Quando vero de existentia talis conditionis dubitatur, merito additur illa conditio, ut declaretur, rem esse dubiam et ne videatur res temere tentari. Aliquando etiam potest prudenter addi illa conditio: *Si satisfecisti,* vel *si vere et ex corde a contumacia recessisti;* nam haec etiam conditio, non secus ac praecedens = *in quantum indiges* =, implicite includitur in absolutione et propter rationabilem causam ad incutiendum metum, vel tollendam ignorantiam, potest aliquando verbis declarari (Suarez ibid. n. 4.).

At vero quando conditio est *omnino impertinens*, implicite scilicet nullatenus absolutioni insita est, imprudenter additur et non sine culpa, gravi quidem ex suo genere; quia est contra reverentiam rerum sacrarum et abusus quidem ecclesiasticae potestatis: tamen in particulari ratione materiae potest esse levis. (Suar. ibid.).

186. Quaestio potior est de absolutione cum conditione de futuro, v. gr. *absolvo te* etc., si *satisfacies*, si *orabis*, si *scandalum removebis*, si *restitues* etc.

Qua de re illud imprimis certum est, talem absolutionem eo tempore, quo fertur, non habere effectum et consequenter neque simpliciter absolutionem esse; quippe conditio tunc non est expleta: voluntas autem conditionata nihil operatur, donec conditio impleatur (Suarez *de Cens.* disp. 7. sect. 8. n. 5.), ubi addit, irritam esse etiam absolutionem cum conditione: si *Deus cognoscit, te satisfacturum* etc.

An vero valida sit, ratio dubitandi nonnullis DD. fuit, quia absolutio sacramentalis collata sub conditione de futuro, ex omnium sententia est irrita. Ergo et absolutio a censura, cum par videatur esse ratio.

Veruntamen communius censetur et quidem tanquam probabilius, eam esse validam. Ratio, quia nec naturali iure nec positivo irritatur hic absolvendi modus (ut ait Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 103.).

Insuper nemo negat, excommunicationem ferri posse sub conditione de futuro. Ergo et absolutio, imo a fortiori (inquit Suarez *de Cens.* disp. 7. sect. 8. n. 7.), quippe quae maiori favore digna est.

Praeterea (pergit ibid. Suarez) tum praeceptum, tum dispensatio in praecepto, tum alii effectus seu actus iurisdictionis ferri possunt sub tali conditione. Ergo etiam actus absolvendi; nulla enim sufficiens ratio specialis assignari potest, cur id magis absolutioni, quam aliis iurisdictionis actibus repugnet.

Accedit (ait Laymann lib. 1. tr. 5. part. 1. cap. 7. n. 1.), quod sicut valor cuiusvis liberae concessionis immediate pendet a voluntate concedentis, ita et valor absolutionis a voluntate absolventis; proinde, si is velit, ut concessio vel absolutio, hoc vel illo eveniente, rata sit, statim ita erit.

187. Dispar autem est ratio absolutionis a censura, ab indole absolutionis sacramentalis. Etenim absolutio sacramentalis non potest suspendi, quippe quae aut valet, quando profertur forma super debitam materiam, aut, sit tunc non fit, semper manet nulla: si vero fit, statim habet effectum, si in subiecto non est impedimentum (ut contingit, cum sacramentum est validum sed informe). Ratio autem, cur suspendi non possit effectus absolutionis sacramentalis ex ministri intentione, haec est, quod sacramentorum ministratio et effectus pendet a voluntate et institutione Christi, non vero a voluntate et intentione ministri, nisi quatenus haec actu concurrat cum exhibitione materiae et formae secundum Christi institutionem; imo intentio ministri nullatenus ad effectum, sed ad merum administrandi sacramenti actum porrigi potest. Contra vero absolutio a censura est sententia quaedam humana, iure positivo, non secus ac censura, introducta, et ipse eius effectus per se pendet a voluntate ipsius absolventis.

Potest ergo absolvens, adiecta conditione, effectum suspendere ita, ut sequatur conditione posita. Et tunc eiusmodi absolutio neque est omnino nulla a principio, neque rursus statim est efficax; sed est conditionata et suspensa, donec tempus conditionis adveniat (Suarez *de Cens.* disp. 7. sect. 8. n. 8. et Laym. lib. 1. tr. 5. p. 1. c. 7. n. 1.).

Neque obest reg. 50. Iuris in 6°: « Actus legitimi conditionem non recipiunt neque diem »: qua nonnulli permoti sunt ad negandam huius absolutionis validitatem.

Respondet Laymann l. c. « dictam regulam sumptam esse ex reg. 77. ff., ubi aperte declaratur, eam non esse universim de legitimis actibus intelligendam, sed de iis tantum, quibus ex propria natura vel institutione repugnet dies aut conditionis adiectio (v. gr. acceptilatio). Licet autem repugnet, censuram *proprie dictam* ferri ad certam diem vel tempus, v. gr. *excommunicatus esto ad triennium*, propterea quod censura non sit poena mere afflictiva, sed contumaciae coercitiva; non tamen repugnat censuram ferri sub hac ipsa conditione, ut duret, *donec in contumacia perseveratur* ». Et reipsa superius iam attulimus exempla tum *praecepti*, tum *dispensationis*, tum etiam *sententias* censurae, qui sane sunt actus *legitimi;* nec tamen quispiam negat, eos sub conditione ferri valide.

188. Quaeritur autem 2m an expediat ita absolvere. Porro s. Alphonsus n. 123. ad Auctoris Resolutionem brevissime addit: « Illicita de se est talis absolutio, quamvis ex aliqua causa cohonestari potest ». Quae specie tenus ac prima fronte videri possunt duriuscula; sed reipsa recidunt in communem sententiam.

Suarez aptius (*de Cens.* disp. 7. sect. 8. n. 10.) praemittit, senten-

tiae Navarri, qui absolute negavit id licere, praeferendam sententiam Ugolini, docentis hunc absolvendi modum esse licitum; quia nulla ratione probatur malus, praesertim si conditio adiecta ad rem pertinet, neque etiam speciali aliquo iure est prohibitus.

Proinde Suarez ibid. n. 11.: « Quocirca in rigore videtur verum, hunc modum absolvendi non esse per se malum nec iure prohibitum et ideo si prudenter observentur ciscumstantiae necessariae et probabilis necessitas vel utilitas occurrat, non erit peccatum id facere ». Ubi videtis per modum thesis statui id, quod s. Alph. ex obliquo velut exceptionem concedebat.

Ceterum pergit Suarez ibid.: « Tamen regulariter loquendo, existimo esse illicitum, praesertim propter usum Ecclesiae; quia neque in iure est usitatus hic modus absolutionis... neque etiam in usu Praelatorum... Ratio autem esse videtur; nam (ecce argumentum Busembaum) vel is, qui absolvitur, eo tempore, quo absolvitur, dignus est absolutione, vel non. Si est dignus, simpliciter absolvendus est et immerito additur conditio suspendens absolutionis effectum. Si vero non est dignus, non debet tunc absolvi sub conditione futurae satisfactionis vel dispositionis; tum quia ad officium iudicis spectat hanc examinare et cognoscere, tum etiam quia inde potest ligatus sumere occasionem differendi satisfactionem seu emendationem ac denique quia semper est convenientius, ut exhibita satisfactione vel correcta contumacia, peccator humiliter se praesentet Ecclesiae ad obtinendam absolutionem ».

Hae tamen rationes, ut patet, sunt argumenta potius cuiusdam convenientiae et exinde patet, cur Auctor dicere maluerit, id *non expedire*. Utique Laymann satis duxit dixisse (lib. 1. tr. 5. p. 1. cap. 7. n. 1. in fin.): « Haud consuetum est tali modo censuram decernere, ut praestita v. gr. satisfactione, per se ipsam exspiret; sed potius, ut a iudice per legitimam absolutionem auferatur, sicuti videre est in c. *Quamquam, de Censibus* in 6° »; ubi nempe decreta censura ipso facto incurrenda subditur: « Nec ab excommunicatione huiusmodi absolutionem vel interdicti relaxationem obtineant, donec exacta plenarie restituerint et de transgressione satisfecerint competenter ».

XLI. 7. Potest etiam dari absolutio ad reincidentiam, idest, pro certo actu et tempore, quo transacto reincidat; item sub certo onere, quo non impleto, censura reviviscat.

189. Tria habet Auctor: 1° Posse absolutionem dari ad reincidentiam;

2° Idque vel pro certo actu et tempore, quo transacto, reincidat;

3° Vel sub certo onere, quo non impleto, reviviscat.

Quod absolutio dari possit ad reincidentiam, ita scilicet ut qui absolvitur, vi illius sententiae eiusdem in eandem censuram recidat, nulla indiget probatione, cum et ab omnibus admittatur et usu receptissimum in Ecclesia sit. Ita v. gr. notissima lex est, ut qui in articulo mortis a simplici Confessario absolvitur a censura quapiam reservata, in eandem censuram reincidat, si postquam convaluerit, non se sistat, cum commode possit, Superiori aut eiusdem delegato.

Ratio porro introducendi hunc modum absolvendi (quem DD. contradistinguunt ab *absolutione simpliciter*, seu *data simpliciter*, quae scilicet censuram per se tollit, absolute et in perpetuum), « ratio (inquam) fuisse videtur, quia censura non suspenditur (ut aiunt Iuristae), idest, quandiu permanet, operatur suos effectus seu privat aliquibus actibus. Interdum autem expedit vel necessarium est, eum, qui censura ligatus est reddere habilem ad aliquem actum vel effectum aut eum absolvere pro aliquo tempore et non omnino, sed cum conditione reincidendi, si hoc vel illud non faciat intra illud tempus » (Suarez *de Cens.* disp. 7. sect. 8. n. 16.).

Absolutio itaque ad reincidentiam (prout indicat duplex membrum Resolutionis nostri Auctoris) duplex est, seu duobus modis fieri potest, altera potius *improprie* absolutio ad reincidentiam dicitur, altera vero magis *proprie* (Filliucci tract. 11. cap. 10. n. 514.).

Prior itaque est, quae ex intentione absolventis non conceditur ut perpetua, sed ad limitatum effectum vel tempus et ideo potiusquam absolutio ad reincidentiam, dici posset absolutio ad actum seu ad tempus.

Et haec quidem frequentius datur *ad cautelam:* ut cum quis absolvitur (etiamsi de eius censura non constet nec dubitetur), ut testimonium ferre libere possit (vid. c. *Veniens* in fin., *de Testibus*), aut dum quis absolvitur ad hunc solum effectum, ut beneficii collatio valeat, ut est in communi praxi Sedis Apostolicae (Suar. l. c. n. 17.).

Aliquando vero potest talis absolutio dari non ad cautelam, sed ex certa scientia praeexsistentis censurae, ut omnes DD. docent. Et ratio est clara; quia sicut potest esse vel necessitas sic absolvendi *ad Cautelam,* ita etiam absolvendi a censura cognita, nec contra rationem quidpiam in hoc erit, si iusta ex causa fiat, v. gr. si aliquis actus eius (a quo interdiceretur vi censurae) necessarius sit Ecclesiae propter bonum vel commune vel alicuius tertiae personae, v. gr. quod testimonium ferat in iudicio, aut etiam ex benignitate Ecclesiae seu Pastorum eius in commodum ipsius personae, quae sic absolvitur, ne grave aliquod damnum patiatur, si tali tempore sit excommunicatus vel incapax beneficii, aut dispensationis etc. Et si ex rationabili

causa licite interdum *simpliciter* absolvitur contumax, ut videbimus; a fortiori id dicendum de hac absolutione ad tempus vel ad actum, quae potest dici *secundum quid* (Suarez *de Cens.* disp. 7. sect. 8. nn. 17.-19.).

190. De hac absolutione Palaus *de Cens.* disp. 1. punct. 11. §. 2. n. 12.: « Ex vi huius absolutionis non absolveris a censura, sed absolveris ab aliquo illius effectu ».

Et Bonacina *de Cens.* disp. 1.q.3.p.3.n.17.: « Absolutio illa, quam Summus Pontifex impendit in collatione beneficiorum vel in concessione alicuius privilegii sub his verbis — *Ad hunc effectum dumtaxat* —, non est absoluta et perfecta, sed tantummodo datur ad hunc effectum, ut collatio beneficii et concessio privilegii teneat. Excommunicatus enim est incapax beneficii; consequenter indiget absolutione, ut illius fiat capax saltem per absolutionem ad reincidentiam: propterea obtento beneficio, nova indiget absolutione ».

Et Salmantic. *de Cens.* cap. 2. n. 3.: « Quando solum ad determinatum effectum datur absolutio, *manente censura quoad alios* (effectus) etc. ».

Alio modo datur absolutio ad reincidentiam, quando ex intentione absolventis non datur solum ad definitum tempus vel actum, sed etiam ut simpliciter valeat et perpetua sit, sub conditione tamen satisfaciendi vel aliquid faciendi intra certum tempus, quo transacto et non impleta conditione, iterum reincidatur in censuram.

Et haec est propriissima *absolutio ad reincidentiam* continetque simpliciter duo: Unum est ablatio censurae pro illo tempore simpliciter et absolute, aliud est ablatio censurae pro reliquo tempore, tamen sub conditione et ex hoc secundo capite habet, quod sit tantum ad reincidentiam, non impleta conditione (Suar. ibid. n. 22.).

Atque in hoc differt a priori absolutione, quod illa praecise tollit censuram pro tali tempore vel actu; quo consummato, independenter ab omni conditione vel actione ipsius personae sic absolutae, iterum censurae subditur. In hoc vero posteriori modo exspectatur conditio vel actio ipsius personae, cui absolutio data fuit et ab eius voluntate vel actione pendet, quod vel absolutio perpetuo duret vel censura redeat; nam si conditionem impleverit, non redibit: si vero non impleverit conditionem, iterum redibit censura (Suar. ibid.).

Huius reincidentiae exempla habemus in cap. *Eos qui*, *de Sent. Excomm.* in 6° hisce verbis: « Eos, qui a sententia canonis vel hominis (cum ad illum, a quo alias de iure fuerant absolvendi, nequeunt propter imminentis mortis periculum aut aliud impedimentum legitimum pro absolutionis beneficio habere recursum) ab alio absolvuntur, si

cessante postea periculo vel impedimento huiusmodi, se illi, a quo his cessantibus absolvi debebant, quam cito commode poterunt, contempserint praesentare, mandatum ipsius super illis, pro quibus excommunicati fuerant, humiliter recepturi et satisfacturi, prout iustitia suadebit: decernimus (ne sic censurae illudant ecclesiasticae) in eandem sententiam recidere ipso iure. Idem statuimus de his, quibus (cum a Sede Apostolica vel a Legatis ipsius, absolutionis beneficium a quibusvis sententiis consequuntur) iniungitur, ut Ordinariorum suorum, vel aliorum quorumlibet, suscepturi poenitentiam ab eisdem, se conspectui repraesentent, ut passis iniuriam seu his, quibus propter hoc obligati exsistunt, satisfactionem exhibeant competentem: si haec, cum primum commode poterunt, non curaverint adimplere ». Conf. et c. *Quod de his, de Sent. Excomm.*

191. Quaeritur ergo an requiratur nova culpa ad reincidendum in censuram.

Distinguendum est inter duos praedictos modos absolvendi. Nam si agatur de priori illa, quam (sup. n. 189.) *improprie absolutionem ad reincidentiam* vocari diximus; consentiunt omnes, nullam novam culpam requiri et Doctores uti solent comparatione hominis damnati ad exilium, cui facultas fiat v. gr. per triduum, in patriam revertendi; ut enim subiaceat, post exactum illud triduum, poenae exilii, nec nova culpa nec nova itidem sententia exigitur. Nam etsi effectus prioris sententiae interceptus ad tempus fuit, prior tamen illa sententia suam vim retinet et moraliter permanet, instar legis, quae non interit, etsi dispensatio ad diem aliquem cuipiam concedatur. Vid. Suar. *de Cens.* disp. 7. sect. 8. n. 21.

Si vero agatur de absolutione ad reincidentiam *proprie dicta,* duplex est sententia et una negat, ad reincidendum requiri novam culpam; pro qua (cf. et s. Alph. lib. 7. n. 125.) Salmanticens. *de Cens.* cap. 2. n. 5. allegant Suarezium, Bonacinam, Gasparem Hurtado, Filliuccium, Candidum: licet id de Candido disquis. 22. art. 57. dub. 4., et Bonacina *de Cens.* q. 3. p. 3. n. 16. falsum sit. Nam Candidus id affirmat dumtaxat de absolutione ad reincidentiam *improprie dicta:* Bonacina vero *quoad proprie dictam* expresse defendit affirmativam, uti *probabiliorem.* Insuper Suarez *de Cens.* disp. 7. sect. 8. n. 27. non absolute eam doctrinam tradit, sed mere ut *valde probabilem.*

Communior itaque et ex s. Alph. quoque probabilior est doctrina, quae affirmat, ut quis in censuram reincidat, novam aliquam culpam et contumaciam requiri. Rationem affert s. Alph. n. 125. post Salmant. *de Cens.* cap. 2. n. 5., quod prior censura non fuit suspensa, sed ablata; non potest igitur sine nova culpa renasci.

Clarius Laymann *de Cens.* part. 1. cap. 7. in fin.: « Si proprie loquendum est, censura illa, in quam quis recidit, non est eadem numero cum illa, quae per veram absolutionem prius ablata fuerat, quamvis similis et aequivalens, ut moraliter eadem iudicetur, sicut annotavit Sanch. lib. 2. *Moral.* c. 13. n. 28. Quamobrem novum etiam contumaciae peccatum requirit, novam item Iudicis aut Legislatoris sententiam latam sub conditione: *Nisi tale quid absolutus praestiterit, ad quod iure obligatur.* Quare si idipsum absque sua culpa intermiserit aut distulerit, re ipsa in excommunicationem non recidit, sicut docent Avila, Henriquez etc. ».

192. In huiusmodi igitur absolutione duplex sententia intercedit: prima est, qua censuratus absolvitur: altera, qua ipse censurae rursus subiicitur, conditionate tamen, si praescripta scilicet non servaverit intra praefinitum tempus. Porro haec secunda sententia (sive ab homine sit, sive a iure) non debet nec potest carere conditionibus necessariis omnino ad validam censurae sententiam, sive absoluta sententia sit sive conditionata. Ergo (vid. sup. n. 102.) exigit culpam aliquam et contumaciam. Neque vero haberi ratio potest contumaciae, ob quam primitus quis censuram incurrerat; nam haec supponitur deposita. quando dein absolutus est.

Hinc bene Palaus *de Cens.* disp. 1. punct. 11. §. 2. n. 10.: « Censura ex sua institutione habet esse poenam medicinalem Ecclesiae inobedienti. Ergo, nulla stante inobedientia *actuali*, non potest de novo infligi et inflicta auferenda est... At censura, sublata pro aliquo tempore, omnino aboletur. Ergo, ut postmodum renascatur, novam contumaciam et inobedientiam requirit; alias censura in puram punitionem peccati imponeretur ei qui a contumacia et inobedientia recessit » (quod censurae repugnat).

Et cum alia esse nequeat mens ferentis sententiam hanc conditionatam, quam quae exigitur ab ipsa censurae natura; dicendum est, hanc eius mentem ac intentionem esse, ut in censuram relabatur nemo, nisi qui culpabiliter et contumaciter praetermittat ea praestare, quae praestanda erant: secus foret irrationabilis.

Hinc merito Croix lib. 7. n. 158. post Krimer statuit, eiusmodi hominem, qui inculpate omittat praestanda, non reincidere in censuram, « quia (inquit) mens absolventis erat, *si possit;* alioquin conditio foret irrationabilis et sicut... impotentia excusat ab incursu censurae, ita et a reincidentia ».

Porro ne Suaerez quidem diffitetur, *de Cens.* disp. 7. sect. 8. n. 26., novam culpam requiri, si sententia adnexam habeat conditionem, *si possit,* aut *cum primum possit.* « Tunc (inquit) dubium non est, quin

reincidentia non contingat absque nova culpa; quia necessaria est nova contumacia. Nam ita (attende rationem) in tali absolutione virtute includitur praeceptum comparendi vel satisfaciendi etc. et donec illud violetur, nondum censetur impleta conditio necessaria ad reincidendum; sed haec conditio non impletur, quandiu impotentia durat, ut ex ipsa forma iuris constat. Ergo ». — Atqui vix intelligi potest, quomodo eiusmodi virtuale praeceptum abesse possit, quando 1° et absolutio supponit reum recessisse a contumacia non satisfaciendi et 2° sententia reincidentiae non alio spectat nisi ad praefixum iam antea censurae scopum obtinendum, nempe satisfactionem. Nonne enim censura est sanctio praecepti?

Hypothesis ergo, quam fingit Suarez ibid. n. 27., merae conditionis a quovis praecepto seiunctae, chimaerae similior, quam usui humano, videtur. — Quanquam (ut hoc etiam addamus) nonnulla addit idem Suarez, quae ad priorem absolutionis modum, scil. *pro aliquo tempore* (vid. sup. n. 189.) magis pertinent, quam ad *proprie* dictam absolutionem ad reincidentiam. Et sic nulla esset dissensio (a).

193. Quoad absolutionem *improprie* dictam scribit s. Alph. lib. 7. n. 125., censuram suspendi non posse, nisi auctoritate Romani Pontificis. Et Salmanticenses, e quibus id sumpsit s. Alphonsus, rationem reddunt (*de Cens.* cap. 2. n. 3.), quia non est in potestate inferioris efficere, ut censura quae permanet, non habeat suos effectus omnes, quos ex iure communi habere potest. Quae desumpta sunt ex Palao (*de Cens.* disp. 1. punct. 11. §. 2. n. 12.).

Verum oppositam sententiam habet Gaspar Hurtadus (*de Excomm.* disp. 14. difficult. 3. n. 9.), hanc facultatem tribuens cuicunque iudici, seu Superiori, *qui excommunicaverit;* « quia (inquit) modus iste suspendendi sententiam aut excommunicationem et absolvendi ab excommunicatione, nullibi est interdictus, sicut etiam sententia aut poena corporalis exsilii potest suspendi a quocumque, a quo potest omnino exstingui ». Cui rationi vis sua negari non posse videtur. Et sane si ille, qui excommunicavit, potest absolvere, cur non potest constituere,

---

(a) Post Const. *Apostolicae Sedis* non amplius habere locum ipso iure reincidentiam in censuram, censuit d'Annibale V. 1. n. 354. not. 19. quia dicta Const. nedum eam non recensuit, sed imo omisit, tunc cum de ea mentio facienda fuisset. Porro censuras omnes latae sententiae superioris aetatis, quae dicta Const. comprehensae non fuerunt, constat esse abrogatas.

Meminimus tamen iam in tr. *de Sacram. Poenit.* advertisse ad n. 665. in Nota (n. 6.), poenam hanc reincidentiae in censuram instauratam esse a C. s. O. contra eos, qui postquam in casibus urgentioribus a reservatis Papae absoluti fuerint ab inferiore, non recurrant intra mensem, saltem per epistolam, Romam. Non ergo ab usu excessit haec poena. Idem monuit cl. d'Annibale 3° vol. ult. edit. in fine. Cf. infr. declarationem dictae Constit. — E.

ut iste reus per aliquot dies sententia illa non gravetur, quae ab excommunicantis voluntate pendet?

Verum dissensio inde erit, quod Salmanticenses agunt de eo, qui maneat actu excommunicatus et nihilominus sit capax cuiuspiam actus, cuius excommunicatus per se incapax est, adeo ut habeatur derogatio iuris circa effectus excommunicationis; Hurtadus vero loquitur de ipsa excommunicatione ad aliquot dies sublata.

Ceterum aliis disputandum relinquemus, an et cur Episcopus, qui sane, postquam v. gr. presbyterum suspendit ab exercitio omnium Ordinum, potest concedere, ut diaconum agat in Missa sollemni, non tamen concedens, ut Missam celebret, an (inquam) et cur eodem modo non possit disponere, ut quispiam a se excommunicatus unum quid dumtaxat praestet, ex iis quae excommunicatis interdicuntur, in reliquis nihilominus ligatus ac sequestratus.

XLII. 8. Probabilius est, eum, qui habet potestatem absolvendi in foro conscientiae a censura, posse id facere etiam extra confessionem, ut contra Nav., Suar. et alios docet Sanchez l. 8. *de Matr.* d. 16. Con., Dian. etc.

194. Auctor, uti patet, tanquam *probabilius* docet, eum, qui habet potestatem absolvendi in foro conscientiae a censura, posse id facere etiam extra confessionem idque tenere se ait cum Sanchez, Coninck, Diana etc. contra *Navarrum*, *Suarez* et alios.

Et nos eandem doctrinam dicemus etiam plane *communiorem*. Nec quicquam habet in contrarium s. Alph. lib. 7. n. 126., qui imo addit allegationem Salmanticensium et Bartholomaei Ugolini; nisi quod quoad Episcopos absoluturos a casibus Papalibus remittit ad lib. 6. n. 593., ubi tenet, eos ob declarationem Gregorii XIII., non posse a casibus Papalibus occultis absolvere extra sacramentum Poenitentiae. At enim quoad hoc postremum iam nihil addendum est superius (a n. 160.) disputatis; ubi ostendimus cum communiori, Fagnanum (e quo s. Alph. haec mutuatus est) hallucinatum fuisse.

Mirum autem, quod Auctor dicat, haec doceri contra *Navarrum* et *Suarez;* quandoquidem Suarez eandem, ac Auctor, sententiam habet ac pro eadem allegat Navarrum cum Sanchez, qui ab Auctore adducitur velut Suarezio et Navarro contrarius.

Et sane Suarez (*de Vot.* lib. 6. cap. 16. n. 4.) ut probet, eum, qui habet facultatem dispensandi a voto *in foro conscientiae*, posse hanc dispensationem tribuere extra confessionem, petit argumentum ex absolutione a censura, circa quam allegat Navarrum. Ita ille: « Neque obstabit, quod dicatur *in foro conscientiae tantum;* quia forum conscientiae latius patet, quam forum poenitentiae sacramentalis et per illa verba solum excluditur, ne dispensatio valeat pro foro externo, sed

tantum ad conscientiae securitatem. Et ita docuit Navarrus in ordine ad absolutionem a censuris in Consil. 11. *de Privilegiis* et Emanuel Rodriguez lib. 1. *Quaest. Regul.* q. 61. art. 10. Est autem eadem ratio de commutatione votorum, ut per se constat et *optime* tractat Sancius (*de Matrim.* lib. 8. disp. 34.), ubi copiose has formulas exponit ».

Et reipsa ita habet Navarrus (*Cons.* lib. 5. *de Privileg. Cons.* 11. n. 2.): « Respondeo primo, quod verba illa « *absolvere quoad forum conscientiae tantum* » et illa « *dare potestatem absolvendi quoad forum conscientiae* », significant, quod absolutio data vel facta nihil prosit quoad forum exterius; in quo proinde iudicabitur de illo, ac si non esset absolutus, secundum rigorem iuris, « *iuxta omnium mentem* ».

« Secundo, quod Episcopus habens potestatem absolvendi ab excommunicatione ob haeresim incursa, poterit absolvere etiam extra confessionem sacramentalem: tum quia absolutio ab excommunicatione non est absolutio sacramentalis, secundum omnes: tum quia stylus Officii s. Poenitentiariae habet, ut aliqui eorum, qui intersunt ei, absolvant praesentes a censuris extra confessionem per facultatem eis alias quam per litteras seu bullas solitas dicti Officii factam a Summo Poenitentiario et suis officialibus ad absolvendum eos in foro conscientiae; tum quia etc. ».

Bonacina sic confirmat *de Cens.* disp. 1. q. 3. p. 6. n. 8.: « Aliud est forum conscientiae, aliud forum sacramenti poenitentiae, ut patet in parocho, cui potest concedi facultas absolvendi in foro conscientiae suos subditos a censuris, quamvis nondum sit initiatus Ordine sacerdotali, nec possit confessiones audire et sacramentaliter absolvere. Ergo etc.

S. Alph. vero lib. 7. n. 70. ut probet, absolutionem dari posse etiam extra confessionem, rationem affert, « quia (inquit) decreta Pontificum praecipue forum externum spectare solent et cum favores principis ampliari debeant, non est, cur tantum ad forum internum restringantur ».

Sed sic perperam confunditur absolutio extra sacramentum cum absolutione pro *foro externo;* quae duo diversissima sunt. Rationes ergo illae omittendae sunt; quia reipsa faciunt pro *foro externo*, ut eas adhibuit Suarez sup. n. 214.

195. Sed quaestio est, an idem statuendum sit, si data sit facultas absolvendi *in foro poenitentiae.*

Bene de hoc argumento Bonacina l. c.: « Addo, Confessarium habentem facultatem absolvendi *in foro poenitentiae*, posse absolvere extra sacramentalem confessionem, quoties absolutio cadit supra materiam, ad quam per se non requiritur absolutio sacramentalis, nisi aliter colligatur ex verbis concessionis. Ita Tabiena (v. *Absolutio* II. n. 7.) et alii, quos citat et sequitur Suarez contra Rodriquez et Sanchez etc.

Et reipsa hoc etiam tenet ille Suarez, qui allegabatur uti negans talem facultatem sub latiori clausula: *in foro conscientiae tantum.* Ita ille *de Leg.* lib. 8. cap. 6. n. 16.: « Infero tertio, quando privilegium conceditur *in foro poenitentiae,* per illa verba significari, non extendi ad forum contentiosum et externum, sed ad forum conscientiae limitari; quia *est communis usus et sensus illorum verborum.* Significatur etiam, tale privilegium dari ad tollendum aliquod malum, aut vinculum apud Deum, ut ex dictis patet. An vero illud vinculum per tale privilegium sit tollendum in ipso sacramento poenitentiae nec ne, per illa verba non explicatur, sed iuxta qualitatem vinculi explicandum est. Nam si fuerit vinculum culpae, forum sacramenti requirit: si autem fuerit vinculum poenae aut censurae, sine sacramento tolli poterit, imponendo salutarem poenitentiam, quod est exercere aliquod poenitentiale iudicium. Unde si indultum dicat, *In foro conscientiae iniuncta poenitentia salutari* (sicut loquitur Conc. Tridentinum sess. 24. c. 6. *de Reform.*), perinde est, ac si diceretur, in *foro poenitentiae* vel *poenitentiali.* Quapropter censeo, usum privilegii non esse limitandum ad sacramentum poenitentiae, nisi ubi vel absolutio sacramentalis per se fuerit necessaria, ut in privilegio obtinendi absolutionem a reservatis, vel ubi verba indulti id manifeste explicaverint ».

196. Rodriguez *Quaest. Regular.* tom. 1. q. 61. art. 10. dissentire videtur, dum scribit: « Quod conceditur *in foro conscientiae* tantum, potest fieri a sacerdotibus et non sacerdotibus, ut absolutio ab excommunicatione vel censura... et sic potest fieri extra sacramentum. Id vero, quod conceditur in foro poenitentiae, solis sacerdotibus confessoribus conceditur et sic non potest fieri extra sacramentum, prout tradunt Silvester v. *Absolutio* I. n. 3. et Navarrus *Man.* cap. 27. n. 41. »

Atqui vel Rodriguez non intellexit Navarrum nec Silvestrum et sic corruit fundamentum obiectionis, vel voluit istorum sententiam exhibere, et sic nulla est obiectio; quia sermo esset de absolutione non modo a censuris, sed etiam a peccatis, quae certe non fit extra sacramentum.

Sic ergo Navarrus l. c.: « Si qui excomunicavit, non est sacerdos, non potest absolvere in foro conscientiae, quanquam potest in exteriori, secundum aliquos, quos Silvester secutus est (v. *Absolutio* I. not. 3.), quod restringendum est ad absolutionem *coniunctam cum peccatorum absolutione;* nam ab excommunicatione sola potest absolvere etiam quoad conscientiae forum etiam sola prima tonsura initiatus ».

Silvester vero (l. c.) inter casus, in quibus fallit regula, quod absolvere possit ab excommunicatione, qui potuit ligare et ligavit, haec

habet: « Quintus est in illo, qui excommunicavit, nec tamen est sacerdos: quia licet absolvere possit absolutione iudiciali sive fori contentiosi, non tamen *absolutione sacramentali* sive *poenitentiae:* sed indicere debet absoluto (scil. a censura), ut se presentet sacerdoti, qui ratione clavis illum absolvat... ». Ergo.

197. An vero idem valet, si facultas committatur 1° *sacerdoti*, aut 2° *sacerdoti confessori*, aut 3° *audienti confessiones?*

Placet de hisce referre doctrinam Suarez, qui alioquin, ut diximus, censebatur exigere *semper* sacramentalem quoque absolutionem.

Sic itaque de prima hypothesi *de Leg.* lib. 8. cap. 6. n. 16.: « Neque satis erit, quod exsecutio indulti committatur *Sacerdoti;* quia tunc licet requiratur talis conditio in persona et quoad illam servanda sit forma indulti, non tamen ideo requiritur, quod ministret actu tale sacramentum (argum. cap. *Canonica, de Sent. Excomm.* in fin. ibi: *Qui presbyter esse debet* cum Glossa ibi) et est per se manifestum ».

De secunda autem hypothesi, scil. commissionis factae *Sacerdoti confessori*, sic pergit (ibid.) Suarez: « Imo neque satis erit, quod indultum dicat, *Sacerdoti confessori;* quia illud etiam est nomen officii et muneris, non actualis exercitii et ita ex vi illorum verborum requiritur, ut persona sit approbata, ita ut eligi possit in confessorem, non vero ut actu audiat confessionem ».

De tertia hypothesi commissionis factae *iis, qui audiant confessiones,* haec Suarez ibid., occasione concessionis factae *Minoribus* a Leone X.: « Sicut in illo privilegio Leonis X., quod supra refert Emmanuel ex supplement. concess. 174., quo concessit Minoribus, *qui audiunt confessiones*, ut possint absolvere a censura in foro conscientiae sine forma sollemni absolutionis ab excommunicatione: verbum illud, *Qui audiunt*, non dicit actum, sed aptitudinem, idest, qui audire solent vel ad hoc munus expositi sunt; et ita uti possunt illo privilegio etiam extra sacramentum confessionis ».

Et bene concludit (ibid.) Suarez: « Ut ergo privilegium limitetur ad sacramentum confessionis, quando illud materia per se non postulat, necesse est, ut expressis verbis et formalibus in eo exprimatur: quae autem verba sufficiant in singulis Bullis vel indultis, prudenti consideratione ex vi verborum, cum antecedentibus et subsequentibus iudicandum est ».

198. Quid vero, si detur facultas absolvendi, AUDITA CONFESSIONE?

Hanc quaestionem tangit Sanchez et quidem hanc *unam* eodem illo loco, quem Auctor noster allegat, nempe *de Matrim.* lib. 8. disp. 16. n. 11. Occasionem autem capit ex Bulla Pauli III., in qua haec leguntur: « Nec non illis ex vobis, qui presbyteri fuerint, quorumcumque utrius-

que sexus Christi fidelium ad vos undecumque accedentium, confessiones audiendi *et confessionibus diligenter auditis,* ipsos et eorum singulos ab omnibus et singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus et delictis, quantumcunque gravibus et enormibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis, et a quibusvis ex ipsis casibus resultantibus sententiis, censuris et poenis Ecclesiasticis (exceptis contentis in Bulla, quae in die Coenae Domini solita est legi) absolvendi ac eis pro commissis poenitentiam salutarem iniungendi nec non vota per eos... (exceptis...) in alia pietatis opera commutandi... facultatem concedimus... »

Quaerit porro Sanchez, an Religiosi facultate commutandi vota uti possint solum *in sacramento confessionis*, nempe propter illam clausulam, *confessionibus diligenter auditis ;* qui ablativus absolutus conditionem importat.

Allatis autem rationibus pro sententia, quae talem conditionem servandam exigit, subdit: « At contrarium est probabilius. Quia cum adeo distent inter se absolvere a peccatis ac vota commutare, nec hoc confessione indigeat, non censendus est Pontifex velle totum privilegium limitate intelligi per illum ablativum absolutum, *Auditis Confessionibus ;* sed singula singulis referenda sunt. Et ita refertur ad absolutionem a peccatis quae immediate sequitur. Nam (utique) ea est regula, ut clausula posita in una parte dispositionis, sive ponatur in principio, sive in medio, sive in fine, censeatur referri ad omnia in ea clausula contenta... At intelligitur, quando omnino eadem est ratio (ut multis citatis tradit Menochius *de Praesumpt.* lib. 4. *praes.* 181. n. 2.); quod hic non contingit. Nam absolutio a peccatis petit necessario confessionem sacramentalem; secus de votorum commutatione. Tandem quia in privilegio dispensandi concesso Religiosis relato n. 1. (est Gregorii XIII.), nulla fit mentio confessionis; quia non est datum simul cum potestate absolvendi. Quod indicat, quando simul cum absolvendi potestate conceditur, ut petatur audiri confessiones, non ad dispensandum in votis aut ad ea commutanda, sed ad peccatorum absolutionem. Et ita hanc sententiam sustinet Henriquez lib. 7. *de Indulgent.* cap. 13. n. 6., et eiusdem sententiae sunt multi docti neoterici, qui hac ratione ducti concedebant, per Bullas antiquas indulgentes auditis confessionibus absolutionem a peccatis et censuris, posse extra confessionem impendi absolutionem a censuris; quod is ablativus absolutus, *Auditis confessionibus*, referatur ad absolutionem a peccatis, ad quam opus est confessione ».

199. Cum Sanchez aliisque ab eo allegatis, consentit Emmanuel Rodriguez *Quaest. Regular.* tom. 1. q. 61. art. 7. Etenim ad quaestionem: « Utrum extra sacramentum Poenitentiae virtute praedicto-

rum privilegiorum possint Confessores absolvere *a censuris* poenitentes »: sic habet: « Respondeo dicendo, Confessores virtute Bullae Cruciatae et virtute dictorum privilegiorum Apostolicorum posse absolvere poenitentes a censuris extra sacramentum Poenitentiae. Hanc opinionem, sequendo Victoriam, Pennam et Medinam et alios multos, tenet Henriquez lib. 7. *de Indulg.* cap. 13. litt. T.), affirmans, Commissarium generalem Cruciatae hoc ius declarasse. Nec obstant verba Privilegiorum, quae supra allegavimus, *Auditis eorum confessionibus:* ex quibus colligi videtur, quod non possunt Confessores virtute eorum absolvere poenitentes a censuris, nisi *auditis eorum confessionibus.* Nam respondetur, quod ibi concedunt Summi Pontifices absolutionem a peccatis et absolutionem a censuris, ita quod absolutio a peccatis non possit dari, nisi auditis eorum confessionibus, absolutio autem a censuris extra possit conferri. Verba enim illa secundum terminos iuridicos debent intelligi; at iure disponitur, absolutionem a peccatis in sacramento Poenitentiae indulgendam, absolutionem vero a censuris extra sacramentum posse condonari, prout tenent Armilla (V. *Excommunicatio* §. 20.) et Ledesma cum communi. Ita praedicta verba interpretatur Soto in 4. dist. 18. q. 12. art. 5. col. 9. pag. 877.

Praedicta omnia complectitur Gaspar Hurtado *de Excomm.* disp. 15. diff. 5. nn. 17.-18.: « Avila 2. p. c. 7. disp. 3. dub. 3. et Aegidius dub. 16. docent, ex vi huius privilegii (scil. Bullae Cruciatae) posse excommunicatum absolvi extra confessionem et merito; quia absolutio ab excommunicatione non pendet a Sacramento Poenitentiae et absque fundamento et necessitate ei alligatur; quia non cogit ad hoc, quod facultas absolvendi ab excommunicatione concedatur in ordine ad absolutionem a peccatis, ut conceditur in Bulla Cruciatae; quia potest quis esse contentus sola absolutione ab excommunicatione et nolle gaudere privilegio in totum et quoad principalius, nec quod absolutio ab excommunicatione remittatur *Sacerdoti approbato*, ut in eadem Bulla remittitur, quia ei et non idiotae, vult Pontifex eam absolutionem remittere: praesertim cum eam remittat in ordine ad absolutionem a peccatis. Nec coget ad id, ut praedicti docent, quamvis in privilegio addatur, *peccatis in confessione auditis,* seu *confessione audita;* quia id additur pro absolutione a peccatis, quae principaliter a privilegio intenditur et quamvis addatur, *pro foro tantum conscientiae et poenitentiali;* quia quamvis absolutio ab excommunicatione fiat extra confessionem, potest tantum valere pro foro conscientiae, relinquendo iudici potestatem tractandi excommunicatum ut talem et puniendi peccatum, ob quod fuit excommunicatio incursa ».

200. Brevius haec eadem Aegidius Coninck, ab Hurtado allegatus, dum respondet argumentis negantium, absolutionem dari posse extra

Sacramentum. Sic ergo ille (disp. 14. *de Excommunic.* dub. 16. n. 252.): « Ad primum... respondetur, longe aliud esse, hanc potestatem solum dari pro solo *foro coscientiae* (quia hoc nihil aliud significat, quam eam non valere pro foro externo), aliud vero eam non posse exerceri nisi in foro sacramentali: nulla enim est inter haec consequentia. Ad 2^{m} respondetur, ex eo quod facultas haec saepe detur ut reus possit absolvi a peccatis, non sequi, utramque absolutionem simul aut ab eodem debere dari. Similiter ex eo quod dicitur, hanc absolutionem debere fieri a Confessario approbato, non sequitur, quod debeat fieri in confessione sacramentali; sed solum cavetur, ne alia persona, quae forte esset inepta, deligatur. Item quod quandoque in Bulla additur, *Audita confessione*, respective est intelligendum, respectu potestatis absolvendi ab omnibus peccatis, quae simul cum alia facultate solet concedi ».

Ita et Felix Potestas *Exam. Confess.* n. 3460. : « Praemissae particulae: *Auditis eorum confessionibus*, intelligendae sunt secundum iuris dispositionem, videlicet ut absolutio a peccatis fiat in sacramentali confessione, a censuris vero fieri possit extra illam ».

Ceterum occasionem utendi hac doctrina exponit idem Coninck l. c. n. 251., scilicet « ut si reus non sit paratus, ut statim confiteatur et adsint causae, ob quas expediat eum statim absolvi; idemque dici posset, quando ei, qui habet potestatem absolvendi a censuris reservatis, non vacaret audire integram confessionem, tunc enim posset audire solos casus, qui habent adnexam excommunicationem et tunc ab hac absolvere et poenitentem remittere ad alium, qui audita confessione absolveret a peccatis. Ita cum aliis Avila 2. part. cap. 7. disp. 3. dub. 13. »

I. *De absolutione ad cautelam.*

201. Diversis modis absolvendi a censura, nempe aut *absolute*, aut *conditionate*, aut *ad reincidentiam*, de quibus superius dictum est, addi solet quartus absolvendi modus, qui vocatur *ad cautelam:* quia nempe per eum cavetur damnum, quod a censura ignota tum censurato tum aliis provenire poterat et ideo frequenter praemittitur tum absolutioni sacramentali ob sacramenti reverentiam, tum Ordinum receptioni, tum Beneficiorum aliorumve privilegiorum collationi ad vitandam eorum invaliditatem: exempla habes in cap. *Super eo* et seq. *de Sent. Excomm.*

Porro « hic modus absolvendi praesupponit, censuratum vel ignarum esse suae censurae, vel certe suspicionem solummodo illius habere, non autem certitudinem ». Schmalzgr. lib. 5. tit. 49. n. 104.

« In foro conscientiae concedenda est solo testimonio absolvendi, facta promissione, quod satisfacere velit, si constiterit de censura. In foro autem externo distinguendum est. Nam si generatim solum petitur absolutio a censura, ita ut nullius in particulari suspicio adsit, absolutio conceditur, nulla causae praemissa cognitione, vel cautione data ».

« At si specialis alicuius censurae absolutio petitur, absolvendus probare debet saltem semiplene, se illa censura ligatum non esse, vel quia continet errorem, vel quia lata fuit post appellationem legitime interpositam. — Insuper citandus est is, ad cuius instantiam lata est, vel iudex, qui eam tulit, si ex officio processit. Qui si opponant manifestam contumaciam, concedendus est iis terminus octo dierum, ut id probent et interim ab absolutione supersedetur. Quod si in probatione defecerint, condemnandi sunt ad expensas factas et censuratus erit absolvendus. Secus vero, si intentum probaverint ». Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 104.

« Absolutio haec ad cautelam praestari potest ab eo, qui potest ab ea censura absolute absolvere. An vero potestas haec competat cuilibet iudici delegato, non consentiunt DD. Covar. et Sayr. apud Palao distinguunt et negant de iudicibus delegatis ad cognoscendas causas in curia romana (excepto casu referendi testimonium), nisi specialiter ea potestas commissa fuerit; contra de iudicibus delegatis ad causas cognoscendas extra curiam, concedunt et hoc per potestatem ex usu acceptam ». Schmalzgr. l. c.

II. *Quae absolutio pro foro externo valeat.*

202. Diximus alibi (sup. n. 138.) non esse heic quaestionem de iis, qui habent iurisdictionem etiam in foro externo. Quod tamen intelligendum est, posse nempe pro utroque foro absolvere, quoad causas quae ex toto potestati illorum sunt permissae, sive quia agitur de censuris a se aut ab inferiore latis, sive quia, si a Superiore sunt latae, hic tamen nullatenus sibi eas reservavit. Nam potest alioquin contingere, ut Praelato inferiori, qui de cetero habet iurisdictionem etiam in foro externo, facultas circa Superioris sententias concedatur solum quoad forum conscientiae, ut v. gr. Episcopis circa casus occultos papales concessum fuit a Synodo Tridentina, ut possent absolvere *pro foro conscientiae tantum:* et ideo vi huius facultatis non absolvunt etiam pro exteriori foro (vid. sup. n. 161.).

Insuper cum Suarez sup. n. 138. et aliis, quos allegat et sequitur s. Alphonsus lib. 7. n. 70., diximus, absolutionem valere pro foro

quoque externo, licet absolutio detur ab iis, qui in foro externo iurisdictionem non habent, dummodo semo sit de censuris, quas superior sibi non reservavit et cum eodem Suarezio n. 139. addidimus, quomodo gerere se ille debeat, qui hoc pacto absolutus sit et alioquin censura sit publica.

203. Quaestio igitur superest tantummodo de censuris reservatis, quando ab iis absolvat quispiam ipso reservante inferior; sive demum eiusmodi potestas quibusdam officiis sit adnexa, uti facultas Episcoporum ex cap. *Liceat* 6. sess. 24. Trid., quae quodammodo ordinaria evadit, sive ita quibusdam committatur, ut mere delegata censeatur.

Quae quidem delegatio vel est particularis, facta nempe alicui personae determinatae et interdum in ordine ad certam causam. Interdum vero est generalis, quae v. gr. fit omnibus Episcopis, aut omnibus confessariis aut certo confessariorum Ordini idque vel ad certum tempus ob publicam aliquam causam, sicuti fieri solet in Iubilaeo, Bulla Cruciatae etc., vel per modum privilegii perpetui, quale erat privilegium Religiosis mendicantibus concessum absolvendi a quibuscunque censuris *iuris*, iis exceptis quae in Bulla Coenae continentur. Laym. lib. 1. tr. 5. p. 1. c. 7. n. 5.

Quaeritur itaque an absolutio, vi delegatae huiusmodi facultatis impertita, valeat in foro conscientiae tantum, an vero valeat in utroque foro tam interno, quam externo.

Quae quidem dubitatio potest intelligi tam de censura lata per canonem, quam lata ab homine et per sententiam particularem, quando in Bulla datur potestas ab ea absolvendi.

Quaestioni bene respondet Coninck disp. 14. n. 246.: « Hac in re certum est, quando in privilegio expresse datur facultas absolvendi pro utroque foro, absolutionem pro utroque foro valere et contra eam valere solum pro foro conscientiae, quando facultas ad hoc restringitur ».

Et quidem, ut observat Suarez *de Cens.* disp. 7. sect. 5. n. 22. id procedit non solum quando restrictio illa, *pro foro conscientiae,* expresse additur; sed etiam quando ex materia subiecta et ex modo concessionis, « vel ex antecedentibus et consequentibus sufficienter colligi potest, hanc esse mentem concedentis; quia ex illa pendet tota facultas ».

Apposite Laymann lib. 1. tr. 5. part. 1. cap. 1. n. 6.: « Interdum ex circumstantiis et materia subiecta coniectura capi potest, non fuisse mentem Pontificis delegare potestatem absolvendi a censuris cum praeiudicio fori externi, sed tantum in favorem animae; puta, cum, in

Bullis Iubilaei aut Cruciatae datur potestas confessariis absolvendi ab omnibus peccatis et censuris, intelligi debet in ordine ad forum conscientiae tantum, sicut docent Covarruv..., Guttierez..., Avila..., Suarez etc. Nam sicuti virtute Bullae absolutus a peccatis enormibus, nihilominus in foro exteriori accusari et puniri potest, sicut docet Glossa in c. *De his, de Accusat.* etc., ita etiam si quis virtute Bullae a censura absolutus est, tale beneficium ad forum contentiosum non porrigitur. Quia forum conscientiae et forum externum iudicii valde distincta sunt; siquidem in illo praecipue spectatur animae salus et divinae offensae compensatio: in hoc vero ad publicam etiam vindictam et reipublicae satisfactionem attendi debet ».

204. Difficultas ergo est, quando facultas datur absolute sine ulla additione. Qua de re duplex est sententia:

Prima tenet (Laymann l. c.), quod si in Bulla nihil exprimatur, sed absolute concedatur facultas absolvendi a censuris, in dubio accipi debet de utroque foro; quia gratia sive beneficium principis latissime interpretandum est ex l. *Beneficium* ff. *de Constit. Principum;* nisi (inquit Suarez l. c. n. 21.) ex subiecta materia vel aliis circumstantiis constet, aliam fuisse mentem concedentis.

Accedit, quod « declaravit (pergit Suarez) Pius V. in Iubilaeo concesso anno 1586., tales concessiones, vel eo usque datas, vel in futurum dandas, non suffragari in foro exteriori nisi satisfacta parte; cum hac enim conditione supponit, etiam ad illum forum extendi ».

« Secunda opinio (inquit Coninck disp. 14. n. 246.) negat valere in foro externo; quia cum talis concessio sit odiosa et contra rigorem iuris ac iurisdictionem Ordinariorum, quam imminuit atque aliqua ratione turbat, non videtur ullo modo concedi per verba generalia, nisi speciatim exprimatur secundum regulam 81. iuris in 6°. Ita Avila cum aliis, qui ad Bullam Pii V. respondet, Pontificem in ea nihil aliud velle quam quando parti satisfactum est, talem absolutionem ad hoc valere in foro externo, ut ita absolutus durante iubilaeo non possit a iudice impediri a susceptione sacramentorum aliisque, quae necessaria sunt ad lucrandum iubilaeum, sicut posset impediri, si parti non satisfecisset etc. ».

Ipse tamen Coninck ibid. nn. 247.-249. concedit, has sententias posse conciliari. Ita autem conciliat, ut neget valere absolutionem pro foro externo, quando aut non satisfactum est parti, aut haec negat sibi satisfactum esse, nec consentit in absolutionem, aut si crimen sit generali hominum statui iniuriosum, v. gr. haeresis aut clerici percussio. In aliis vero casibus valere absolutionem pro foro quoque externo, ut vult prior sententia; quae reipsa videtur communior.

205. Quoad privilegia Regularium, bene notat Potestas *Exam. Confess.* n. 3465. Regulares *vi privilegiorum suorum* non ita posse absolvere, ut absolutio valeat pro *foro fori,* idest exteriori. Dixi, *si suorum privilegiorum;* nam si agatur de facultate aliunde proveniente, v. gr. e Bulla pro aliquo iubilaeo etc., ex inspecta concessionis forma erit res iudicanda.

Omissis autem aliis argumentis, quibus Potestas utitur (et transcribit s. Alph. lib. 7. n. 97.), utpote incerti roboris, satis res evincitur ex Constitut. *Superna* Clementis X., in qua (§. 6.) statuitur: « Vigore supradictorum privilegiorum nequaquam licere Regularibus, etiam satisfacta parte, absolvere poenitentes a censuris quoad externum et iudiciale forum et absolutos ab eis in foro poenitentiali utique non censeri absolutos in exteriori iudicio et contentioso. Quinimo censuris ecclesiasticis irretitos et denunciatos ab Episcopis cogi posse, gerere se pro talibus etiamsi a Regularibus fuerint absoluti ».

Praeterea idem Potestas (n. 3406.) refert, quod Urbanus VIII. in Bulla *In specula militantis Ecclesiae* declaravit, Privilegium Bullae Cruciatae quoad electionem Confessarii, quo gaudent laici et clerici seculares, ut ab eo absolvantur ab omnibus casibus reservatis etiam Papae, etiam in Coena Domini (haeresi excepta), *in foro tantum conscientiae non in foro externo* valere etc. Quae tamen declaratio extendi non debet ad alia Indulta, sed singulorum inspiciendae erunt formulae.

206. An vero et quatenus absolutio a censuris, in foro conscientiae data, pro foro externo prodesse queat, sic explicat Laymann lib. 1. tr. 5. part. 1. cap. 7. n. 7.: « Qui in foro conscientiae per Bullam, Iubilaeum aut privilegium ab excommunicatione v. gr. absolutus fuit; is in facie Ecclesiae, si excommunicatio eius notoria fuit, perinde a sacris et aliis rebus, quae excommunicato interdicuntur, abstinere debet, ac si absolutus non esset, quandiu de legitima eius absolutione publice non constat. Quare si interea publice celebrare praesumat, ab Ecclesiastico iudice perinde ac irregularis puniri poterit. Quamvis, si velit iudex, eiusmodi absolutionem in foro conscientiae datam, etiam pro foro externo acceptare possit atque accusationem fiscalis, quod reus in excommunicatione celebrarit, repellere... Et haec eadem locum habere etiam in dispensationibus concessis pro foro conscientiae tantum, monet Navarrus *Consil.* lib. 2. *de Iudic.* n. 7. ».

« Si vero excommunicationis v. g. censura occulta fuit, tunc non prohibetur, qui ab ea in foro conscientiae absolutus est, etiam publice celebrare. Quod si accidat, eius excommunicationem postea innotescere et causam ad forum externum deferri, puniri quidem propter crimen,

cuius causa censuram incurrerat atque ei imperari satisfactio potest: sed nequaquam tanquam irregularis propter celebrationem condemnari debet, dummodo de absolutione fidem facere possit per Confessarii testimonium vel testes (Navarr. *Consil.* lib. 2. *cons.* 3. *de Fid. Instrum.*, Suar. disp. 7. sect. 5. n. 26.). Eademque ratio esse videtur, etsi excommunicatio notoria fuit, absolutus tamen in foro conscientiae, occulte et sine ullo scandalo celebravit ».

« Quamvis hîc cautius agendum est, praesertim si causa ad forum iudiciale deducta fuerit; tunc enim absolutio et multo magis celebratio cedit aliquo modo in praeiudicium fori exterioris, ut proinde iudex talem absolutionem non admittere cogatur, sed celebrantem, tanquam irregularem, punire possit. Quamobrem Regulares privilegiati cavere debent, ne absolvant a reservatis casibus et censuris notoriis, si ad forum iudiciale deductae sint, vel probabiliter deducendae putantur... Quia absolutio danda non est, priusquam parti laesae satisfactum sit et consequenter, si Ecclesia aut status clericalis v. gr. *notoria* clerici percussione laesus fuit, priusquam Ecclesiae satisfactum sit; propterea quod reus, posteaquam absolutionem a censura... consecutus fuit, non ita efficaciter ad praestandam satisfactionem sive emendationem urgeri possit ».

207. Quaedam alia quoad praxim sic tradit Bonacina *de Censur.* disp. 1. q. 3. punct. 10. n. 3.: « Poenitens, qui fuit absolutus in foro conscientiae ab aliqua censura contracta ob aliquod delictum..., non indiget nova absolutione, ut possit cum ceteris communicare aut actus per censuram prohibitos exercere. Nam revera fuit absolutus; consequenter potest se gerere tanquam absolutus, modo constet aliis, ipsum fuisse absolutum, ita ut non subsit scandali periculum... Hoc autem constare potest etiam in iudicio per attestationem Confessarii, asserentis, se illi beneficium absolutionis impendisse; sicut enim creditur publico tabellioni circa ea, quae ad ipsius munus spectant...; ita multo magis credendum videtur Confessario (allegationes)... Caveat tamen Confessarius, ne faciat praedictam attestationem, antequam obtinuerit a poenitente facultatem illius attestationis faciendae; Confessarius enim non potest extra confessionem loqui de auditis in confessione... Ceterum non obstante eiusmodi absolutione, integrum ius servatur iudici cognoscendi de illo delicto in foro exteriori et de eo poenam et satisfactionem imponendi ».

« Hinc sequitur eum, qui erat excommunicatus occultus, posse, obtenta absolutione in foro conscientiae, gerere se tanquam non excommunicatum, modo non constaret publice, ipsum fuisse excommunicatum; nam si fama publica constabat, ipsum fuisse excommuni-

catum, non potest publice uti absolutione obtenta in foro conscientiae neque cum ceteris communicare propter scandalum, nisi etiam publice constet, ipsum fuisse absolutum: hoc autem constare potest, dum scitur, poenitentem confessum fuisse tempore Iubilaei, in quo aderat facultas absolvendi ab illa excommunicatione: vel quando scitur, ipsum confessum fuisse Confessario facultatem habenti absolvendi et exhibuisse condignam satisfactionem: aut quando ipse Confessarius hoc attestatur; tunc enim cum cesset scandali periculum, potest cum aliis communicare. Imo quando fuit absolutus in foro conscientiae ab excommunicatione publica, potest occulte cum iis participare, qui norunt, ipsum fuisse absolutum, quamvis absolutio non publice constet; tunc enim non videtur imminere scandali periculum (allegationes etiam pro valore testimonii Confessarii) ». Vid. dict. sup. n. 139.

III. *Requisita ex parte absolvendae personae.*

208. Primum requirunt DD., ut absolutio petatur a reo. Cum enim censura imposita sit ad delinquentis correctionem, expedit postulatione humili demonstrare, se correctum esse (Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 100.). S. Alph. in eandem rem (lib. 7. n. 130.) allegat textum ex cap. *Per tuas, de Sent. Excomm.*, qui ait: « Nisi gratiam absolutionis imploret, non debet audiri, ne sententiam excommunicationis contemnere videatur ».

Ad quae verba s. Alphonsus l. c. subdit: « Quia textus dicit *Non debet*, non autem, *Non potest*, ideo bene docet s. Thomas 3. q. 24. art. 2., quem alii sequuntur, censuratum, modo sit emendatus a peccato, etiam renitentem valide posse absolvi ».

Et consentiunt alii DD. ita, aliis allegatis, Schmalzgr. l. c.: « Haec tamen conditio non requiritur necessario, sed ut convenienter concedatur absolutio; hinc etiam invito concedi potest; non tamen expedit, nisi ex causa rationabili. Sayr., Suarez, Palao... ».

Quod de petitione absolutionis, idipsum DD. statuunt de praesentia personae absolvendae. Huius nempe praesentia, dum absolvitur, absolute necessaria non est; quia sicut absens per litteras excommunicari potest, ita et absolvi. Regulariter tamen expedit, eum esse praesentem, tum ad censurarum reverentiam, tum ad maiorem humilitatem et cautionem ipsius censurati. Ita pluribus allegatis, Schmalzgrueber lib. 5. tit. 39. n. 102.

Idipsum dicendum de absolutione, medio procuratore, scilicet regulariter non expedire ut fiat, causa tamen urgente concedi posse.

Hic tamen procurator speciale mandatum habere debet, petendae absolutionis, ut sic constet, censuratum recessisse a contumacia. Item

iurare debet et praestare ea omnia, quae absolvendus praestaret, si praesens esset (ita Schmalzgr. l. c.).

209. Ceterum quoad absolutionem dandam invito aut nescienti atque adeo non petenti, s. Alphonsus sup. n. praec. solum tetigit casum hominis non petentis quidem absolutionem, attamen a peccato emendati: quam limitationem non habet Schmalzgrueber l. sup. c.

Itaque duplex casus fingi potest. Primus est, quando quis a peccato seu contumacia recesserit, absolutionem tamen non petat, vel etiam ab ea petenda abhorreat seu repugnet. Alter est, quando quis insuper voluntatem habet non recedendi a peccato et contumacia. De utroque casu dicendum tum quoad validitatem tum quoad liceitatem absolutionis.

Quod attinet ad validitatem. 1° Si agatur de eo, qui voluntatem recedendi a peccato et contumacia non habet et insuper peccatum eius habet tractum successivum, v. gr. haeresis aut furtum quod ad restitutionem obligat; hic invitus non potest absolvi nisi ab eo, qui potestatem habet supra ius seu praeceptum censuram importans. Et huc spectat, quod s. Alph. lib. 7. n. 131. ait, hunc *non posse absolvi nisi a* ferente censuram; quod intellige et de eo et de eiusdem Superiore, nullatenus vero ab inferiori et ratio facile patet: quia eiusmodi absolutio importat mutationem iuris seu praecepti.

2° Si vero peccatum non habeat tractum successivum, sed opere ipso compleatur, uti v. gr. blasphemia aut incestus etc., tunc absolvi censura poterit etiam ab inferiore, etiamsi reus nec poenitentiam agere nec absolutionem consequi voluerit.

3° Idipsum a fortiori dicendum est, quando reus, etsi absolvi repugnet, emendatus tamen a peccato est. Si enim alias, heic maxime valet ratio, quod censura non est culpa sed poena. Ergo sicut imponi potest absque rei voluntate, ita et tolli.

Quod tamen alias notavimus, adverte, quod si agatur de Bulla seu privilegio concesso in favorem poenitentis, cuiusmodi v. gr. est Bulla Cruciatae aut Iubilaei, nemo potest absolvi invitus, quia usus privilegii pendet a voluntate illius, in cuius favorem concessum est. Secus, si privilegium sit concessum in favorem confessarii, uti sunt privilegia Mendicantium; quippe usus privilegii a voluntate confessarii dependet.

Quoad liceitatem 2° generatim illud dumtaxat dici potest, licite quenpiam absolvi aut nescientem aut etiam invitum, quando adsit causa rationabilis. Haec autem adesse censetur, si absolutio censeatur magis medicinalis, quam censura, vel ex aliis adiunctis iudicetur prudenter, magis conveniens esse et expedire absolvere censuratum, utut a contumacia non recedat, idque valet non modo quoad censuras latas

a iure seu ab homine per sententiam generalem, sed etiam (licet difficilius) quoad latas ab homine per modum specialis sententiae; dummodo par causa rationabilis adsit nec id in partis praeiudicium aut aliorum scandalum aut censurarum contemptum cedat (ex Salmantic. *de Cens.* cap. 2. nn. 28.-30.).

210. Quoad iuramentum a reo praestando ante absolutionem haec habet s. Alph. lib. 7. n. 129. post Salmantic. *de Cens.* cap. 2. n. 18.: « Requiritur, ut reus ante absolutionem censurae praestet iuramentum de non committendo amplius tali crimine. Colligitur ex cap. *Ex tenore* 10. et cap. *De cetero* 11. *De Sent. Excomm.* (a). Hoc iuramentum tamen exposcitur tantum ab iis, qui ob enorme crimen excommunicationem incurrunt, ut v. gr. sunt scandalose violantes ecclesias, graviter percutientes Clericum, incendiarii, usurarii publici, notorii percussores Episcopi vel Cardinalis etc. Secus, si excommunicatio sit contracta ob alia peccata non ita gravia et hoc currit tam in foro interno, quam externo. Ita communiter DD... ». Gravia censentur et contenta in Bulla Coenae. Del Bene *de Offic. s. Inquis.* p. 1. dub. 66. n. 9.

Adverte tamen in Cap. *De cetero* agi de iuramento non quidem cavendi a praecedenti crimine etc., sed se sistendi Rom. Pontifici ad suspiciendum eius mandatum. Unde hoc non est ad rem et vid. quae de his adnotavimus *De Sacr. Poenit.* sub n. 438. in not. ed. huius et heic dicemus declarantes Const. *Apost. Sedis.*

Insuper scribit Diana ex communi sententia (tom. 5. tr. 1. res. 185. n. 2.): « Dicendum est, valere absolutionem (etiamsi omittatur iuramentum), ut refert Glossa in c. *Cum desideres* 15. *de Sent. Excom.* v. *nisi forma* et adscribitur Hostiensi: et probatur haec communis sententia ex cap. *Super eo* 2. *de Sent. Excom.* ubi absolutio data illi, qui iurare noluit, valida asseritur; nec ulla constitutio iuris est, quae ostendat iuramentum esse de essentia absolutionis aut ad ullam eius causam intrinsecam spectare et haec omnia docet Gordonus tom. 2. lib. 7. q. 12. c. 9. §. 3. n. 75. ».

(a) « Iuramentum de parendo mandatis Ecclesiae est idem ac iuramentum de obediendo mandatis illius, qui absolvit... Ceterum absolvens vi huius iuramenti nihil aliud tibi imperare potest, quam abstinentiam a simili crimine, propter quod in excommunicationem incidisti ». Del Bene *De Offic. S. Inq.* part. 1. dub. 66. nn. 7. 8. Ergo iuramentum de obediendo mandatis Ecclesiae nihil aliud est, nisi iuramentum de non committendo amplius tali crimine.

Et Suarez *De Cens.* disp. 19. sect. 2. n. 10.: « Non est intelligendum, necessarium esse iuramentum generale de servandis Ecclesiae praeceptis; quia neque in illis iuribus hoc dicitur neque esset expediens hoc novum vinculum et obligationem communiter hominibus ponere: sed ad summum potest esse hoc iuramentum de obediendo Ecclesiae in illa materia... seu lege, ob cuius violationem excommunicatus mansit ».

CAPUT II.

DE EXCOMMUNICATIONE

Dub. I.

Quid sit et quotuplex.

XLIII. Respond. Excommunicatio est censura, per quam quis privatur communione Ecclesiae. Estque duplex: minor, quae tantum privat usu passivo seu receptione sacramentorum et maior, quae etiam dicitur Anathema ac in iure fere semper nomine excommunicationis intelligitur privatque omni communione Ecclesiastica, secundum dicenda. Per hanc maiorem excommunicatus rursus est duplex: Toleratus, quem fideles non tenentur vitare: non toleratus, quem tenentur vitare. Et quidem post Concilium Constantiense, non tolerati sunt hi tantum: 1. Notorius Clerici percussor, de quo infra. 2. Quivis nominatim excommunicatus et specialiter ac publice denunciatus.

211. Excommunicatio ab A. definitur: *Censura, per quam quis privatur communione Ecclesiae.*

Paulo aliter Schmalzgrueber post alios lib. 5. tit. 39. n. 112.: « Communiter DD. definiunt, ut sit *Censura, ab Ecclesia instituta, separans excommunicatum a communione fidelium* ».

Dicitur 1° *Censura* ex generali ratione, quia censurat et corrigit rebelles et contumaces privat communione bonorum ecclesiasticorum et licet aliquando feratur etiam in eum, qui non praesumitur corrigendus, fit tamen, ne alii eius communione inficiantur obque alias causas, quas superius (nn. 17. 18.) tetigimus.

Dicitur 2° *ab Ecclesia instituta,* quia habet commune cum aliis censuris ut sit poena ecclesiastica, quae ex institutione Ecclesiae originem trahit, ut pluribus probat Sayrus lib. 1. cap. 4. n. 8.

Dicitur 3° *Separans excommunicatum a communione fidelium*, quo distinguitur excommunicatio ab aliis censuris ecclesiasticis; nam suspensio solum privat beneficii et officii ecclesiastici usu, interdictum divinis officiis secundum eorum naturam: excommunicatio vero directe ac per se tum illis tum aliis adhuc bonis privat. Schmalzgr. l. c. n. 113.

Porro bona, in quibus fideles communicant inter se, sunt triplicis generis, nempe 1° interna, 2° mere externa, 3° mixta; iamvero ex his Ecclesia privat excommunicatos solum communicatione in bonis secundi et tertii generis. Hinc s. Alph. lib. 7. n. 133.: « Non dicitur simpliciter *privare omni communione;* nam etiam excommunicatus cum fidelibus tanquam membris unius corporis communicat in pluribus bonis spiritualibus; sed additur, *Ecclesiastica,* idest privat bonis, *quorum distributio ad Ecclesiam pertinet* ».

Exinde excommunicatio merito habetur uti poenarum omnium ecclesiasticarum gravissima, utpote quae privat maximis bonis spiritualibus; idcirco Caelestinus III. (c. *Cum non ab homine, de Sent. Excomm.*) dicit, Ecclesiam post poenam istam non habere quid ultra faciat: Tridentina vero Synodus (sess. 25. *de Reform.* c. 3.) monet, ne iudices ecclesiastici hac censura utantur, nisi quando iam nullum aliud remedium superest et ob eandem rationem nunquam fertur in Communitatem (c. *Romana* c. hoc. tit. in 6°), ne contingat, innocentem aliquem ligari. Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 114.

212. Excommunicationis partitiones quaedam sunt, quae communes possunt censeri aliis quoque censuris, imo praeceptis vel sententiis.

Ac 1° Alia est iusta, alia iniusta. *Iusta* est excommunicatio, quae fertur a legitimo iudice propter peccatum contumaciae et servato ordine iuris. *Iniusta* est, cui aliquid horum deest.

2° Iniusta autem duplex est; quaedam enim valida, quaedam vero nulla est et invalida. *Valida*, quamvis iniusta, excommunicatio est, cui tantum deest circumstantia debiti finis, vel quaedam sollemnitas accidentalis, ad substantiam excommunicationis non pertinens. *Invalida* vero, quae aut fertur a non habente potestatem, vel contra alicuius privilegium, vel post legitimam appellationem, vel quando continet errorem intolerabilem, ut v. gr. si Episcopus (ait Pirhing h. tit. n. 40.) eos excommunicet, qui tempore paschali confiteantur, extra parochias, Religiosis privilegiatis. Et invalida quidem nullum habet effectum, nec obligat, nisi aliquando ratione scandali. Schmalzgr. h. tit. n. 115.

3° Alia est excommunicatio *generalis*, quae fertur in communi contra omnes, qui commiserint vel committant tale delictum. Alia *particularis*, quae fertur contra personas particulares, expressis eorum nominibus, v. gr. Petrum. Pirhing h. tit. n. 9.

4° Celeberrima autem est (a) divisio excommunicationis in maiorem et minorem, de qua etiam Auctor ac definiri solent ab effectibus. *Maior* itaque dicitur, quae simpliciter privat participatione bonorum omnium, quae inter fideles communia sunt. *Minor* vero, quae privat tantum usu passivo sacramentorum, nempe eorum perceptione.

Effectus igitur directus excommunicationis Minoris est unicus, scilicet privatio passiva Sacramentorum: Maioris vero duodecim effectus numerantur, qui tamen ad quatuor classes reduci queunt. *Prima* refertur

---

(a) Vel potius erat; sane e sententia s. U. Inq. 5. dec. 1883. approbata et confirmata a summo Pontifice, excommunicatio *minor* per Const. *Apostolicae Sedis* sublata fuit. — E.

ad suffragia fidelium, sacramentorum usum et alias actiones spirituales. *Secunda* ad Beneficia et officia ecclesiastica, quibus privat. *Tertia* ad officia civilia. *Quarta* denique ad communicationem politicam cum excommunicato.

Quod Auctor habet, *in iure fere semper nomine excommunicationis intelligi* MAIOREM, s. Alph. n. 133. in not. h. loc. addita confirmat ex cap. *Si quem*, 59. *de Sent. Excomm.*, ubi dicitur: « Si quem sub hac forma verborum, *Illum excommunicamus*, vel simili a iudice suo excommunicari contingat, dicendum est, eum non tantum *Minori* (quae a perceptione Sacramentorum) sed etiam *Maiori* excommunicatione (quae a communione fidelium separat) esse ligatum: quae verba sunt Gregorii IX.

Ideo autem Auctor dicit *fere semper* in iure eam vocem sic usurpari, quia ante Gregorium IX. (cuius verba attulimus) excommunicatio simpliciter sumpta saepe, ut ait Schmalzgr. h. tit. n. 119., pro minori intelligebatur, ut constat ex can. *Engeltrudam* 12. caus. 3. q. 4. et aliis textibus; at post Gregorium nunquam pro Minori, sed pro Maiori sumitur. Ita DD. communiter, apud Schmalzgr. l. c.

213. Auctor addit, excommunicationem Maiorem dici etiam *anathema* et s. Alph. n. 133. in not. ad h. l. subdit, hac voce innui excommunicationem Maiorem latam cum maiori sollemnitate.

Haec vox, quae significat *maledictionem* seu *exsecrationem*, triplici sensu in ss. Canonibus usurpatur:

1° ad significandum excommunicationem inflictam ob haeresim vel eius suspicionem, utpote omnimodam ac potissimam ab Ecclesia separationem (N. B. loca a Schmalzgr. ad id probandum allata, nempe c. *Cum non ab homine* 14. h. tit., et cap. 3. *de Reform.* sess. 25. Conc. Trid., non videntur in hanc rem efficacia).

2° Ad significandas quasdam excommunicationis sollemnitates, nempe cum excommunicatio denunciatur accensis candelis et postmodum exstinctis aliisque ceremoniis ab Ecclesia institutis.

3° Denique sumitur anathema ad distinctionem excommunicationis *Minoris*, ut in can. *Engeltrudam* 12. Caus. 3. q. 4., ubi latae sunt prius excommunicatio *Minor* et postea *Maior:* « Engeltrudam uxorem Bosonis noveris non solum excommunicatione, quae a fraterna societate separat, sed etiam anathemate, quod ab ipso Christi corpore (quod est Ecclesia) recidit crebro percussam esse »; quae sunt verba Ioannis VIII.

214. Denique Auctor memorat distinctionem faciendam inter innodatos maiori excommunicatione; nam alii dicuntur *tolerati*, quos nempe ceteri fideles non tenentur vitare, alii vero *non tolerati* seu vitandi, quos nempe vitare tenemur.

Porro iure antiquo quicunque maiorem excommunicationem sive ab homine sive a iure latam, incurrissent, vitandi erant, eo solum cum discrimine, quod ii, quorum excommunicatio publica ac notoria erat, publice essent vitandi: ii vero, quorum excommunicatio publice non erat nota, tantum privatim vitandi ab iis essent, qui conscii erant.

Cuius disciplinae vestigium exstat etiam in cap. *Cum non ab homine, de Sent. Excomm.*, ubi haec Clemens III.: « Respondemus, quod a communione illius, qui, pro sacrilega manuum iniectione in clericum, in edictum excommunicationis incidit, licet denunciatus non sit, debes abstinere: nisi forte id tibi soli pateret, in quo casu ipsum privatim tantummodo evitabis, quandiu ab Ecclesia toleratur; ut saltem verecundiae robore suffusus pro latenti excessu satisfacere compellatur ».

Verum iure novo, ad praecavenda varia scandala et peccata, quae conscientiis timoratis accidere posse animadversum est, Christi fidelibus indultum fuit, ut nemo a communione alicuius, quacumque censura, sive a iure sive ab homine, ligati teneretur abstinere, nisi sententia contra personam certam, a iudice specialiter et expresse publicata fuerit; vel nisi eum per sacrilegam iniectionem manuum in Clericum excommunicationem a Canone latam adeo notorie constiterit incurrisse, ut factum non possit aliqua tergiversatione celari aut aliquo suffragio excusari.

Ut ergo persona excommunicata sit vitanda, oportet, ut a competenti iudice ipsa nominatim publice denuntietur excommunicata: vel sit notorius percussor clerici. Cum ceteris licet fideli communicare etiam in divinis, nulla quoque, quantum est *ex hoc capite*, necessitate aut utilitate cogente. Dicimus *ex hoc capite*, nempe habita ratione iuris novi circa vitandos et toleratos; nam caritas frequenter prohibebit, ab indignis ex. gr. petere vel indignis dare sacramenta. Cum dicitur licere fidelibus communicare cum toleratis in divinis, intellige divina seu sacra catholicorum, non sacra ex. gr. haereticorum; quod est nefas ipso naturali iure prohibitum (cf. tr. V. *de Fide* vol. II. 57. seqq.).

Porro quoad notorios clerici percussores, advertit s. Alph. n. 144. quod ut vitandi sint, requiritur nunc, ut constet, non solum percussisse, sed etiam incurrisse censuram et quidem ita ut nequeat factum celari nec *aliquo suffragio excusari*. Atqui nisi adsit notorietas quoque iuris, quatenus nimirum in iudicio percussor de crimine convictus vel confessus sit (etsi excommunicatio non denuntietur) et adsit sola notorietas facti, poterit actus semper aliquo suffragio excusari, puta, quod percussio in ebrietate forte facta est vel ad sui defensionem etc.: ergo ut vitandus sit percussor, requiritur etiam notorietas iuris. Quocirca

idem s. Doctor concludit cum Diana, raro nunc contingere, percussorem clerici ita notorium esse facto ipso, ut non possit aliquo iuris remedio aut probabilitate aliqua excusari.

215. Inductum hoc ius est in Synodo Constantiensi et deinde confirmatum a Martino V. in Concordatis cum natione Germanica et titulus Constitutionis est: *De non vitandis excommunicatis, antequam per iudicem fuerint declarati et denunciati.* Atque ita se habet (apud Giraldi h. tit. sect. 926. pag. 701. ex Harduino *Concil.* tom. 8. pag. 892.): « Insuper ad vitanda scandala et multa pericula subveniendumque conscientiis timoratis, omnibus Christifidelibus tenore praesentium misericorditer indulgemus, quod nemo deinceps a communione alicuius in Sacramentorum administratione vel receptione, aut aliis quibuscumque divinis vel extra illa, praetextu cuiuscumque sententiae aut censurae ecclesiasticae, a iure vel ab homine generaliter promulgatae, teneatur abstinere vel aliquem vitare ac interdictum ecclesiasticum observare, nisi sententia vel censura huiusmodi fuerit *in vel contra personam,* Collegium, Universitatem, Ecclesiam, Communitatem, aut locum certum, vel certam, *a iudice publicata vel denunciata specialiter et expresse.* Constitutionibus Apostolicis et aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque: *salvo si quem pro sacrilegio et manuum iniectione in clericum in sententiam latam a canone adeo notorie constiterit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo iuris suffragio excusari;* nam a communione illius, licet denunciatus non fuerit, volumus abstineri, iuxta canonicas sanctiones ».

In hac Constitutione, prouti in Conc. Basil. et in Bulla Leonis X. in Conc. Lateran. et a s. Antonino *Summ.* part. 3. tit. 25. cap. 3., innuitur, adduntur haec alia verba: « Per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos, seu prohibitos non intendimus in aliquo relevare neque eis quomodolibet suffragari ».

Ex quo sequitur, excommunicatos, utut toleratos, prohiberi, adhuc, non secus ac antea, a communione fidelium et peccare, si communioni se ingerant: verum de hac re speciatim in Responsionibus dub. III. seq.

216. Sed nonnullae difficultates circa hoc decretum occurrunt, quae omitti non debent.

Et prima, levior illa quidem, est, quod *concordata* illa cum Germanis, ubi hoc decretum reperitur, in XI. articulo dicuntur duratura *ad quinquennium:* unde videri posset haec dispositio fuisse temporanea.

Verum s. Antoninus *Sum.* part. 3. tit. 25. cap. 3. allatis documentis evincit, tale indultum datum fuisse non solum Germanis, sed etiam

omnibus christianis et de iure esse perpetuum. Tum refert responsum Martini V., hisce verbis conceptum: *Ego volo, quod semper duret.* Adde praxim, quae id confirmavit.

Gravior videri potest difficultas, quod Constitutio ista diversam lectionem habet penes Navarrum, adeo ut in postrema parte non notorii solum *percussores Clericorum,* sed omnes notorie excommunicati, licet non denunciati nominatim, *vitandi* dicantur.

Ita enim habet (apud Navarr. *Manual.* cap. 27. n. 35.): « Ad evitanda multa scandala et multa pericula et subveniendum conscientiis timoratis, constituimus, ut nemo posthac teneatur abstinere et separare se neque evitare excommunicationem alicuius in administrando aut recipiendo sacramenta, aut in aliis divinis officiis aut extra illa, ratione alicuius sententiae aut censurae ecclesiasticae aut suspensionis aut prohibitionis ab homine aut a iure generaliter promulgatae, neque servare interdictum ecclesiasticum, si illa talis sententia, prohibitio, suspensio, aut censura non fuerit promulgata aut denunciata specialiter et expresse a iudice contra certam aliquam personam, collegium, universitatem, ecclesiam, aut locum, certum aut certam, *neque manifeste constet incurrisse sententiam excommunicationis, quod nullo modo possit occultari aut per aliquod remedium iuris excusari;* quia a communione huius volumus, quod se separent, iuxta canonicas constitutiones. Per hoc tamen non intendimus relevare neque iuvare sic excommunicatos, suspensos, interdictos aut prohibitos ».

Addit porro Navarrus ibid.: 1° Constitutionem, hoc tenore conceptam, confirmatam fuisse tum a Concilio Basileensi, tum a Leone X. in Concilio Lateranensi: 2° minus exacte Constitutionem istam referri a s. Antonino cum aliis nonnullis, ubi postremam partem restringit ad notorios percussores clericorum, non vero ad omnes notorie excommunicatos: 3° etsi admittatur s. Antonini lectio, eam tamen restrictionem sublatam postea fuisse a Synodo Basileensi et rursus a Leone X. in Lateranensi.

217. Plura porro occurrerent advertenda circa hanc obiectionem.

Ac primo dignum est, ut advertatur, ex s. Antonino Basileense Concilium eam constitutionem confirmasse. Ita ille (l. c. in fin.): « Non fuit autem revocata (Constitutio), sed in concilio Basileensi confirmata ante sui dissolutionem ». Nihil dicere autem potuit de Synodo Lateranensi, quae recentior illo fuit.

Alii tamen, dum s. Antonini lectionem retinent quoad Constantiense Concilium, concedunt, Basileense aliter de notoriis generatim excommunicatis statuisse.

Exinde quidam, uti Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 123., reponunt,

Basileense Concilium, tanquam acephalum, ab Eugenio IV. revocatum fuisse, a Nicolao V. autem approbatum quoad pauca dumtaxat decreta, spectantia beneficiorum collationes, dispensationes et censurarum absolutiones: quoad cetera igitur vim iuris non habere.

Plerique alii, ut Ferraris (v. *Excommunicatio* n. 3.), cum eodem Schmalzgr. reponunt, consuetudinem aliter obtinuisse, nempe ut soli clericorum percussores notorii censeantur vitandi.

Placet heic referre ea, quae de hac re collegit Lambertini (*de Syn.* lib. 12. cap. 5. n. 4.): « In celebri Extravaganti Martini V., incipit *Ad vitanda*, edita in Concilio Constantiensi, evitandi decernuntur solum excommunicati (intellige generatim *censuratos*) publice et nominatim denunciati, ac publici et notorii Clericorum percussores, uti ponderant Sanchez *de Matrim.* lib. 3. disp. 46. n. 10. et Card. de Lugo *Respons. moral.* lib. 1. dub. 45. n. 3. Quamvis vero Fagnanus in cap. *Quod a Praedecessore, de Schismaticis* n. 55. probare conetur, evitandos etiam esse quoscumque, qui facti notorietate certo dignoscuntur in excommunicationem incidisse, iuxta posteriorem sanctionem Concilii Lateranensis V. Sess. 11. §. *Statuimus autem;* eius tamen doctrina fere communiter reiecta est, cum ubique moribus sit recepta laudata Constitutio *Ad vitanda*, quod testatur Suarez *de Cens.* disp. 9. sect. 2. n. 5., Laym. lib. 1. tr. 5. part. 2. cap. 4. n. 1., Cabassutius *Theor. Iur. Can.* l. 5. cap. 11. n. 3., Albitius *de Inconst. in fid.* cap. 18. n. 23., Engel lib. 5. tit. 39. n. 56., Wiestner ibid. n. 63., Reiff. ibid. n. 138., quod etiam superius innuimus lib. 6. cap. 5. Illud tamen, quoad hanc Martini V. Constitutionem *Ad evitanda,* mirum videri potest, quod cum ab eo Pontifice in Constantiensi Concilio edita fuisse dicatur, nulla tamen illius mentio vel minime occurrat sive in Actis eiusdem Concilii, quae ab Hermanno von der Hardt collecta et sex voluminibus in folio edita fuerunt, in quibus minutissima quaeque habentur, quae singulis diebus in Concilio gesta asseruntur, sive in tot aliis monumentis ad idem Concilium pertinentibus, quae exstant in Labbeana Conciliorum Collectione tom. 12., sive in aliis nuperrime prolatis a Dominico Mansi in suo Supplemento tom. 4. (a). Quare tota illius Constitutionis Auctoritas desumitur ex testificatione s. Antonini, qui eam per extensum refert tum in p. 3. *Summ. historial.* tit. 22. c. 6. §. 4., tum etiam in p. 3. *Summ. Theol.* tit. 25. cap. 2. 3., ubi eorum dicta refellit, qui vel

(a) Quod neque penas Lebbeum neque apud Mansium reperit Lambertinius, id exstabat penes Harduinum, Conc. tom. 8. col. 892. qui ex mss. edidit concordata cum natione Germanica et in §. 7. hanc quoque Martini V. Constitutionem. Eandem deinde ex Harduino ediderunt Auctores novae et amplissimae Collectionis Conciliorum tom. 27. col. 1189.

asserebant, propositam quidem in Concilio fuisse praedictam Constitutionem, sed Patrum suffragiis et Italicae praesertim nationis sententia reiectam fuisse, vel etiam ita editam fuisse, ut ad quinquennium dumtaxat vigere deberet: contra quos docet, eandem non modo propositam, sed etiam acceptatam in Concilio fuisse eique perpetuam vim et auctoritatem fuisse tributam etc. ».

218. Et quidem ipse Navarrus cap. 27. n. 35. in fin. concedit demum, teneri posse communem de Constitutione praedicta sententiam: « Sed quia (inquit) durum est damnare gentem, in qua sunt tot viri eruditissimi et Accademiae celeberrimae, praesertim Parisiensis, Tolosana et Lovaniensis, probabiliter dici potest, praedictam Extravagantem esse usu receptam cum sola illa limitatione de excommunicatione manifesta percussionis clerici iuxta tenorem antiquae, vel quod multitudo haereticorum et necessitas communicandi faciunt licitum quod alias non esset, iuxta regulam *Quod non est licitum* 4. *de Reg. Iur. (Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum)* ».

Atque ita Zoesius (penes Ferraris V. *Excommunicatio* n. 25.) dum utramque lectionem refert, in hypothesi lectionis Navarri retinendae attribuit consuetudini, ut postrema pars ad solum clerici percussorem restringatur (perperam deinde addens percussorem clerici debere insuper esse *denunciatum*).

Egregie de tota hac re Suarez *de Cens.* disp. 9. sect. 2. n. 5.: « Neque illa omnia, quae posterius (scil. post Conc. Constantiense) facta dicuntur, eam formam derogare aut restringere potuerunt, tum quia Concilium Basileense per se ad hoc potestatem non habuit neque in hoc fuit a Nicolao V. approbatum...; tum etiam, quia licet illud Concilium in sua Constitutione verbum seu restrictionem ad percussionem clerici omiserit, non tamen expresse tractavit (retractavit?) priorem Constitutionem Martini V. Quod maxime dicendum est ad acta Concilii Lateranensis (sub Leone X.); quia ibi non agebatur de lege ferenda aut observanda circa hoc pro universa Ecclesia, sed solum de Concordatis inter Gallos et Pontificem, qui illa forma contenti fuerunt: non tamen propterea legem sanxerunt ab universa Ecclesia observandam; tum maxime quia usu totius Ecclesiae ea forma iam est approbata et recepta, ut praedicti omnes auctores referunt et constat ex usu Galliae, Germaniae etc., ubi catholici sine scrupulo communicant cum haereticis publicis et schismaticis; propter quam consuetudinem in hanc tandem partem inclinavit Navarrus... et idem servari videmus in aliis regionibus inter catholicos. Denique Constitutio illa, prout ex Concilio Constantiensi refertur, utilissima est ad finem in eadem Constitutione expressum, scil. ad vitanda scandala et sedandas timoratas conscientias:

ergo cum ob hanc causam communi consuetudine probata et recepta sit, non est, cur amplius restringatur ».

Ex his planissima via ad intelligendas resolutiones, quas Auctor subiicit.

Unde resolves.

XLIV. 1. In Germania Catholici secure communicant cum iis, qui notorie sunt haeretici et consequenter excommunicati ac publice denunciati.

219. Haeretici, de quibus A., non sunt *nominatim* denunciati uti excommunicati. Ergo etc. Quod autem dicit A. *publice denunciati*, intelligitur non de denunciatione huius vel alterius personae, sed de generali denunciatione tum haereseos tum excommunicationis; quae tamen ex dictis non sufficiunt, ut singuli sint vitandi.

Quod vero heic dicitur de haereticis in Germania, pari ratione dicendum est de haereticis aliarum regionum, Galliae, Helvetiae, Belgii, Sveviae, Angliae, Italiae etc.

Insuper idipsum pari ex causa dicendum est de schismaticis; nam et schismatici sunt ipso iure excommunicati. Vid. Schmalzgr. lib. 5. tit. 8. n. 17.

XLV. 2. Non teneris vitare eum, quem scis peccasse contra legem, per quam illi, etiam in particulari, sub poena excommunicationis aliquid est vetitum vel praeceptum; quia requiritur, ut per sententiam expressam et specialem, contra personam in particulari, post peccatum commissum, censura sit publicata: v. gr. ut Ioannes sit denunciatus excommunicatus; vel saltem ita exprimatur persona, ut non liceat de ea dubitare, ver. gr.: excommunicamus talis loci Decanum, Praetorem.

220. Duplex casus heic innuitur. Primus est, quando quidpiam lege quadam generali praecipitur sub poena excommunicationis latae sententiae, v. gr. de non violanda clausura, aut immunitate ecclesiastica, de non committendo duello. Alter est, quando per praeceptum particulare quidpiam iniungitur aut interdicitur etiam personae alicui singulari sub eadem poena: v. gr. ne presbyter quidam accedat ad quodpiam monasterium, aut domum etc.

Vis ergo resolutionis est, ut quispiam sit vitandus, non sufficere, quod notorie constet, aliquem violasse aut legem illam generalem, aut particulare illud praeceptum; sed omnino requiri, ut ille violator insuper nominatim denuncietur ab habente potestatem ceu excommunicatione innodatus.

Duplex tamen modus innuitur denunciandi ut excommunicatam personam aliquam, 1° per nomen, 2° per alium modum, qui certo personam designet, v. gr. parochum s. Severini.

XLVI. 3. Licet dicatur: *Excommunicamus Petrum*, verbi gratia, *incendiarium, et eius complices*, solus Petrus vitandus est, non vero alii, etsi sint notorii: quia sententia quoad illos est tantum generalis et non specialis contra certam personam.

Est merum consectarium praecedentium.

XLVII. 4. Non teneris vitare eum, qui privatim in conclavi est denunciatus, quia id non est factum publice; ad hoc enim requiritur, ut sententia legatur vel affigatur aliquo loco celebri v. gr. in templo tempore concionis, vel aliter pro more regionis.

221. Vis resolutionis est, quod denunciatio publica esse debet, idest fieri sollemni aliquo modo, prout fieri solet in edicti alicuius seu legis promulgatione. Ratio est, quia ad vitandum excommunicatum obligari per denunciationem debet Communitas. Denunciatio igitur fieri Communitati debet, atque adeo requirit (prouti de legibus diximus) sollemnem aliquem promulgationis modum, nempe, ut ait A., ut sententia legatur aut affigatur in loco quopiam celebri, in templo v. gr. tempore concionis etc.

Hinc illud, quod A. habet, non sufficere scil. si denunciatur in conclavi, aut, ut inquit s. Alph. n. 137., coram litigantibus.

Hinc Suarez *de Cens.* disp. 9. sect. 2. n. 8.: « Est autem adeo necessaria publicatio, ut ipsemet parochus, etiamsi secum habet sententiam declaratoriam factam contra talem personam, non teneatur illam vitare, donec publice tempore praescripto illam denuntiet: nec male faciet illum admonendo, ut resipiscat, antequam publicetur talis sententia iam sibi ad denuntiandum tradita, ut Navar. et alii citati tradunt ».

Recte addit s. Alph. n. 137., in dubio, an excommunicatio sit sufficienter denunciata seu promulgata, nos non teneri ad vitandum hominem illum. Ratio ex paritate cum lege petitur, quae in dubio promulgationis non obligat. Vid. Suar. l. c. n. 9.

Quod tamen de legibus dicimus, id etiam de huius sententiae promulgatione valet, nempe ad vitandi obligationem sufficere, si de facta denunciatione nobis per publicam famam, aut etiam per unius personae gravis auctoritatis testimonium constet.

222. Hoc loco s. Alphonsus addit modum, quo procedi debet ad denunciationem cum illis, qui incurrerint excommunicationem aliquam latae sententiae.

Bene itaque s. Alph. n. 137. docet, non sufficere, si sententia solum declaret quempiam reum esse criminis, cui adnexa est excommunicatio; imo neque si declaretur, reum incurrisse omnes censuras, quae eidem crimini sunt impositae; sed verius requiritur, ut expresse declaretur quis *excommunicatus*. Ratio, quia ex Martini V. Constitutione nemo vitandus est, *nisi censura vel sententia eiusmodi fuerit a iudice publicata vel denunciata specialiter et expresse.*

Et quidem cum Martinus V. dicat, denunciationem faciendam esse *a iudice,* intelligendus est *iudex proprius.* Hinc bene inferunt Salmanticenses *de Cens.* cap. 3. n. 16., quod si Religiosus exemptus crimen committat, cui adnexa sit poena excommunicationis, denunciari non potest ab Episcopo, qui non est iudex illius et a quo idcirco citari non potest.

Dixi *citari* non posse; nam alioqui, *nisi crimen sit notorium,* excommunicatus a iure antequam denuncietur, debet a suo proprio Superiore citari, ut se defendat. Ita s. Alphonsus l. c.

Reliqua, quae s. Alph. habet nn. 138.-140. de communicatione cum toleratis et horum cum non censuratis, tum etiam quae pertinent ad vitandum notorium clerici percussorem, suis locis inferius tangentur.

Dub. II.

De excommunicatione minori (a).

223. Excommunicatio haec dicitur *Minor*, non quasi levis poena ea sit, sed tantum comparatione excommunicationis *Maioris,* partim quod haec incurratur ob culpam minorem et aliquando ob venialem dumtaxat, partim quia licet non paucis ac parvis, minoribus tamen bonis privat, quam maior, partim denique quia haec facilius; quam maior, tollitur, cum in foro interno ab ea absolvere quivis parochus aut alius ab eo delegatus possit, ut videbimus (Schmalzgrueber lib. 5. tit. 39. n. 24.).

XLVIII. Respond. Incurritur ob unicam tantum causam, si quis nimirum cum excommunicato maiore excommunicatione communicet iis casibus, quibus non licet. Effectus eius est privatio sacramentorum perceptionis. V. Laym. l. 1. t. 5. p. 2. c. 3.

224. Olim plures causae incurrendi hanc poenam exstiterunt. Hodie ob unicam causam incurritur, propter communicationem scil. cum excommunicato maiori excommunicatione *et vitando*, in iis casibus, in quibus non licet, idque sive vivus is sit sive mortuus, uti v. gr. si talis excommunicati funus comiteris ad sepulchrum; nam quibus in vita communicare non possumus, neque in morte communicare licet, ex cap. *Sacris, de Sepulturis:* « Sacris est canonibus institutum, ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis » (Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 209.).

Et quidem ob communicationem cum vitando incurritur minor

(a) Quamvis excommunicatio minor, de qua iura loquuntur, sublata sit, censuimus tamen non omittenda, quae de ea tum Bus. tum Ball. disputant, more veterum; nam et decet nosse quid haec fuerit et fieri potest, ut restituatur et adhuc est in potestate Episcoporum poenam irrogare sitam in privatione Sacramentorum. — E.

excommunicatio *ipso iure* (a), sive communicetur cum illo in divinis et spiritualibus, sive in aliis rebus mere politicis, v. gr. in contractibus, iudiciis, conviviis, conversatione (Schmalzgr. ibid. n. 210.).

225. Commemorandum autem heic venit, tres esse casus, in quibus ob communicationem cum vitando non minor excommunicatio, sed maior incurritur.

Primus est, si communicetur cum excommunicato a Summo Pontifice; sic enim communicans, praeter peccatum mortale incurrit etiam excommunicationem maiorem, ut colligitur ex cap. *Significavit* 18. h. t. et communiter docent Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 179., Reiffenstuel h. t. n. 148., Pirhing h. t. 96. etc.

Ad hanc tamen excommunicationem et peccatum mortale incurrendum plures conditiones requiruntur; nam communicans debet communicare in divinis non utcumque, sed admittendo excommunicatum ad divina, ideoque, cum sit propria clericorum haec admissio, debet is esse clericus, debet autem admittere sponte, libere ac voluntarie sciensque a Papa illum esse excommunicatum nominatim et insuper denunciatum. Ita Schmalzgr. l. c. cum Croix lib. 7. n. 192., et aliis.

Secundus casus est, si quis cum vitando communicet in crimine criminoso, ut patet ex c. *Nuper* 29. et c. *Si concubinae* 55. h. t., et c. *Statuimus* 3. h. t. in 6°. « Censetur autem quis communicare in crimine criminoso, seu in crimine propter quod aliquis excommunicatione perculsus est, si consilium, auxilium vel favorem praestet, ne ab eo delicto resipiscat. Talis praeter peccatum mortale incurrit etiam excommunicationem maiorem, si sciat hanc poenam communicantibus esse impositam et is, cum quo communicat, sit excommunicatus nominatim: non enim sufficit, quod sit manifestus clerici percussor, imo nec sufficit esse nominatim excommunicatum, nisi etiam sit denunciatus; nam, ut sup. diximus, ex Martini V. Constitutione solos denunciatos tenemur vitare ». Ita Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 180. et est communis.

Exemplum affert Auctor Dub. sequenti, si quis concubinam excommunicatam cognoscat; idque desumptum est ex cap. *Si concubinae* 55. h. t. « Si concubinae publicae clericorum ecclesiasticae censurae districtione notentur, eosdem concubinarios non est dubium, sententia maioris excommunicationis involvi, qui post latam sententiam communicant in eodem crimine criminosis » (b).

(a) Hinc liquet, cur dicatur excommunicatio haec sublata per const. *Apostolicae Sedis*, quae omnes excommunicationes *latae sententiae* abrogavit, quas ipsa praeterivit. Cf. Notam ad n. 212. 4. — E.

(b) Nunc contra huiusmodi communicantes hae duae exstant excommunicationes Rom. Pontifici simpliciter reservatae in Const. *Apost. Sedis* 2ª Serie nn. 16. 17.

Tertius casus est, si quando aliquis communicet cum excommunicato post sententiam latam contra participantes (a). Nam hic praeter peccatum mortale, excommunicationem quoque maiorem incurrit. Patet ex cap. *Quod in dubiis* 30. h. t.: « Si scienter ei communicant, qui cum *participibus suis* est vinculo excommunicationis sententialiter innodatus, tunc... et ipsi sententiam excommunicationis incurrunt ».

Veruntamen ut communicans hanc poenam incurrat, debet 1° moneri non quomodocumque, sed monitione trina: 2° moneri debet speciatim et singillatim: nam ex sola generali relatione adversus participantes, prout frequenter uti solent iudices, nullo modo communicans maiori excommunicatione ligatur; quia iura expresse definiunt, hanc excommunicationem ferendam esse contra personas singulares et expressas.

Constat haec 1° ex cap. *Statuimus* h. t. in 6°: « Statuimus, ut nullus iudicum participantes cum excommunicatis ab eo, in locutione vel aliis quibus ligatur participans excommunicatione minori, *ante monitionem canonicam* excommunicare maiori excommunicatione praesumat: salvis Constitutionibus contra illos legitime promulgatis, qui in crimine praesumunt participare damnato. Quod si ex locutione et aliis, quibus participans labitur in minorem, excommunicatus fortius indurescat, poterit iudex post monitionem canonicam huiusmodi participantes consimili damnare censura ».

226. Trinam vero praemittendam monitionem et quidem *nominatim* sic edicitur in Cap. *Constitutionem* h. t. in 6°: « Ad tollendum omnem ambiguitatis scrupulum declarantes decernimus, ita demum esse monitionem *canonicam* in hoc casu, si aliis rite servatis, eos, qui monentur, exprimat nominatim. Statuimus quoque, ut inter monitiones, quas (ut canonice promulgetur excommunicationis sententia) statuunt iura praemitti, Iudices, sive monitionibus tribus utantur, sive una pro omnibus, observent aliquorum dierum competentia intervalla, nisi facti necessitas aliter ea suaserit moderanda ».

Haec omnia autem servanda esse, quando pro eodem participationis crimine iudex non quidem maioris excommunicationis, sed suspensionis aut interdicti poenam infligere intendat, sic statuitur in c. *Statutum* 13. h. t. in 6°: « Statutum Gregorii Papae X. factum ad declarationem Constitutionis Innocentianae, quae prohibet, participantes excommuni-

---

16a *Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.*

17a *Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Rom. Pontifice nominatim excommunicatis et ipsas in officiis recipientes.* Cf. sub dub. IV. seq. — E.

Est praeterea in certis casibus suspensio et interdictum cf. in cit. Const. Susp. 6. et Interd. 2.

(a) Hic casus est *ferendae sententiae.* — E.

catis ea participatione, quae solum minorem inducit, maiore excommunicatione ligari, monitione canonica non praemissa ; in suspensionis et interdicti sententiis (quae pro huiusmodi participatione plerumque ab Ordinariis vel delegatis iudicibus promulgantur) praecipimus inviolabiliter observari, decernentes, easdem sententias non tenere aliter promulgatas ».

227. Ceterum licet excommunicatio minor non incurratur modo, nisi ob communicationem cum vitando ; tamen id intelligitur *spectato iure* et *ipso iure*. Nam ut observat s. Alph. n. 148. post Laymann lib. 1. tr. 5. p. 2. c. 3. n. 5. nihil impedit, quominus *etiam ab homine decernatur* nempe quominus Episcopus in poenam alicuius criminis possit nominatim interdicere alicui usum passivum sacramentorum, vel saltem communionis. Unde Schmalzgrueber lib. 5. tit. 39. n. 210.: « Quamvis ferri possit *ab homine* habente iurisdictionem in foro contentioso, usu tamen receptum est, ut feratur solum *a iure* ob communicationem cum excommunicato vitando ».

Tandem adverte, quod quamvis Const. *Apost. Sedis* nullam censuram infligat communicantibus cum notorio percussore clerici non ideo tamen sublatum est praeceptum eundem vitandi. Constitutio enim Martini V. manet.

228. Excommunicationis autem minoris effectum Auctor non innuit nisi privationem passivam sacramentorum, nempe perceptionem sacramentorum. Sed, ut ait s. Alphons. n. 148., privatio sacramentorum est unicus effectus *directus*, praeter quem alius est effectus, quem DD. dicunt *indirectum* et consistit in privatione passivae electionis ad beneficia Ecclesiastica.

Passiva autem haec privatio electionis ad Beneficia manifeste indicitur in cap. *Si celebrat.* fin. *de Cleric. excomm. celebrante* idque DD. communiter extendunt etiam ad praesentationem et collationem; tum quia et istae vocari possunt electiones, tum quia eadem militat ratio.

Ratio autem est, quia beneficium ex Ecclesiae intentione confertur, ut beneficiatus sacros Ordines suscipiat et Missae sacrificium celebret; cum vero innodatus minori excommunicatione praestare haec non possit, ideo indirecte eidem excommunicato interdicitur, ne per collationem aut praesentationem, aut electionem beneficium conferatur. Vid. s. Alph. n. 150. et Schmalzgr. l. 5. t. 39. n. 201.

Exinde sequitur, quod tum excommunicatus Beneficium admittens, tum qui eidem beneficium confert aut eum ad illud praesentat aut eligit, graviter peccant. Ratio, quia in re gravi praeceptum Ecclesiae violatur: s. Alph. (ib.) et Schmalzgr. l. c. n. 202.

Poena tamen sic eligentibus in iure nulla statuta est. Nam etsi

Glossa in cit. c. fin. h. t. videatur affirmare, sic eligentes suspensos esse per triennium et inhabiles effectos ad electionem iuxta c. *Cum in cunctis* et c. *Scriptum de Electione;* verius tamen est, praedicta poena eos non affici; quippe textus citati tantum loquuntur de eligentibus indignum ob defectum scientiae, honestatis morum, aut aetatis; quae dispositio extendi non debet ad eligentes indignum ob minorem dumtaxat excommunicationem, cum haec indignitas facile tolli possit et collationem non reddat ipso iure nullam (Schmalzgr. l. c. n. 202.).

Etenim nonnulli quidem, ut Covarruvias, Ugolinus, Navarrus apud Schmalzgr. l. c. n. 203. censuerunt, eiusmodi electionem ipso iure esse irritam, utpote factam personae indignae et inhabili. Sed rectius cum Glossa in cit. c. fin. V. *Eligere* communius Suarez, Sayrus, Coninck, Laymann, Bonacina etc. apud Schmalzgr. h. t. n. 203. docent contrarium et colligitur ex cit. c. fin., ubi dicitur, eiusmodi electionem *esse irritandam:* « Si tamen scienter talis electus fuerit, eius *electio est irritanda*, pro eo quod ad susceptionem eorum eligitur, a quorum perceptione a Sanctis Patribus est privatus ».

Et haec quidem verba adversarii explicant *de Declaratione* irritationis iure inductae; sed intellectio ista impropria est et consequenter vitanda, quoad fieri potest, praesertim cum heic versemur in materia poenali (Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 203.).

229. Porro cum in textu allegato dicatur irritanda electio, *si scienter talis electus fuerit;* quaestio inter DD. mota est, num de scientia *eligentium* id accipi debeat, an de *electi* scientia.

S. Alph. n. 150. dicit, triplicem adesse sententiam. Prima dicit, id intelligendum de electo, qui conscius sit suae excommunicationis et hanc s. Alph. dicit *probabiliorem* et sane merito. Secunda nonnullorum intelligit de electoribus, qui non ignorent, illum esse excommunicatum. Tertia fuit Salmanticensium *de Cens.* cap. 3. n. 163.. qui censent, requiri ad id scientiam tum in electoribus tum in electo: quam sententiam s. Alph. dicit *probabilem.*

Sed non est idonea haec Salmanticensium resolutio, dum in *electoribus* scientiam requirunt mere ob paucorum auctoritatem, in *electo* autem ob vim rationis intrinsecae; etenim haec ratio resolvendi quaestionem de intelligentia textus inter duas partes ferri nequit.

Sequamur ergo s. Alph. aliosque, qui ad electum referunt textum. Qua de re Schmalzgr. l. c. n. 204.: « Vox *scienter* male applicatur ad electores: nam quando electores ignari ad beneficium eligunt excommunicatum excommunicatione minore, electio alias venit *irritanda ob subreptionem:* igitur nihil speciale constituisset hic textus, si constituisset irritandam electionem factam ab electoribus scientibus.

Quare melius Palaus et Croix vocem *scienter* applicant ad electum, ita ut sensus sit, irritandam electionem, si facta sit de excommunicato suae excommunicationis conscio ; secus si facta sit de suae excommunicationis ignaro: et ratio est, quia stante ignorantia excommunicationis in electo, iste, licet in re privatus sit sacramentorum participatione, ab huius prohibitione excusatur ob ignorantiam; merito igitur illius electio sustinetur ».

Unde resolves.

XLIX. 1. Cum iura dicunt, communicantem cum excommunicato incurrere similem excommunicationem, sensus est, quod similiter id est vere excommunicetur, licet minore.

230. Explicatur, quo sensu dicatur, in iure ob communicationem cum vitando, *similem* incurri excommunicationem; scil. *similiter* excommunicari, sed minori excommunicatione.

L. 2. Propter communicationem cum excommunicato minore excommunicatione, etiam nominatim denunciato, nulla incurritur censura.

231. Asseritur, quod certum est penes omnes, communicationem cum innodato Minori excommunicatione, etiam nominatim denunciato, nulla censura puniri.

LI. 3. Etsi excommunicatus minore excommunicatione, recipiendo aliquod Sacramentum, non incurrat irregularitatem, graviter tamen peccat: administrando vero, probabile est nec venialiter peccare.

232. Triplicem partem habet haec resolutio: 1ª est, quod si suscipiat sacramenta, graviter peccet: 2ª quod irregularitatem tamen non incurrat: 3ª quod sacramenta administrando probabiliter ne peccet quidem venialiter.

Et quoad primam et secundam partem doctrina communis est et certa et aperte continetur in cap. *Si celebrat* fin., *de Clerico excom.*: « Si celebrat minori excommunicatione ligatus, licet *graviter peccet*, nullius tamen notam irregularitatis incurrit, nec eligere prohibetur, vel ea quae ratione iurisdictionis sibi competunt, exercere » (vid. Schmalz. lib. 5. tit. 39. n. 198.).

Addit heic Schmalzgr. ibid. n. 199., sacramenta nihilominus ab eo suscepta secundum DD. omnes esse valida; idemque dicendum de sacramento Poenitentiae, si in eo recipiendo nullam culpam committat, v. gr. vel quia se hac censura ligatum esse nescivit, vel si scivit, postulavit ab ea prius absolvi, quam a peccato, quod tamen sacerdos vel ex malitia, vel ex ignorantia non praestitit. Et rationem reddit, quia Ecclesia, dum sacramentorum perceptionem prohibet, non tamen irritat, neque huius irritationis ullum in iure fundamentum inest etc.

Sed haec nullius revera sunt momenti; tum quia haec pari modo dici possunt de innodato excommunicatione maiori; tum quia non est in Ecclesiae potestate irritare sacramenta.

233. Maior difficultas est in tertia parte, scil. hunc sacramenta administrando ne venialiter quidem peccare.

Nam quod non peccet mortaliter, communissime admittitur. Ratio (inquit Schmalzgr. l. c. n. 200.), quia licet indecens sit, ut is conferat sacramenta, quibus ipse tanquam indignus privatus est; indecentia tamen haec probabilius non attingit peccatum mortale et arguitur ex cit. cap. fin. *de Cler. Excomm.*, ubi Pontifex de eo, qui in minori excommunicatione celebrat dicit graviter illum peccare; de eo autem, qui in eadem censura confert sacramenta, tantum dicit peccare, omittens adverbium *graviter,* quasi manifeste indicans, in collatione sacramentorum grave peccatum non esse. « Peccat (ita textus) autem conferendo ecclesiastica sacramenta: sed ab eo collata virtutis non carent effectu, cum non videatur a collatione sed participatione sacracramentorum (quae in sola consistit perceptione), remotus ».

At quod ne venialiter quidem hic peccet, affirmant quidem quin et contendunt graves DD., uti Suarez (*de Cens.* disp. 24. sect. 2. n. 12.), Filliuccius tract. 13. cap. 2. n. 22., Bonacina (*de Cens.* disp. 2. q. 3. n. 4.) et alii a Bonacina allegati, quos sequuntur Salmanticenses (*de Cens.* cap. 3. n. 161.) et etiam s. Alph. non negat probabilitatem huius opinionis. Rationem autem breviter indicat Bonacina, quod nempe haec excommunicatio non privat *activa*, sed *passiva* sacramentorum participatione.

Veruntamen diffiteri non possum, durum esse, quod ne venialiter quidem peccare hic censeatur, quando textus clare dicit: *Peccat autem conferendo ecclesiastica sacramenta.*

Reponit Bonacina cum aliis post Suarez et Filliuccium, peccare illum non quia confert, sed quia recipit sacramenta, nempe quia si Eucharistiam inter Missam celebrandam distribuat, debebit et ipse percipere Eucharistiam, quae illi est interdicta.

Sed responsio huiusmodi satis videtur difficilis. Quorsum enim *generatim* Pontifex affirmaret, illum peccare sacramenta administrando, quando id verum foret dumtaxat per accidens in distributione Eucharistiae et quidem si haec inter Missam contingat?

Suarez l. c. n. 9. et alii post eum arguunt ex verbis textus: *Cum non videatur a collatione, sed a participatione sacramentorum remotus.*

At advertendum, haec ibi dici ad evincendum, sacramenta ab eo collata *non carere effectu virtutis* (vid. text. sup.) ad quod nihil pertinet, num peccet nec ne, qui ea confert, sed utique pertinet, an

valide conferat. Ergo verba illa, *Cum non videatur remotus* etc. ad validam administrationem referenda sunt; adeo ut haec maxime referantur ad administrandum sacramentum poenitentiae, ad cuius validitatem requiritur iurisdictio. Et sic sensus cohaerebit cum praecedentibus (vid. text. sup.), ubi Pontifex dixerat, irregularem non fieri, si ea, quae ratione iurisdictionis sibi competunt, exerceat.

Ceterum haec quaestio non est tanti momenti, ut valde intersit diutius illi immorari.

LII. 4. Incurritur haec censura, etsi quis propter levitatem materiae tantum venialiter peccet, v. gr. confabulando nominatim cum excommunicato, quando non licet: secus si sit veniale propter imperfectum usum rationis; quia poena infligitur propter actum, qui, quantum est ex se, sufficit ad mortale.

234. Mere traditur heic, hanc censuram incurri ob culpam quoque venialem, dummodo talis sit non ex actus imperfectione, sed ex materiae levitate. Vid. Suar. *de Cens.* disp. 24. sect. 3. n. 3.

« Ad hanc poenam imponendam (inquit Suarez ib.) sufficiens existimata est culpa venialis... ut ipsa excommunicatio maior magis timeatur et ne facile homines auderent communicare cum excommunicatis ».

« Hoc intelligendum censeo (ait idem Suar. l. c.) de peccato veniali ex levitate materiae, ut quia communicatio parva est, in aliqua salutatione aut colloquio aut communi mensa; at vero si peccatum sit veniale ex imperfecta deliberatione et advertentia, probabilius mihi videtur, tunc non incurri censuram: quia ille non est actus perfecte humanus et consequenter illa non est inobedientia neque contumacia proprie dicta, sine qua non incurritur censura, servata proportione ad eius causam et materiam » (cf. sup. n. 84.).

LIII. 5. Etsi peccatum veniale possit omitti in confessione, non tamen illud, cui haec censura est annexa, ne Sacramentum in ea recipiatur. Unde etiam Confessarii ordinarie prius absolvunt fideles ab omni vinculo excommunicationis, etiam minoris, deinde a peccatis.

235. Veniale illud, ob quod contraxerit quis censuram, ideo explicandum in confessione, quia nosse debet confessarius necessitatem praemittendi absolutionem a censura, non autem quasi evadat necessaria materia confessionis. Cumque absolutio a censuris dari possit, uti vidimus, extra confessionem, proinde posset quispiam, absolutione a censura extra sacramentum obtenta, veniale illud in confessione omittere.

LIV. 6. Ab hac excommunicatione lata a iure absolvere potest Parochus et quisquis potest a mortalibus; cum non sit reservata. An vero qui potest absolvere a veniali habente annexam hanc excommunicationem, possit etiam ab ipsa, quidam affirmant, ut

Navar. et Tolet, et alii probabilius negant, ut Suarez, Coninck.; quia sicut haec absolutio est distincta a Sacramentali, ita etiam ad eam requiritur distincta iurisdictio, quae nusquam conceditur omnibus Sacerdotibus. V. Laym. l. 1. t. 5. p. 2. c. 3.

236. Monet Suarez (*de Censur.* disp. 24. sect. 4. n. 1.) distingui oportere, num haec excommunicatio a iure sit an ab homine.

Nam si sit ab homine, solus ipse, qui eam tulit, absolvere ab ea potest vel eius superior, vel qui ab eis habet potestatem delegatam. Ratio, quia eiusdem est solvere, cuius fuit ligare atque, ut aiunt iuristae, mitius agitur cum lege, quam cum homine; nam hoc ad severitatem iudicii et humanae gubernationis necessarium est.

Hoc tamen intelligitur de hac censura per sententiam particularem. Nam de illa, quae fertur per generalem, probabile est, idem esse de illa iudicium, quod de lata a iure. Ita Suarez *de Cens.* disp. 24. sect. 4. n. 1. qui observat, alioquin hanc censuram ab homine a *praxi* abesse.

Si vero censura haec sit a iure, ex omnium sententia certum est, in foro quidem externo posse absolvere, quisquis in eo iurisdictionem habet: in foro autem interno poenitentiae absolvere posse Episcopum vel proprium sacerdotem, ut aperte docetur in cap. *Nuper*, *de Sent. Excomm.* ubi de eo, qui excommunicato communicat in oratione, vel osculo etc. Pontifex respondet: « A suo Episcopo vel a proprio sacerdote poterit absolutionis beneficium obtinere ».

Nomine autem proprii sacerdotis heic intelligitur non solum qui ordinariam potestatem habet, ut parochus, sed etiam qui delegatam, ut omnes arguunt ex cap. *Omnis utriusque* sexus 12. *de Poenit. et Remiss.* Proinde cum delegatur alicui potestas absolvendi a peccatis, eo ipso conceditur ipsi facultas absolvendi a minori excommunicatione, utpote quae absolutioni peccatorum est praemittenda; concesso enim uno, concessum censetur et alterum, sine quo commode illud unum praestari non potest (Schmalzgr. h. t. n. 205.).

Quinimo tum Suarez *de Cens.* disp. 24. sect. 4. nn. 3. et 4.), tum Schmalzgr. h. t. n. 205. recte monent, ab hac excommunicatione parochum posse absolvere, etiamsi hic sacerdos non sit; quia haec absolutio non est actus Ordinis, sed iurisdictionis, quae parocho etiam nondum sacerdoti competit.

Nec obstat, quod in cit. cap. *Nuper* dicatur, dandam esse absolutionem a proprio *Sacerdote;* id enim dictum est, non quia necessario, sed quia frequentius parochus est sacerdos, sicut etiam sub nomine Episcopi non solum consecratus, sed etiam non consecratus et qui iurisdictionem habet quasi episcopalem intelligitur.

237. Sed quaestio fit, an ab hac censura absolvere possit etiam simplex sacerdos, qui solum potest absolvere a venialibus (*de Poenit.* Vol. V. 335.).

Et communius quidem DD. apud Schmalzgr. h. t. n. 207. negativam sententiam habent uti probabiliorem. Rationes tamen non videntur valde efficaces. 1ª est, quod absolvere debeat sacerdos *proprius;* at in casu absolvere posset et *alienus.* — Quae ratio infirma est; quia sicut cum quis confitetur etiam mortalia extra dioecesim, id facit ex *proprii* tacita facultate, quae iurisdictionem communicat; ita in casu dicendum foret de confessione venialium etc.

2ª est, quod facultas absolvendi a peccatis distincta sit a facultate absolvendi a censura, quae postrema non competit, nisi cui concessa sit vel a iure vel ab homine: a iure autem soli *proprio* sacerdoti conceditur. Sed neque haec ratio est firma satis; reponi enim potest *ad hominem* (vid. sup. n. praec.) concesso uno, concessum censeri et alterum, sine quo illud unum commode praestari non potest; porro nec absolutio a venialibus impertiri potest non sublata illa censura. Ergo.

Alii defendunt oppositam, qui idcirco et suam opinionem probabiliorem habent.

Salmanticenses *de Cens.* cap. 3. n. 166. utuntur hoc principio s. Thomae in 4. disp. 18. q. 2. art. 5. q. 1.: « A minori excommunicatione quilibet potest absolvere, qui potest absolvere a peccato participationis ». Ergo ex s. Thoma *proprius* sacerdos in ordine ad absolvendum ab hac censura est quisquis potest absolvere a peccato participationis seu communionis cum excommunicato. Ergo si haec participatio non excedat venialem culpam, poterit absolvere a censura quisquis a veniali culpa potest absolvere, nempe quilibet sacerdos. Vid. apud eosdem Salmantic. ibid. n. 168. DD., qui vel huic opinioni adhaeserunt, vel ipsam saltem probabilem censuerunt.

Diana, Armilla, et Felinus apud Salmantic. ibid. n. 168. addunt, quod licet excommunicatio minor contracta fuisset ob peccatum mortale, v. gr. ob communicationem in Sacris cum vitando, absolvi tamen a simplici sacerdote posset; quippe excommunicatio minor, quae censetur poena levis, per se levi culpa potest contrahi et sic potest absolvi ab habente potestatem absolvendi a culpa levi, etiamsi per accidens ex culpa gravi contrahatur. Ita Salmanticenses.

Additur apud Diana tom. 5. tr. 1. res. 182. n. 3. paritas, « sicut etiam proprius sacerdos et confessarius ordinarius possunt ab illa absolvere, quamvis sic excommunicatus habeat alia peccata reservata, a quibus non possunt absolvere, ex eo quod, quantum est ex se, possunt absolvere a peccato, ob quod fuit incursa excommunicatio ».

Dub. III.

Quos effectus habeat Excommunicatio Maior.

LV. Respond. Habet duplices, mediatos et immediatos.

Mediati sive remoti sunt hi:

1. Irregularitas, quam excommunicatus incurrit, exercendo actum alicuius ordinis.

2. Si excommunicatus toto anno in excommunicatione contumaciter persistat et, ut iura loquuntur, insordescat, fit suspectus de haeresi et contra eum, ut talem, procedi potest, ex Trid. sess. 25. c. 3. ideoque, si crimen grave et beneficii privatione dignum commisit, privandus est beneficio; imo, etsi crimen non sit adeo grave, si tamen ad haeresis suspicionem purgandam citetur, tanquam haereticus privari debet. Bonac. d. 2. q. 2. p. ult. ex Rebuff., Dian., Nav. etc.

238. Excommunicationis maioris, non secus ac minoris (ut vidimus), effectus alii *mediati*, alii immediati distinguuntur, qui etiam *remoti* ac *proximi* dici solent.

Et mediatos quidem seu remotos, duos tantum Auctor enumerat, irregularitatem nempe ob Ordinis exercitium et haeresis suspicionem ob contumacem in excommunicatione per annum persistentiam: duo alii tamen addi possunt, nempe *probatio delicti* seu *causae*, ob quam lata est excommunicatio et *privatio beneficiorum* quam et A. innuit. Pauca de singulis.

Et quoad irregularitatem, quam incurrit quisquis maiori excommunicatione innodatus exercet actum alicuius Ordinis, v. gr. celebrando Missam, conferendo sacramenta Confirmationis, Poenitentiae, Extremae Unctionis etc., plenius, dicetur, ubi de Irregularitate.

Quoad suspicionem haeresis, quam incurrit ille, qui toto anno in excommunicatione contumaciter persistat seu insordescat, haec ratio redditur, quia hic praesumitur male sentire de potestate Ecclesiae, dum nihil curat tum de censuris ab ipsa latis, tum de sacramentis, quae contra Ecclesiae praecepta de annua eorum susceptione, ab eo omittuntur. Vid. Bonac. *de Cens.* disp. 2. q. 2. p. ult. n. 2. et Suarez *de Cens.* disp. 17. sect. 1. n. 6.

239. Insordescere autem, ut ait s. Alph. n. 157., est per annum animo pertinaci et cum contemptu potestatis Ecclesiae perseverare in eadem excommunicatione. Quae sumpta sunt ex Tridentino aiente sess. 25. *de Ref.* cap. 3. in fin.: « Si obdurato animo, censuris annexus in illis per annum insorduerit, etiam contra eum, tanquam de haeresi suspectum, procedi possit ».

Et ex his quidem Tridentini verbis ansam sumpsit Croix lib. 7. n. 287. extendendi hanc Synodi sententiam etiam ad eos, qui alia minori censura innodati insordescant in ipsis: quam opinionem adoptavit et s. Alph. n. 157. dicens, Croix id evincere ex Tridentino.

Sed admitti id non debet; quia Tridentina Synodus expresse verba facit de *excommunicato,* quem forte dicit in contextu *censuris annexum,* eo quod aliis censuris fieri potest ut sit obnoxius aut pluribus excommunicationibus, vel quia usurpat genus pro specie. Ceterum clarus est Tridentini contextus (l. c.): « *Excommunicatus vero quicumque*, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad sacramenta et communionem fidelium ac familiaritatem non recipiatur: sed si obdurato animo, censuris annexus, in illis per annum insorduerit, etiam contra eum, tanquam de haeresi suspectum, procedi possit ». In quibus patet, nomen *excommunicatus quïcumque* illud esse, quod cum verbo *insorduerit* nectitur, non secus ac cum praecedenti *non resipuerit.*

240. Ex hoc porro Tridentini textu aliud dubium exoritur, an ad quemlibet casum hominis utcumque excommunicatione innodati haec Synodi dispositio spectet.

Qua de re illud in primis constat, Synodum loqui generatim de iis, qui ob contumaciam contra iudices ecclesiasticos in quapiam causa civili seu criminali, personali aut reali, excommunicati fuerint *nominatim* et nihilominus etiam contra excommunicationis sententiam contumaces per annum perstiterint.

Proinde hanc doctrinam sic proponit Covarruvias in c. *Alma* part. 1. §. 7. n. 10.: « Quarto est considerandum, contumacem in excommunicatione, quacumque ex causa reum factum, per anni tempus, suspectum haeresis ex hoc fieri ».

Praemiserat autem Covarruvias, de quo contumaci ageret, hisce verbis (n. 10. init.): « Conventus super crimine sive civiliter sive criminaliter, ob contumaciamque excommunicatus et in eadem excommunicatione per annum perseverans, convictus censetur etc... Unde aliquot hîc proponam, quae vel deducantur ex hac conclusione, vel ad eius faciliorem intellectum necessaria sint ». Et dein quarto loco habet ea quae exscripsimus.

Et clarius Sayrus *de Censur.* lib. 2. cap. 10. n. 10.: « Quacumque de causa civili vel criminali excommunicatus et in ea contumaciter per annum perseverans nec absolutionem procurans, praesumitur suspectus de haeresi non solum secundum iura antiqua, sed etiam secundum Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 3. *de Reform.* ».

Et Marius Alterius *de Cens.* lib. 2. disp. 8. cap. 3. manifeste rem exponit, dum titulum hunc capiti illi tertio praefigit: « de duodecimo effectu Excommunicationis, An accusatus super crimine et ob contumaciam excommunicatus, si per annum in ea perseveret, censendus sit de crimine convictus et an suspectus haberi debeat de haeresi ». Quae gemina habes apud Ugolinum *de Censuris* tab. 1. cap. 14. §. 3. nn. 3. 4.

Similiter et Navarrus allato Tridentini decreto, subdit in rem nostram: « In quibus (scil. Tridentini verbis) novem praecipue notanda videntur. Primum quod solus Episcopus potest ferre eiusmodi excommunicationes generales. Secundum, quod in causis civilibus nullus iudex debet uti excommunicatione, nisi in subsidium aliorum iuris remediorum, neque in criminalibus, nisi cum exsecutio personalis vel realis fuerit valde difficilis. Tertium quod insordescens IN EA per annum habetur de haeresi suspectus ».

Adde, DD. (vid. Suarez *de Cens.* disp. 17. sect. 1. n. 6.) in hoc decreto Tridentino videre extensionem, ad alios hos casus factam, decreti, quod exstat in cap. *Cum contumacia*, *de Haereticis* in 6°, circa suspectos de haeresi ob contumaciam excommunicatos: « Cum contumacia, in causa praesertim fidei, suspicioni praesumptionem adiiciat vehementem : si suspectus de haeresi revocatus a vobis, ut de haeresi respondeat, excommunicationis vinculo (pro eo quod parere subterfugit aut contumaciter se abstentat) per vos fuerit innodatus, quam *si* (hoc vocabulum redundat atque abest in antiquioribus editionibus et codicibus) per annum animo sustineat pertinaci, ex tunc velut haereticus condemnetur ». Ubi patet, agi de excommunicato nominatim denunciato.

241. Porro illud est advertendum, quod, nisi in foro externo legitime constet, aliquem esse excommunicatum, nequit sane is in eodem foro tractari ut excommunicatus aut suspicio de eius animo haeretico concipi et procedi contra ipsum veluti contumacem adversus censuram. Ergo oportet, ut hic prius sit per sententiam iudicis nominatim excommunicatus vel sit *declaratus* excommunicatus. Quod et canon mox citatus significat.

Perperam tamen hunc locum intelligit et applicat Bonacina *de Cens.* disp. 2. q. 2. p. ultim. n. 2., quasi intercedere debeat nescio quae declaratio excommunicationis, quando iam supponitur *nominatim* excommunicatus: « Observa tamen (inquit), excommunicatum persistentem per annum completum in excommunicatione, non statim condemnandum esse tanquam haereticum; quia contumacia per annum in excommunicatione non inducit certam haeresis probationem, sed praesumptionem, quam ipse excommunicatus purgare tenetur; quamobrem si contumax in excommunicatione citetur ad purgandam praesumptionem haeresis ob persistentiam unius anni in excommunicatione, tenetur comparere; alioquin ob contumaciam *declarari potest excommunicatus;* et si in hac excommunicatione iterum per annum perstiterit, condemnandus est tanquam haereticus ». Profecto non *declarari* potest aut debet excommunicatus (quod iam contigerat), sed alia excommunica-

tione plecti debebit, siquidem huc revocare velimus doctrinam cap. *Cum contumacia* sup. cit.

Advertit tamen Schmalzgrueber lib. 5. tit. 39. n. 195., quod haec haeresis suspicio sit *levis*, utut sufficiat ad indicendam purgationem : « Haec suspicio levis est : sufficit tamen ad indicendam purgationem ; quam si subire noluerit, citari iterum debet sub poena excommunicationis. Si vero post huiusmodi citationem adhuc parere neglexerit et in contumacia per annum perseveraverit nullo allegato impedimento, ut haereticus condemnari debet c. *Cum contumacia de Haereticis* in 6° ». Ubi adverte, quanto melius applicetur cap. *Cum contumacia* rei nostrae, quam applicaverit Bonacina.

242. Quoad tertium mediatum effectum, quae est *probatio seu convictio de crimine*, ita Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 196.: « Alter effectus est probatio delicti seu causae, ob quam lata est excommunicatio. Nam qui ob causam civilem vel criminalem a iudice excommunicatus est et in ea excommunicatione per annum perseverat, nullo ostenso impedimento aut satisfactionis signo, pro convicto et confesso haberi debet ex can. *Rursus* et seq. Caus. 11. q. 3.; quia ea contumacia iuris fictione reputatur confessio. Permittitur tamen ipsi, ut allegare et probare innocentiam suam possit ».

Supponitur nempe casus, de quo sup. nn. 239. seq., quod quispiam pro causa aliqua civili vel criminali citatus, renuat comparere eamque ob contumaciam excommunicatione percellatur. Si per annum iste in ea excommunicatione insordescat, convictus censetur de crimine seu de causa, ob quam primitus fuerat citatus.

Addunt DD. cum Schmalzgr. = *si nullum afferat impedimentum seu satisfactionis signum* = Nam, ut monet Suarez *de Cens.* disp. 17. sect. 1. n. 9. « animadvertere (iudices) debent, ut haec permanentia in excommunicatione ex contumacia orta sit ; nam si proveniat ex aliqua impotentia vel ignorantia idque probabile in iudicio fiat, non debet illa poena puniri... ».

Quod addit autem Schmalzgr. sup. n. 371., permitti reo, ut probare innocentiam suam possit, Suarez quidem l. c. n. 7. ex citatis can. Caus. 11. q. 3. restringit, ut ea innocentiae probatio fieri debeat intra annum excommunicationis ; quo elapso nulla concedatur audientia. Secus tamen Bonacina *de Cens.* disp. 2. q. 2. p. ultim. n. 2.: « Legitime impedito non currit tempus : ideo si excommunicatus, anno elapso, ante condemnationem appareat in iudicio ad probandam innocentiam, audiendus est etiam ad vitandam bonorum confiscationem : imo etiam post condemnationem audiri debet ad probandam innocentiam, eâque probata seu cognita, revocanda est sententia quoad poenas corporis et

infamiae, quia deficit contumacia requisita in cap. *Cum contumacia* » (sup. 370.). Quae tamen postrema Bonacinae verba videntur innuere, sermonem esse de illo, qui intra annum ob impedimentum non comparuerit et sic cum Suarezio conciliabitur. Sed haec innuisse sufficiat.

243. Quoad *privationem* denique *beneficiorum* (quod locum habet solum si agatur de personis ecclesiasticis), Auctor duo habet:

1° Contumacem in excommunicatione per annum, privandum esse beneficiis, siquidem crimen, ob quod in antecessum fuerat citatus, privatione huiusmodi dignum erat. Et ratio patet; quia ex dictis contumacia in excommunicatione inflicta propter praecedentem contumaciam non respondendi seu obediendi citationi, efficit, ut iste censeatur *convictus et confessus de crimine*, propter quod fuerat citatus. Si crimen ergo illud promerebatur beneficii privationem, facile intelligitur, cur dicatur beneficii privandus.

2° Addit Auctor, quod licet crimen per se non mereatur beneficii privationem, tamen si quis citatus fuerit ad purgandam haeresis suspicionem, privari tanquam haereticus beneficiis debebit. Cuius doctrinae ratio ibidem ex dictis patet. Nam si quis citatus ad purgandam haeresis suspicionem et ob comparendi renitentiam excommunicatus, per annum in ista excommunicatione insorduerit, iam convictus et confessus censetur de crimine, ob quod citatus fuerat; ergo convictus censetur de crimine haereseos: damnari ergo potest tanquam haereticus atque adeo beneficiis quoque privari.

244. Addendum est hisce illud, quod notat Suarez *de Cens.* disp. 17. sect. 1. n. 7., nullum in iure inveniri fundamentum illius sententiae, quae quibusdam placuit, nempe insordescentem per annum in excommunicatione generatim ipso facto seu iure manere beneficiis privatum.

Quoad privationem vero sententia iudicis decernendam, nihil pariter (ut notat idem Suarez l. c. n. 9.) certo iure statuitur; praeter illud, quod deducitur ex cap. *Cum bonae, de Aetat. et qualit. et ordine praeficiendorum*, ubi suspensus pro contumacia et in suspensionem per triennium perseverans, beneficiis, quae antea habebat, privari praecipitur. Ubi tamen tempus illud triennii non praecise praescribitur, sed solum, quia nimia fuerat contumacia, digna illa poena declaratur. Ex quo insinuatur, quoties pertinacia fuerit *nimia*, etiamsi ad illam durationem non attingat, posse illa poena puniri.

« Unde Suarez l. c. quoad contumaciam quidem triennalem censet, ad officium iudiciis pertinere, ut poenam illam infligat et hoc sub obligationem cadere.

« Infra illud vero tempus (pergit Suarez) opinor, rem esse arbitrariam et posse quidem iudicem privare excommunicatum insordescentem

per annum vel ultra suis beneficiis, praecise ob tantam pertinaciam propter dictas coniecturas ex iuribus desumptas, adiuncta communi interpretatione et opinione... Quia tamen hoc arbitrarium est et non lege statutum, non videntur teneri iudices in conscientia ad id semper exsequendum; nam tales possunt circumstantiae occurrere, ut prudenter iudicent non expedire aut non esse aequum, talem poenam imponere ».

Quae omnia sic breviter expressit Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 197.: « Excommunicatus triennio perseverans in excommunicatione indurato animo, a iudice privari debet beneficiis omnibus; quia indignus est ut fructibus Ecclesiae gaudeat, qui adversus illam ita rebellis exsistit et ita fecit Pontifex cap. *Cum bonae, de Aetat. et qualit.* Ob annalem perseverantiam etsi possint iudices hanc poenam privationis beneficiorum irrogare, non tamen tenentur; quia nuspiam cavetur in iure haec obligatio ».

LVI. Immediati effectus sunt sequentes:

1. Privat susceptione, et usu passivo sacramentorum: unde nullus excommunicatus, sive toleratus sive non, potest ea licite recipere sub mortali, nisi excuset ignorantia invincibilis, metus mortis, infamiae, iacturae bonorum etc.; quia censura non obligat cum tanto rigore. Laym. l. 1. t. 5. p. 2. c. 2.

Dixi, licite; quia valide suscipit omnia, saltem quoad substantiam, praeter Poenitentiam, imo etiam hoc, si adsit ignorantia inculpabilis, dummodo cetera ad essentiam Sacramenti requisita non desint; quia per censuram non fit incapax absolutionis, nisi prohibeatur eam recipere, priusquam absolvatur a censura. Bon. d. 2. q. 2. p. 2. ex Fill. Suar. Coninc. etc. Nec obstare, etiamsi excommunicatio sit reservata, vel confessarius sciens peccata habere annexam excommunicationem, tamen ex malitia absolvat, docet Dian. p. 3. t. 4. r. 78. ex Conin. Suar. etc. et p. 5. t. 9. r. 53.

245. Doctrina Auctoris, quae prima parte quoad liceitatem continetur, communis est quoad omnia et singula capita.

Et quod 1° excommunicatus, *etiam toleratus*, a suscipiendis sacramentis arceatur, adeo ut graviter peccet violando hanc prohibitionem, non solum ex textibus iuris constat, sed ex eo etiam patet, quod a sacramentis interdicatur etiam minori tantum excommunicatione innodatus; a fortiori ergo, qui maiori subiacet excommunicationi. — Interdicti autem ratio est, quia qui contumax est Ecclesiae praeceptis, merito repellitur ab ipsius maximis bonis participandis (Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 128.).

Itidem 2° communiter recipitur *exceptio* de periculo mortis, mutilationis, infamiae, gravis iacturae bonorum etc.; quia, ut inquit A., *censura non obligat cum tanto rigore*, seu (quod idem est) quia lex ecclesiastica non censetur ita rigide obligare et cum tam gravi incommodo. S. Alph. ad h. l. n. 158. excipit, *nisi fiat in contemptum*

Ecclesiae; in quo nemo dissetiet, cum constet, contemptum nunquam non censeri gravem culpam.

Ceterum licet excommunicatus gravi culpa se obstringat, si ad sacramenta accedat, non tamen ex tali illicita receptione poenam ullam incurrit, ut cum communi advertit Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 128., et s. Alph. n. 160. not. II.

Excipiendus nihilominus excommunicatus, si recipiat sacramentum Ordinis (inquit s. Alph. n. 160. not. II.), quippe remanet suspensus ex cap. *Illorum, de Sent. Excomm.*

Quae verba s. Alph. accipienda sic sunt, quod maneat quis suspensus non quidem *generatim*, sed quoad illum ordinem, quem innodatus exsistens excommunicatione recepit (Schmalzgr. l. c.).

Ita cap. *Cum illorum* 32. *de Sent. Excomm.*: « Si autem hos (excommunicatos) ad ordines promoveri contingat, iuxta praemissam distinctionem, qui scienter in contemptum ecclesiasticae disciplinae se fecerint ordinari, ab *exsecutione* SUSCEPTI *ordinis* et officii decernimus manere suspensos » (a).

Quo in textu cum nulla iniiciatur mentio *irregularitatis*, merito s. Alphonsus lib. 6. n. 799. post Suarez, Benedictum XIV. etc. concludit, excommunicatum, qui sacrum ordinem suscipiat, non incurrere irregularitatem, nisi forte in ipsa Missa ordinationis tunc exerceat ordinem mox receptum, v. gr. canendo epistolam vel evangelium (b).

246. Quandoquidem autem peccat excommunicatus recipiendo sacramenta, antequam absolvatur, eo ipso (ut habet et s. Alph. n. 160. not. I.) peccat minister, qui scienter sacramenta illi administret.

Veruntamen si recipiens sit excommunicatus *toleratus,* peccaret quidem minister contra ius divinum, dando sacramenta indigno; sed non peccaret contra legem Ecclesiae (quae scilicet includitur in sententia excommunicationis); quia per Concilium Constantiense cuique permissum est communicare cum tolerato etiam in divinis. Ita s. Alph. allegans cum communi Suarez, Vasquez etc.

Hoc tamen non impedit (pergit ibid. s. Alph.), quominus, si excommunicatus, cum ignorantia inculpabili et alias dispositus, petat sacramenta, licite possit minister ea ipsi conferre, illum in bona fide relinquendo.

Quod si accedat ad sacramenta excommunicatus *non toleratus* sed *vitandus ;* qui aliquod sacramentum huic administret, non modo

---

(a) Inter suspensiones Const. *Apost. Sedis* haec suspensio latae sententiae non occurrit. — E.

(b) Sed neque hic, ut suo loco videbimus. — E.

graviter peccat, sed insuper incurrit excommunicationem et interdictum quoque ab ingressu Ecclesiae. Ex cap. *Episcoporum* 8. *de Privilegiis* in 6° (a).

Et quidem si a Pontifice nominatim excommunicati et denuntiati fuerint, clericus id sciens et sacramenta iis sponte et libere conferens incurrit excommunicationem Papae reservatam, ex cap. *Significavit* 18. h. tit., et Clem. 3. eod. tit. (b).

Accedet suspensio ab officio, sed ferendae sententiae, si excommunicatus fuit ob haeresim, aut quia fautor istorum fuit, nec restituendus est officio absque Papae dispensatione, ex cap. *Excommunicamus* §. *Credentes*, *de Haereticis* (Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 128.).

247. Addit heic s. Alphonsus lib. 7. n. 160. not. III.: « Notandum 3° quod in articulo mortis probabilius potest ministrari excommunicato vitando Eucharistia, etsi ipse sacramentum Poenitentiae non suscepisset, ut Croix cum Suarez et Dicastillo contra Avilam etc.: quia praeceptum divinum de viatico sumendo fortius obstringit, quam prohibitio generalis Ecciesiae non sumendi Eucharistiam. Idem ait Croix de sacramento Extremae Unctionis, citans Suarez et Dicastillum: sed probabilius negant Avila etc. iuxta dicta lib. 6. n. 88., nisi infirmus non potuerit aliud sacramentum recipere ».

Verum s. Alphonsus non videtur advertisse, quod Croix lib. 7. n. 201. et Suarez cum Dicastillo, Palao et Avila allegati ab eodem Croix, non disputant de sacramentis conferendis alicui excommunicato vitando, sed de sacramentis, quae quispiam in casu necessitatis petere et recipere possit a sacerdote nominatim excommunicato et vitando; quae quidem quaestio inferius tangetur, ubi de privatione *usus activi* sacramentorum. Ita et Suarez *de Cens.* disp. 11. sect. 1. nn. 17. 23., et Palaus *de Cens.* disp. 2. punct. 8. nn. 5. 8., et Dicastillus *de Sacram.* tract. 1. disp. 3. n. 305., tract. 8. disp. 10. dub. 13. et. 14. et tract. *de Censuris* disp. 2. dub. 32. a Croix allegati.

Quinimo (quod mirum videbitur) s. Alphonsus quoque in loco illo, ad quem lectores remittit lib. 2. n. 88. eandem, ac Croix et Suarez et reliqui, quaestionem facit, nempe: « An liceat petere sacramenta a ministro indigno..., qui sit excommunicatus vitandus ».

Ex mera igitur inadvertentia repeti debent tum solutio quaestionis tum allegationis s. Alphonsi quoad excommunicatum vitandum, qui indigeat sacramentis.

Et sane absurda est hypothesis et quaestio, an in articulo mortis

---

(a) Nunc ex Const. *Apost. Sedis* interdictum manet, cessavit excommunicatio. — E.
(b) Haec adhuc viget (Const. *Apost. Sedis* Excomm. 2. serie n. 17.). — E.

possit dari Eucharistia excommunicato illi, qui poenitentiae sacramentum non recepit etc. Etenim, ut Tridentinum habet sess. 14. cap. 7., « In eadem Ecclesia Dei semper custoditum fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis : atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt ».

Ergo si adest sacerdos, qui Eucharistiam ministrare infirmo excommunicato possit, hic potest eum tum a censuris tum a peccatis quibusvis absolvere ipsique non modo Eucharistiam sed et Extremam Unctionem sine ulla ambage conferre. Qua de re videndus Suarez (*de Cens.* disp. 10. sect. 2. nn. 6. 7.).

Magis ad rem est illud, quod subiicit s. Alphonsus in Notando IV. n. 160.: « In dubio, an quis sit absolutus an non ab excommunicatione contracta, non est negandum ei sacramentum, si ille petat, maxime si asserat, se esse absolutum; quia nemo praesumitur delinquere ». Quam doctrinam ex Suarez, Conink, Palao etc. confirmat.

248. Addit A. sacramenta omnia collata cuipiam excommunicato valida esse *quoad substantiam* et haec doctrina certa est et communis. Quocirca valida est ordinatio, vel matrimonium, quae excommunicati recipiant. — Dicitur vero *quoad substantiam;* quia utique excommunicatus reciperet v. gr. diaconatum aut presbyteratum et valide contraheret matrimonium sed non reciperet gratiam etc., imo sacrilegii reus esset etc..., cum supponatur accedere *mala fide.*

Excipitur autem *sacramentum Poenitentiae;* quia si accedit quis mala fide, non est dispositus et, deficiente dispositione, absolutio irrita est et nullum conficitur sacramentum.

Veruntamen, ut Auctor subiicit, etiam sacramentum Poenitentiae valide recipiet excommunicatus, si nempe bona fide accedat et aut ipse ex inculpabili ignorantia vel oblivione censuram non manifestat, aut sacerdos censuram peccato adnexam ignorat aut non advertit, aut etiam advertens absolvit ex malitia poenitentem, qui putat sacerdoti facultatem inesse absolvendi.

Quam doctrinam licet Sotus, Vasquez, Silvester et Hurtadus (apud Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 141.) non admiserint, quia (ut aiunt) Ecclesia excommunicatum separat a sacramentorum participatione et ceu ethnico denegat bona sua; *verior* tamen (ut ait s. Alph. lib. 7. n. 159.) et *communissima* sententia illam tenet. Ratio est (ut habet idem s. Alph. ibid.), « quia Ecclesia sacramentum Poenitentiae neque irritat ex parte ministri auferendo illi potestatem, cum censura afficiat solum censuratum, neque ex parte poenitentis, cum hoc nullibi habeatur sancitum, nec ecclesia sancire id possit, cum nequeat directe inhabiles ad sacramentum eos reddere, qui ex iure divino habiles sunt ». Quas rationes fuse exponit Schmalzgr. et oppositas diluit l. c. nn. 142.-143.

Circa obligationem quaerendi absolutionem ab excommunicatione cf. dicenda n. 261.

LVII. 2. Privat, saltem non toleratos, communibus Ecclesiae suffragiis, orationibus et fructu Indulgentiae, non tamen privatis. Unde non tantum quivis privatus, sed etiam Sacerdos potest, tanquam persona privata, pro excommunicatis orare, etiam in publicis precibus et Sacro: imo actionem sacrificandi, prout pendet a merito privato operantis, offerre, vel eius in Memento in particulari meminisse.

Dixi, tanquam privata: quia, ut minister Ecclesiae, non potest. Hinc irritae sunt ac nullae omnes preces, quas pro excommunicato in persona Ecclesiae intercedentis pro ipso, Deo offert: adeoque privatur omnibus bonis, quae in gratiam Ecclesiae Deus concessurus fuisset.

249. Distinguenda heic sunt Ecclesiae suffragia *communia* a *privatis*. *Communia* dicuntur, quae *praestantur nomine Ecclesiae*, quaeque ex publicis Ministrorum Officiis et Sacrificiis provenire fidelibus solent, itemque fructus satisfactionum, qui ex communi Ecclesiae thesauro per Indulgentias applicatur Praelatorum auctoritate.

Privata vero suffragia dicuntur, quae praestantur nomine singulorum fidelium, quo censu comprehenduntur ipsi quoque Ecclesiae ministri, ut particulares personae sunt: eiusmodi sunt oratio, eleemosynae aut cuiuslibet boni operis exercitium, et oblatio quoque actus Sacrificii, quoties privato cuiusque nomine ac privata intentione fiant.

Hisce praemissis, prima thesis Auctoris, quod excommunicatus *vitandus* privetur *communibus* Ecclesiae suffragiis, certa est penes omnes. Qua de re in cap. *Sacris*, *de Sent. Excomm.* haec habes: « Nec... sunt absolutiones vel oblationes recipiendae pro eo, vel orationes Domino porrigendae, nisi cum de ipsius viventis poenitentia per evidentia signa constiterit, et iuxta cuiusdam Constitutionis nostrae tenorem, defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur ».

Et hoc ita verum est, ut licet minister Ecclesiae velit indulgentias applicare eiusmodi excommunicatis, publicas Ecclesiae Orationes pro iis fundere, Missae sacrificium offerre secundum valorem, ab Ecclesia provenientem, applicatio nullius sit valoris, sicut nullius valoris est distributio pecuniae a servo facta contra domini voluntatem et in personas ab eo exclusas (Schmalzgr. lib. 5. tit. 39. n. 126.). Ita et Auctor noster.

Secus dicendum est de suffragiis, quae *privata* diximus; haec enim ex communi DD. sententia etiam vitandis possunt applicari. Ita et s. Thomas in 4. dist. 18. q. 2. a. 1. ql. 1. ad 1^{m}-3^{m}.

Addunt DD. (vid. Salmantic. *de Cens.* cap. 3. n. 58.), quod ista non est communicatio in bonis spiritualibus, sed actus misericordiae et eleemosynae spiritualis. Unde sicut lex excommunicationis non prohibet, quominus excommunicato exhibeamus eleemosynam corporalem, ita nec

spiritualem. Et, ut habet s. Thom. (l. c. ad 1[m]), sicut oratur pro infidelibus, ut eis detur fides, sic pro excommunicato, ut ei detur spiritus poenitentiae, ut ab excommunicatione solvatur.

250. Mota est quaestio, an *communia* suffragia liceat offerre pro vitando, si hic contritus sit et in statu gratiae.

Et fuere quidam, qui affirmarent, quos vid. apud Salmantic. (cap. 3. n. 55.) et Suarez (*de Cens.* disp. 9. sect. 3. n. 1.). Movebantur, quod praesumi non debeat, piam Ecclesiam velle privare suis bonis amicum Dei et non amplius contumacem. Et hanc opinionem dixerunt probabilem Salmantic. cap. 3. n. 55.

Sed merito s. Alph. lib. 7. n. 163. *longe probabiliorem* dixit sententiam eorum, qui suffragia pro his fieri posse negant. Et quidem pro hac sententia aperte facit textus cap. *A nobis* 28. h. t.: « Quantumcumque (inquit Innocentius III.) se quis iuramento praestito, quod Ecclesiae mandato pareret, humiliare curaverit: quantacumque poenitentiae signa praecesserint..., quamvis absolutus apud Deum fuisse credatur; nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus ». Porro, ut sup. (n. praec.) vidimus, antequam absolvatur, nec pro eo orationes porrigendae, nec recipiendae oblationes ex eiusdem Innocentii sententia dicuntur.

Et rationem reddit Suarez (*de Cens.* disp. 9. sect. 3. n. 2.), quod excommunicatio non tollitur per solam interiorem poenitentiam; manens autem semper suum effectum habet. Nec dicat quispiam manere quoad alios effectus, quoad hunc vero ex intentione Ecclesiae tolli aut suspendi. Licet enim detur, Ecclesiam potuisse hoc facere; nullo tamen canone ostendi potest, id fecisse, imo ex multis ostendi potest, sicut non tollitur censura sine absolutione, ita neque imminui et absolutionem non minus quoad alios effectus, quam quoad hunc esse necessariam. Quod Suarez ex nuper citatis Innocentii III. textibus clare evincit.

Bene autem Suarez ibid. n. 3. rationes congruentiae affert, quibus et oppositae ratiunculae dissolvuntur: « Non deerunt (inquit) congruentiae, ob quas censura hoc modo lata et perseverans, iusta sit; videlicet quia haec censura non est culpa, sed poena pertinens ad externum forum Ecclesiae: talis autem poena, quamvis propter culpam feratur, saepe durat ablata culpa coram Deo, donec in iudicio etiam Ecclesiae auferatur. — Rursus haec poena est publice et iuridice lata et ideo nec tolli nec diminui debet per privatum iudicium, donec per Ecclesiam ipsam iuridice tollatur. — Aliunde etiam multum refert ad reverentiam et timorem huius censurae, quod perseveret etiam quoad hunc effectum, quandiu per absolutionem non tollitur, ut intelligant fideles in quanto periculo versantur, quandiu hac censura ligati sunt

et maiorem semper diligentiam adhibeant, donec absolvantur. — Denique quia alias facile quis diceret, posse huiusmodi excommunicatum poenitentem occulte recipere sacramenta, vel etiam celebrare, quia est iustus et bene dispositus et per illum non stat, quominus absolvatur, ut supponimus; et maius detrimentum spirituale est privari usu sacramentorum et sacrificii, quam suffragiis communibus: cur ergo Ecclesia volet hoc detrimentum potius inferre, quam illud? Absurdum autem esset id concedere et, illo admisso, facile esset argumentum urgere in aliis effectibus. Ut ergo tota censura efficacior ac firmior esset, consultius fuit, quoad omnem suum effectum manere, donec per absolutionem tolleretur ».

Et concludit (ibid. n. 4.): « Illa interpretatio intentionis Ecclesiae ob quandam pietatis speciem, non est satis fundata, nec consonat eius decretis, ut ostensum est ».

251. Ad argumentum autem, quod quidam petebant ex sententia ab initio iniusta, bene respondet Suarez eod. disp. 9. sect. 3. n. 4.: « Aut enim sententia ita fuit iniusta, ut fuerit omnino nulla et tunc mirum non est, quod non excludat a participatione suffragiorum communium, quandoquidem nullam inducit censuram neque ligat. Aut fuit ita iniusta, ut fuerit valida et in re ipsa habens veram et subsistentem causam et talis sententia vere privat etiam participatione suffragiorum; quia et absolute simpliciter infert censuram, quam imponit... Aut talis censura ita est iniusta in re ipsa, ut tamen iuxta probationem et formam exterioris fori sit iusta, et haec etiam in re et in interiori foro nullam infert censuram, sed solum obligationem quandam abstinendi in foro exteriori...: et ideo talis etiam sententia a principio non habet vim privandi communione suffragiorum; quia cum hoc interno et invisibili modo fiat, magis pertinet ad internum, quam externum forum magisque in veritate rei, quam in praesumptione fundatur ».

Solvit deinde Suarez disp. 9. sect. 3. n. 5. obiectionem, quae petitur ex statu gratiae et caritatis, ob quem particeps quis est *Communionis* Sanctorum; porro (inquiunt) haec communio nihil aliud est, quam participatio communium suffragiorum.

« Respondetur (ait Suarez) negando minorem. Alia est enim communio Sanctorum, quae fundatur in caritate, alia vero est participatio in suffragiis, quae Ecclesia per ministros suos offert pro suis membris, ut significavit s. Thomas in 4. dist. 18. q. 2. art. 1. ql. 1. ad 2. et bene declararunt Soto et Alanus ll. cc. Nam illa Sanctorum communio non pendet ex aliqua intentione operantis, sed veluti ex natura rei seu caritatis consequitur ex solo consortio et societate bonorum; nam inde fit, ut quo singula membra meliora sint, eo totum corpus gratius habeatur

et consequenter etiam fit, ut ceteris paribus Deus maiori quadam providentia aut benevolentia unumquemque iustum respiciat propter consortium aliorum. Ab hac ergo communione non excluditur excommunicatus ex vi censurae, sed ratione culpae et ideo quamprimum culpa tollitur et ad gratiam restituitur, dicta communione Sanctorum frui incipit, etiamsi nondum a censura absolutus sit. At vero participatio suffragiorum in hoc consistit, ut sit unus ex iis, pro quibus Ecclesia directe orat et cui applicat sua merita de congruo vel satisfactiones communes, vel sacrificia aut indulgentias. Et quoad hanc participationem fit exclusio per censuram, quae non aufertur, quandiu censura manet, etiamsi culpa tollatur ». Haec eadem brevius s. Thomas loco a Suarez citato.

252. Auctor non tangit quaestionem, an *communia* suffragia fieri pro toleratis possint; rem tamen in incerto versari innuit, dum dicit ea fieri non posse *saltem* pro *non toleratis*.

S. Alphonsus lib. 7. n. 164. dicit, duplicem esse DD. sententiam et quidem utramque probabilem ac lectorem remittit ad Salmanticenses, qui Doctores pro utraque parte allegant.

Verum licet s. Doctor rationes utriusque sententiae attingat, non tangit tamen partes quaestionis, ob quas ipsi Salmanticenses (*de Cens.* cap. 3. n. 59.) difficultatem huius quaestionis dixerant *gravissimam*.

Et gravissima sane videri debet difficultas, ubi quaestio proponatur sic cum Salmanticensibus l. c.: « An pro excommunicatis toleratis, puta pro publicis haereticis, qui sunt in Germania, Anglia, Gallia et aliis publice excommunicatis... possint sacrificia, communia Ecclesiae suffragia et orationes, nomine illius, offerri ». Vel etiam sic cum s. Alph. l. c.: « An pro excommunicato tantum tolerato possint offerri sacrificia etc. nomine Ecclesiae ».

Etenim cum s. Alph. respondeat, duas esse sententias et utramque esse probabilem; Salmanticenses vero addant, sententiam affirmativam esse *probabiliorem;* eo res deveniet, ut pro notorio lutherano vel anglicano funera sollemnia et Missa et exsequiae celebrari a catholicis possint, etiam heic Romae, si quis ex istis heic obierit. Quod quam absurdum sit, nemo non videt (a).

253. * Schmalzgr. l. 5. tit. 39. n. 137. quaestionem proponit, an liceat pro excommunicato non vitando orationes publicas et Missae

---

(a) Heic desinunt adversaria Balleriniana. Quaedam tamen in sequentibus ex eius Notis aut Additionibus ad opus Guryanum, huc transferemus, quemadmodum et superius fecimus. — E.

sacrificium (quod quidem nunquam est aliquid mere privatum) offerre: duas porro et ipse refert sententias. Prior est negans; cuius ratio est, quia per Const. *Ad evitanda* nullum commodum intendit Pontifex conferre toleratis excommunicatis (n. 215.) ut idcirco ii per se, quoad poenas ipsis debitas, in eadem sint conditione, ac vitandi et discrimen solummodo ex fidelium commodo repetatur, ut nempe *multa scandala evitentur et multa pericula et ut subveniatur conscientiis timoratis*. Atqui nulla utilitas fidelium postulat, ut pro toleratis publicae preces et Missae offerantur atque scandala nedum non evitarentur sed et promoverentur, si permitterentur haec, quae non solo privatorum, sed nomine quoque Ecclesiae semper fiunt.

Hanc sententiam vocat admodum probabilem Schmalzgr.; nihilominus censet quoque non esse improbabilem contrariam, pro qua citat Henriquez, Ugolinum, Coninck, Hurtadum, Palaum, Wiestner, quae asserit licere. Ratio est, quia licet nunc fidelibus communicare cum excommunicatis toleratis in divinis, sive eos admittere ad communionem divinorum officiorum; leges autem favorabiles cum omni amplitudine sunt accipiendae: atqui nihil amplius fit, cum pro ipsis a fidelibus orationes publicae et Missae offeruntur. Nec verum est, id non cedere in favorem fidelium; « cedit enim ad sedandas eorum conscientias, ad gratiae augmentum, ad commodum illorum etiam temporale, dum pro sacrificiis, in hunc finem oblatis, stipendia sacerdotes accipiunt (l. c. n. 139.) », quod argumentum adhibet quoque s. Alph. l. c.

Addunt (ibid. ll. cc.), iure veteri non deneganda fuisse publica suffragia excommunicato occulto (c. *Cum non ab homine, de sent. Excomm.*): iure autem novo a publica et secreta fidelium communicatione solum excommunicatum vitandum excludi et manifestum clerici percussorem: ut idcirco excommunicatus toleratus perinde nunc censeri possit, ac olim occultus. At discrimen est; nam quod de occulto dicitur, redit ad communem legem nunc quoque vigentem, neminem censendum esse excommunciatum, nisi probetur. At excommunicatus toleratus certe cognosci potest ut talis.

254. Sed distinctio est certe facienda inter catholicum excommunicatum toleratum atque acatholicum. Sane etsi ut probabilis recipiatur doctrina s. Alphonsi quoad excommunicatos toleratos ex catholicis (et s. Doctor de his tantum forte loquebatur), at eam admitti posse, si de acatholicis agatur, negavit aperte s. Sedes. Cum enim, sedente Gregorio XVI., quidam Monachorum praeses in Bavaria restituti a Rege coenobii possessionem accepisset sub hac conditione, ut monachi in sua Ecclesia funus celebrare tenerentur pro Rege defuncto itemque pro Regina coniuge ac pro futuris deinde seu regibus seu reginis tum

in die obitus tum diebus anniversariis, contigerit vero mori Reginam a sacris catholicis alienam, censuit Praeses rem ita componi posse, si in funere celebrando pro persona acatholica sacrificium Missae non pro ea speciatim, sed universim pro regia catholica familia offerretur. Consultus autem Romanus Pontifex Gregorius XVI. respondit 9. Iul. 1842.: « Nos sanctissimae insistentes Ecclesiae regulis, respondemus, intentionem illam offerendi divinum Sacrificium seu alias preces pro defunctis e catholica regia familia universis, haudquaquam satis esse ad cohonestandum, publici funeris causa, quod pro acatholica persona nominatim postulatum est et in eius obitus aut annua die celebratur... Nec enim permittere possumus, ut ullo modo fraus fiat prohibitioni illi, quae in catholica ipsa doctrina innititur, de sacro funere pro defunctis acatholicis non celebrando ». Idcirco iubet, ut « conditio illa incaute suscepta, ad sola catholicorum principum funera restringatur ».

Doctrina ergo Salmanticensium ea amplitudine accepta, qua ab ipsis effertur, reprobanda est. Nec dicas perinde esse catholicum excommunicatum et acatholicum, nam si catholicus est excommunicatus quidem sed toleratus, iam ceteris fidelibus permittuntur erga eum illa, quae per se catholicis competunt: at si de acatholicis agatur, negandum est suppositum, ea ipsis competere. *

LVIII. 3. Privat usu activo Sacramentorum et administratione. Quae tamen excommunicato tolerato et ad id requisito et se non ingerenti quandoque est licita: verbi gratia, si sit Pastor, cuius subditi teneantur audire Sacrum, nec sit alius, qui celebret, imo, si etiam non Parochus forte rogetur et invitetur ad celebrandum. Ac, licet communis doctrina sit apud Laym. hic c. 4. peccare fideles, si sine causa necessitatis vel magnae utilitatis, talem inducant ad Sacramentorum administrationem, quando alius minister haberi potest; contrarium tamen est probabile ob facultatem concessam a Concilio Constant. cum talibus communicandi et hinc nec illum, qui petit a tali Sacramentum, nec ipsummet excommunicatum, si conferat, praecise ob censuram peccare. Laym. l. c. n. 5. ex Soto et Sanch. l. 7. *de Matr.* d. 9. n. 8. Idem docet Bonac. d. 2. q. 2. p. 2. §. 2. ex Vasquez, Suarez etc. Non tolerato autem illicita est Sacramenti administratio, praeterquam in casu extremae necessitatis, extra quam valide illud administrat, praeterquam poenitentiam; quia haec requirit iurisdictionem, qua ipse caret. V. Laym. hic c. 2. Bon. l. c.

255. Distinguendus est excommunicatus vitandus a tolerato. Excommunicatus vitandus illicite administrat sacramenta et Missam celebrat, etsi rogetur, quod non licet, praeterquam quod in extrema necessitate, ut in articulo mortis, cum nullus alius est, qui ministret. Censet autem s. Alph. n. 170. probabile, quod alii docent, excommunicatum vitandum licite quoque administrare sacramenta, quando secus grave incommodum timeret, puta iacturam famae vel bonorum multoque magis, si periculum esset mutilationis, mortis (nisi tamen

in contemptum censurae comminatio ista fieret): in his enim casibus licite ea sacramenta administrat, quae potest valide administrare; quia scilicet non praesumitur Ecclesia, pia mater, velle suis legibus cum tanto dispendio obligare.

* Valide vero excommunicatus vitandus administrat Sacramenta praeter sacramentum Poenitentiae; quia iurisdictione caret: excipiendus rursus est casus extremae necessitatis h. e. articuli mortis alterius; tunc enim ei ab Ecclesia confertur iurisdictio (tr. X. *de Poenit.* Vol. V. 363.) quam iurisdictionem Ecclesia supplere quoque dicitur si contingat, vitandum haberi ex errore communi non excommunicatum. Cum de extrema necessitate agitur, adverte, s. Alphonsum l. 6. n. 560. sententiam hanc, quod in extrema necessitate possit excommunicatus vitandus absolvere, vocare communem eamque idoneis argumentis communire, ut perpendit Ball. l. c. Nihilominus hic forte nimis indulsit coniecturae, cum suspicatus est, in textu s. Doctoris l. c. legendum esse: « secunda sententia (quae est contraria) *non* sequenda negat » loco lectionis occurrentis: « secunda sententia sequenda negat ». Nam idem s. Doctor l. 7. n. 168. de hac eadem re loquens et reiiciens lectorem ad l. 6. n. 560. dicit se negantem sententiam tuitum esse, addens se non bene vocasse affirmativam sententiam communem; cum sit tantum communior. Et haec quoad quaestionem exegeticam de sensu doctrinae s. Alphonsi. Si vero quaestio realis fiat, quid liceat vel non, non est, cur discedamus a doctrina tradita in l. c. *de Poenitentia.* *

Insuper causa necessitatis censent DD., excommunicatum *vitandum* non modo posse baptismum periclitanti conferre, sed etiam Eucharistiam vel extremam Unctionem, quando moribundus sacramentum Poenitentiae non potest suscipere; quia cum sacramentum quodlibet ex attrito facere possit contritum, continget aliquando, ob receptionem Eucharistiae vel extremae Unctionis obtineri salutem, quae non obtineretur, hisce sacramentis non receptis. Schmalzgr. l. c. n. 145., s. Alph. l. c. n. 170. Imo addunt graves DD., Eucharistiam vel extremam Unctionem vitando dari licite posse aegroto, etiamsi sacramentum Poenitentiae hic receperit; ratio, quia maxime necessarium est, ut adiuvetur aegrotus viresque inde recipiat ad suggestiones daemonis in eo articulo superandas. Schmalzgr. l. c. n. 146.

Demum parochus *vitandus* valide, sed illicite adsisteret matrimonio, licet per hoc irregularitatem non incurrat; non solum autem valide sed etiam licite alium ad assistendum deputaret. S. Alph. lib. 7. n. 166.

256. Excommunicatus autem toleratus illicite quidem se ingerit administrationi sacramentorum, sed rogatus a fidelibus, licite id facit

quantum est ex vi censurae; quod si in statu peccati sit, illicite ex hoc capite administrabit sacramenta, non ratione excommunicationis. Iam diximus vero (n. 214.) fideles, si tantum ratio habeatur oeconomiae inductae a Martino V., petere posse, nulla quoque necessitate aut utilitate cogente; nulla enim restrictio huic permissioni factae fidelibus apposita est a lege. Quod potest toleratus, si rogetur, potest quoque, si merito praesumitur, fideles rogaturos, ut si dies festus occurrat, nec alius sit sacerdos, qui Missam celebret. S. Alph. n. 169.

Idem excommunicatus toleratus valide administrat, nedum cetera sacramenta, sed et Poenitentiae sacramentum; quia non privatur iurisdictione (cf. sub §. LXII.), neque haec privatio congrueret utilitati fidelium: s. Alph. n. 168.

257. * Cum excommunicatus illicite sacramentum aliquod administrat, sive sit vitandus sive toleratus, incurrit poenam irregularitatis arg. ducto ex c. fin. *de Cler. excomm. ministr.* Vitandus autem poenam hanc incurrit, quamvis administret petenti (dempto casu extremae necessitatis); quia id est ei illicitum. Quia vero vitandus administraret invalide sacramentum Poenitentiae ideoque nullum sacramentum quaeritur, an id attentans incurrat irregularitatem. Communissime id affirmari ait s. Alph. n. 171. et rationem affert Schmalzgr. l. c. n. 129.: « quia, etsi is non conficiat sacramentum, in communi tamen modo loquendi sacramentum absolute ministrat et hoc debet sufficere. Alias si ad incurrendam irregularitatem requireretur, ut valide administraretur sacramentum, etiam non incurreret sacerdos excommunicatus administrans sacramentum indisposito, utpote qui verum sacramentum non administrat; quod non admittunt DD. ». Factum scilicet in his casibus attenditur, sive validum sit sive secus.

S. Alphonso tamen magis probatur argumentum desumptum ex c. *Si quis Episcopus* 7. caus. 11. q. 3., quem tamen canonem nescio cur tribuat Martino V., qui vixit multo post Gratianum, sed asseritur a Gratiano concilio Martini Papae et iuxta Correctores reperitur in capitulis Martini Bracarensis et dicitur sumptus ex Conc. Antiocheno.

Ait canon « Si quis Episcopus in concilio excommunicatus fuerit, sive presbyter sive diaconus a suo Episcopo et post Excommunicationem praesumpserit, sive Episcopus ille aut presbyter aut diaconus, facere oblationem vel matutinum aut vespertinum sacrificium, quasi in officio suo agere, sicut prius, non liceat ei, nec in alio Concilio spem reconciliationis habere ». S. Doctor ait: « nota illud *quasi*, quod importat similitudinem actionis: ergo, etiamsi invalide absolvat, irregularitatem incurrit ». Supponit scilicet s. Alph. cum Suarez disp. 11. sect. 3. n. 1. in negata spe reconciliationis poenam irregularitatis contineri; nequit enim esse negata spes absolutionis a censura; quia

haec poena non potest esse perpetua. Sed non est mirum, Patres Antiochenos id etiam praeter ius intendisse et tandem hic canon non gaudet auctoritate universali.

Concludit s. Alph. n. 172., peccare graviter qui a vitando sacramentum recipit extra casum necessitatis et olim in excommunicationem minorem quoque incurrebat. Qui autem recipit ordinem ab Episcopo vitando, incurrit etiam suspensionem ab exercitio ordinis suscepti, quae suspensio adhuc viget. *

LIX. 4. Privat usu divinorum officiorum, ita ut excommunicatus non tantum careat eorum fructu, sed etiam sub mortali iis nequeat interesse, parte notabili, ita ut moraliter censeatur cum aliis communicare: nisi excuset ignorantia, vel necessitas vitandi scandali, aliave iusta causa. Bon. l. c. p. 3 §. 1. ex Suarez, Fill. etc. Similiter peccant etiam alii, qui cum excommunicato vitando eidem Missae intersunt, ut ex communi docet Bonac. l. c. n. q. contra Durand.; quia participant cum illo in divinis. Aliud tamen esset, si transiens per Ecclesiam aliud tractaret, vel breviter privatim aut omnino separatim oraret, aut si aliis unum sacrum audientibus, ipse aliud audiret; quis sic moraliter non censeretur communicare cum aliis, nec coniungi ad unam orationem fundendam. Bonac. l. c. n. 16. ex Suar. Henr. Filliuc. Coninc. etc. Ac, licet peccatum hoc ex genere suo sit mortale, ex parvitate tamen materiae subinde tamen est veniale, ut si exigua pars Missae v. gr. usque ad Evangelium tantum cum illo audiatur. Avila, Dian. p. 3. t. 5. res 21. vel si Horae privatim cum eo recitentur. Dian. p. 5. t. 9. res. 89. ex Suarez et aliis novem. Porro per divina officia intelliguntur sacrificium Missae, publica oratio, processio, cantus horarum, benedictio olei, aquae, candelarum et cetera annexa ordini clericali, quae sollemniter fiunt, excepta concione; in quibus, licet alii fideles non teneantur vitare toleratum, tenentur tamen non toleratum sub mortali vitare, nisi vel levitas materiae, vel ignorantia, aut simile quid excuset. Unde, si talis praesens sit, moneri debet, ut recedat: si nolit, debet extrudi vel exportari, licet sit Sacerdos: nisi tamen gravius inde timeatur incommodum, ob quod si expelli non possit, omittendum est officium, etiam die festo et celebrans, nondum inchoato Canone, debet abrumpere Missam; si inchoavit, potest, ceteris abeuntibus, sacrum prosequi vel abrumpere, ob sententiae utriusque probabilitatem: si consecravit, debet, solo ministro manente, pergere usque ad communionem inclusive et reliqua perficere in sacristia, vel alio decenti loco. Quod si excommunicatus negligat procurare absolutionem eo fine, ut non audiat sacrum die festo, peccat mortaliter omissione sacri, secus si alia de causa negligat. Quod si etiam obligatus est ad Horas, non excusatur ab illis; etsi non debeat dicere: *Dominus vobiscum*, sed *Domine exaudi* etc. quas si cum alio privatim legat, venialiter tantum videtur peccare.

258. * Praemittimus cum s. Alph. n. 174. a quibus rebus seu bonis non prohibeatur certe excommunicatus. Non prohibetur scilicet ab usu sacrarum imaginum et reliquiarum, item aquae benedictae aliorumque sacramentalium quae sita sunt in rebus sacratis aut benedictis (cf. tr. X. sect. 1. Vol. IV. 711. seq.) neque in horum usu privatur merito, quod est ex opere operantis: at privatur eo fructu, qui promanat e benedictione Ecclesiae et est veluti ex opere operato (cf. l. c.).

Neque excommunicatus prohibetur ecclesiam ingredi eo tempore,

quo functiones sacrae non celebrantur ac ibi privatim orare, etsi ibidem sint alii fideles; dummodo enim aliorum orationi non se immisceat, privatim orare dicitur.

Nec, cum celebrantur divina officia, prohibetur ecclesiam ingredi ex gravi causa, puta ut inimicum evitet vel se subtrahat a satellitibus eum quaerentibus, aut noxiam saluti inclementiam aeris effugiat etc., qua in hypothesi, etsi privatim oret, non censebitur divinis officiis communicare, nec idcirco cessandum erit a divinis, si is egredi nolit: s. Alph. n. 174. *

Neque in privata oratione prohibetur, aliqua exsistente necessitate, aut utilitate, socium adhibere, puta in recitatione rosarii vel divini officii: praesertim si ille sit ei subditus, ut Episcopo cappellanus, servus hero; nam servus non privatur communione domini sui, in quibus inservire ipsi tenebatur. Schmalzgr. l. c. n. 131.

259. * Porro divina officia, a quibus excommunicatus prohibetur, sunt, quemadmodum ait A., sacrificium Missae, publica oratio, processio, psalmodia sollemnis, benedictio aquae, olei, candelarum et cetera annexa ordini clericali, ex institutione Christi vel Ecclesiae, quae publice et sollemniter fiunt, excepta auditione concionis c. *Responsio, de Sent. Excomm.* et publicae lectionis sive Theologiae sive Canonum: s. Alph. n. 177. Prohibetur pariter excommunicatus concionari, Theologiam aut Canones publice exponere aut interpretari. Schmalzgr. n. 132.

Prohibitio huiusmodi excommunicatos omnes attingit sive vitandos sive toleratos et omnis excommunicatus communicans in his cum fidelibus peccat. Nihilominus adverte duo: 1° certum est in his graviter peccare excommunicatum vitandum: « toleratus vero (timidus dico et forte omnium primus, ait d'Annibale V. 1. n. 362. not. 19.) aut nullatenus aut leviter peccat, si intersit divinis officiis, licet usque ad finem intersit. Etenim cum vix reperies confessarium, qui hodie excommunicatum his prohibeat, vel excommunicatum, qui sibi his abstinendum ducat, rigor iuris hac in re obsolevisse videtur ».

2° Licet haec communicatio cum fidelibus sit excommunicato graviter prohibita, ex parvitate tamen vel levitate materiae potest esse venialis, ut ex. gr. si exiguam Missae partem puta usque ad Evangelium excommunicatus audiat cum fidelibus.

Ita s. Alph. n. 178. censet non peccare nisi venialiter excommunicatum, si utatur socio in recitando divino officio vel rosario; videtur enim haec materia levis. Si autem sit toleratus, nullatenus peccat, requisitus cum alio.

Auctor alias causas ab omni peccato excusantes recenset, de quibus iudicandum est secundum dicta n. 255.

260. Quemadmodum peccant excommunicati communicantes in divinis officiis cum fidelibus, quod verum est, etsi diebus festivis interesse velint divinis officiis: ita vicissim hi peccant communicantes in iisdem cum vitando, eodemque pacto vel a gravi vel ab omni peccato excusantur (cf. n. 268.). Nec, ut ait A., censentur in ecclesia fideles cum excommunicato communicare, si hic transiens per ecclesiam aliud tractaret, vel breviter privatim aut omnino separatim oraret, aut, si aliis unum Sacrum audientibus, ipse aliud audiret; quia sic moralis coniunctio deesset. Imo cum in ecclesia non celebrantur divina, etsi ipse permixtus privatim oret, nec ipse illis nec illi ipsi communicare dicendi sunt (d'Annibale n. 300.). Et si fideles audiant Missam, cui et vitandus assistit, non improbabile censet s. Alph. n. 176. eos tantum venialiter peccare, etsi nulla necessitas aut parvitas materiae eos excuset: contrarium tamen probabilius tenet s. Doctor, quia in Missa conveniunt omnes in una oblatione. *

Quo tempore Missa et divina officia celebrantur, excommunicatus prohibetur *ab ingressu* templi. Prohibetur scilicet assistere divinis una cum aliis: ideoque si seorsim ab aliis se contineret, etiam cum divina celebrantur, non esset dicendus agere contra excommunicationem; quia nondum est communicatio (d'Annibale l. c. n. 360.). Porro si vitandus divinis officiis adfuturus superveniat, aut expellendus est aut ab iis cessandum. * Si vero expelli non possit et Missa celebretur, haec, si nondum canon inceperit, abrumpenda est: si facta iam sit consecratio, subiungenda est communio et dein ad sacristiam vel alium decentem locum recedendum.

Si vero solum coeptus sit canon, potest sacerdos Missam vel abrumpere vel prosequi usque ad communionem, solo ministro manente, ceteris abeuntibus; si enim non recedant, saltem venialiter peccant, s. Alphonsus nn. 176. 177. Iure antiquo, si vitandus discedere abnuebat, excommunicationem novam incurrebat Papae reservatam.

* Hominem in sacris vel Religiosum excommunicatum non liberari ab obligatione Horarum canonicarum, iam alibi dixisse meminimus (tr. IX. Vol. IV. 330.). Cum vero nequeat interesse choro, si huic antea addictus erat, privatim eas recitare debet. Porro obligatione recitandi officii tenetur, etsi ea sit tantum ratione beneficii, cuius fructibus privatur in poenam, donec titulum retinet.

261. Quaestio est, quam tangit A. in fine, an excommunicatus teneatur procurare absolutionem, ut Missae interesse diebus festis et Sacramenta saltem in anno recipere valeat.

Distinguunt DD. (s. Alph. n. 161.): si de Missa agitur, negant communiter obligationem quoad Missam; quia quandiu in excommunica-

tione est, tenetur non audire: dispositio vero ad eam audiendam sita in ablatione excommunicationis, remote se habet ad Missam audiendam, cuius proinde obligatio non videtur urgere obligationem tollendi illius impedimenti (Bucceroni *de Censuris* n. 103.).

Excipitur tamen, nisi excommunicatus negligat absolutionem in eum finem, ut liber sit ab obligatione Missae, tunc enim dicunt graviter peccari. S. Alph. l. c. et n. 177. Quod saltem certum est, si ex contemptu id fiat.

Affirmant communiter, teneri excommunicatum procurare sibi absolutionem, ut possit praecepto annuae confessionis et communionis paschalis facere satis. Quia ista praecepta per se obligant ad mundandam animam et consequenter ad tollenda vincula tum mortalium peccatorum tum excommunicationis (Bucceroni l. c.). « S. Alphonsus n. 161. qui pro priore casu nullam attulit rationem, contentus consensu communi, pro hoc altero casu ait: quia hoc est unum ex praeceptis divinis, erga quae tenemur tollere impedimenta ». Et l. 6. n. 299. quod spectat ad Eucharistiam, ait: « quia communio valde confert ad animae salutem, unde ipsius praeceptum rigide obligat ad auferenda mala spiritualia, quae obstant ».

Fateor me non assequi vim horum argumentorum et causam discriminis. Tam praeceptum audiendi Missam diebus festis, quam praeceptum recipiendi singulis annis sacramenta, sunt determinativa iuris divini et formaliter ecclesiastica et quamvis obligatio sit mundandi animam, imo et sumendi Eucharistiam, ea tamen iure divino non urget statim aut intra annum (*de Sacr. Poenit.* Vol. V. 677. seqq. *de Euchar.* Vol. IV. 951. seqq.). Cur ergo excommunicatus tenetur intra annum absolutionem petere ut alteri praecepto satisfaciat, non vero ut priori? et cur absolutio ab excommunicatione remote se habet respectu Missae audiendae, non vero respectu percipiendorum Sacramentorum?

Neque ex eo quod aliquid valde confert ad animae salutem, apparet necessitas illius consequentis, quod colligitur.

Forte ratio communis consensus DD. et discriminis inter haec duo pendet ex aliunde perspecta Ecclesiae voluntate. Constat enim, Ecclesiam reprobare eos, qui per annum in excommunicatione insordescunt (n. 239. seqq.): unde facile colligitur, non velle ipsam eos eximere ab obligatione annuae confessionis et communionis: cum vero nihil statuat contra eos, qui minus anno in excommunicatione perseverant, patet, ipsam non urgere adversus excommunicatos obligationem audiendi Missam, ut nempe se idoneos ad id reddant. Cum vero utraque obligatio tum audiendi Missam tum recipiendi per annum sacramenta, sit

ex praecepto Ecclesiae, Doctores ex ea diversa ratione agendi Ecclesiae sententiam suam collegerunt.

Ceterum, ut, exsistente obligatione, peccet excommunicatus non petens absolutionem, oportet ei notam esse hanc obligationem. *

LX. 5. Collatio beneficii facta excommunicato nulla est, uti et praesentatio vel electio, institutio et confirmatio. Ratio, quia excommunicatus, etiam toleratus, non potest communicare in officio proindeque incapax est beneficii, quod datur propter officium. Idque, licet ignoretur excommunicatio; quia ignorantia invincibilis, etsi excuset a culpa, non tamen supplet defectum conditionis requisitae ad valorem actus. Vid. Less. l. 2. c. 14. d. 22. Imo probabile est, excommunicatum, quamvis beneficio antea obtento non privetur, fructus tamen et distributiones non facere suas ideoque eas teneri restituere, etiam ante sententiam iudicis; quia est privatus officio: fructus autem dantur propter officium, velut merces propter opus. Ita Suarez et alii contra Sanchez et Coninck, qui probabiliter putant, ex consuetudine non teneri ante sententiam, modo per se vel alium inserviat beneficio.

262. * Clara est doctrina Auctoris, quae valet, ut ipse A. significat in excommunicato etiam tolerato. Quod tamen de fructibus beneficii dicitur, clarius exponere licet.

A. loquitur de fructibus beneficii, quod obtentum sit ante excommunicationem, quod certum est, ipsa excommunicatione non amitti. Huius fructus, dummodo vel per se vel per alium oneribus beneficii faciat satis, non tenetur excommunicatus restituere, ante sententiam iudicis. Nam canon, ad quem aliter sentientes provocant c. *Pastoralis*, *de Appell.* §. 1. dicit: « illi proventus Ecclesiae merito subtrahuntur, cui Ecclesiae communio denegatur ». Atqui verbum *subtrahuntur* actionem spoliationis significat, quae fit ab homine, non a lege. Et satis aequum principium videtur; poenas requirentes actionem ex parte delinquentis indigere sententia iudicis saltem declaratoria (cf. Schmalzgr. n. 157. seqq. s. Alph. n. 183.).

Notat autem Schmalzgr. n. 139., nomine fructuum heic non venire distributiones quotidianas, quibus excommunicatus ipso iure privatur; quia dantur propter praesentiam, quae interdicta est excommunicato.

Quid si sit excommunicatus occultus, qui, ne se prodat, interest choro? Quam cito fieri potest, petat absolutionem: interea quoniam opus praestat, retinere eas potest, nisi per sententiam iudicis iis privetur.

Si vero beneficium post excommunicationem obtineatur, cum nulla sit collatio, nullum quoque est ius ad fructus idque ipse excommunicatus novit. Nulla ergo ratio est, cur eos retineat. Si tamen id ignoraret, ut eum bona fides excusaret, « tunc, ait Schmalzgr. n. 156., si putet, se vero titulo beneficium possidere, fructus, tali bona fide consumptos, non tenetur restituere, nisi in quantum factus est ditior » et citat Suarez, Coninck, Palao, alios.

Si collatio beneficii nulla est, consequens est, nullos quoque esse actus, qui ad eam ordinantur, praesentatio nempe, electio, confirmatio. Quid vero si alicui tempore habili conferatur beneficium et is, antequam acceptet, incidat in excommunicationem, eritne valida eius acceptatio postea subsequens? Disputant DD.: Schmalzgr. n. 150. cum aliis, censet, tanquam probabilius, valere talem acceptationem; quia propter excommunicationem lex non irritat nisi eos actus, quibus ius in beneficium acquiritur: atqui talis non est acceptatio; cum nemo sibi ipsi beneficium conferat: sed est tantum conditio, ut ius perfectum collatarius obtineat. Ita et s. Alph. n. 180.

263. Quemadmodum nulla est collatio Beneficii, ita nulla est collatio cuiusque officii, muneris seu dignitatis ecclesiasticae et regularis. Quia exclusus ab eorum exercitio, consequenter censendus est quoque ab ipsis exclusus. Schmalzgr. n. 148.

Collatio pensionis, quae detur in titulum beneficii, nulla est; cum talis pensio inducat rationem beneficii. Ea pariter pensio ecclesiastica, quae datur ob officium ecclesiasticum, puta vicario aut coadiutori, invalide confertur excommunicato, qui ab officio prohibetur.

Secus vero, si pensio sit tantum laicalis vel etiam mixta; est enim quid temporale, nullum officium spirituale exigens (cf. tr. VI. Vol. II. 476. seqq.) s. Alph. n. 180.

Diximus collationem beneficii factam excommunicato esse nullam: si tamen Papa, qui est auctor iuris, scienter conferat beneficium excommunicato, vel in collatione clausulam (ut fieri solet) adhibeat absolutionis a censura ad effectum consequendi beneficium, valida foret collatio: excipit s. Alph. n. 179., nisi sit excommunicatus ob haeresim; quia huius absolutio sub generali absolutione non continetur.

Addunt DD. excommunicatum esse pariter ipso iure inhabilem ad obtinenda quaevis Rescripta s. Sedis, sive gratiae sive iustitiae c. *Dilectus, de Rescriptis:* c. *Ipso iure*, eod. tit. in 6°. Si tamen, quemadmodum diximus de beneficiis, scienter data sint vel praemissa absolutione a censuris, valent. *

Quamvis, ut diximus, excommunicatio non privet beneficio, quod clericus habeat: hic tamen, si triennium in excommunicatione insordescat, est eo privandus c. *Cum bonae, de Act.* et *Qual.* etc. Cf. n. 244.

LXI. 6. Privat communicatione forensi. Unde excommunicatus nequit esse Iudex, Advocatus, Procurator (licet pro semetipso respondere possit ipse. Conink. Praepos. Dian. p. 5. t. 9. Res. 111.) Actor, Tabellio, Testis etc. ita ut contra excommunicatum, etiam toleratum semper possit reus excipere. Quod si non faciat, nec Iudex eum repellat, valida eius acta erunt, si sit toleratus: secus est de Iudice non tolerato, cum sit privatus iurisdictione. Vide Laym. c. 2. Dian. p. 5. t. 9. res. 112. et 113. Non potest etiam esse Tutor aut Curator. Dian. p. 5. t. 9. res. 115. ex Sylv. Neque testamenti

exsecutor. Dian. p. 8. t. 9. res. 2. ex Carp. etc. contra Sanch., Lugo, etc. Si tamen non fiat oppositio, valide exsequitur, ibid. Nec potest ipse testari licite, etsi faciat valide, etiam cum excommunicatum instituit haeredem. Suar. Villal. Merc. etc. cum. Dian. l. c. res. 129. Denique contractus omnes ab eo facti (etsi sint illiciti et ratione eorum non detur actio in foro externo, durante excommunicatione), valent, nisi fiant ab eo, ut persona publica, vel Ministro ratione muneris et beneficii; quia tunc spectant ad iurisdictionem, quae suspensa est. Dian. p. 5. t. 9. r. 128. ex Con. Fill. Merc. etc.

264. * Monet Schmalzgr. n. 167. excommunicationem privare excommunicatum communione fidelium in civilibus triplici modo; privat scilicet communione forensi: usu quocumque officii publici: quacumque obligatione civili et contractus, de his omnibus breviter heic A.

Itaque 1° excommunicatus interdicitur ab omni actu pertinente ad Iudicium, nedum ecclesiasticum, sed et civile c. *Decernimus, de Sent. Excomm.* in 6° (cf. seq. n. 267.). Proinde nequit esse iudex (neque arbiter Schmalzgr. n. 167.), advocatus, actor, procurator, tabellio, testis: potest autem esse reus. Discrimen est tamen inter vitandum et toleratum: vitandus *illicite* semper agit et sententia iudicialis a vitando prolata caret valore; quia talis iudex caret iurisdictione c. *Ad probandum, de Sent. et re iudic.:* tolerato licet agere; sed is tamen, obiecta excommunicatione, repelli potest tum a iudice tum ab actore vel a reo.

Cum vitandus in iudicium adducitur ut reus, potest se defendere, testes adducere, procuratorem et advocatum constituere atque appellare: haec enim ipsa natura docet reo competere atque servari iubet. (Schmalzgr. n. 169.).

2° Officia publica, quae publica auctoritate constituuntur, in duplici sunt genere; quaedam enim sunt in bonum publicum, ut iudex, praeses etc., quaedam in bonum privatum, ut tutor, procurator, advocatus, exsecutor testamenti etc. Omnia prohibentur excommunicatis erga fideles; quia habetur communicatio interdicta. Priora vero ita prohibentur vitando, ut eius actus sint etiam invalidi; quia, ut dictum est, caret iurisdictione: alia officia non item sed in his actus a vitando positi irritari possunt, quatenus excipiatur contra ipsum: quod in tolerato valet etiam quoad actus priores.

Hinc parochus excommunicatus etiam vitandus valide assistit et valide alium delegat ad assistendum matrimonio: quia assistentia non est actus iurisdictionis et eius delegatio actus dici potest alicuius dominii, non vero iurisdictionis. Item praelatus religiosus excommunicatus vitandus valide admittit professionem novitii: quia rursus haec admissio non est actus iurisdictionis; cum et a feminis fieri possit: sed est usus cuiusdam superioritatis competens ratione officii. (Schmalz. nn. 171.-173.).

3º Quoad contractus et obligationes civiles inde ortas, tenendum est, tolerato contractus esse licitos cum fidelibus, quia iam ipsum petunt: vitando illicitos quidem esse, sed validos; quia nullus est textus iuris, ex quo eorum irritatio possit colligi, ait Schmalzgr. n. 175. Validum proinde etiam est testamentum ab ipsis conditum et valide instituuntur heredes.

Ceterum in his, quae sub hac §. dicta sunt, habenda est etiam ratio consuetudinis et nunc sane tolerati non privantur communicatione forensi civili, nec quidquam proficeres contra eos excipiendo. *

LXII. 7. Excommunicatus non toleratus privatur usu iurisdictionis. Unde non potest valide eligere, conferre, praesentare, ferre leges vel sententiam et qui sic beneficium a non tolerato accepit, dicendus est intrusus ac proinde tenetur, sine alia iuris declaratione, beneficium una cum fructibus relinquere.

Dixi, non toleratus; quia acta tolerati probabile est esse valida ob bonum commune: graviter tamen peccat, si absque necessitate talia exerceat.

265. * Sermo est de iurisdictione ecclesiastica. Excommunicatus vitandus privatur ne dum usu iurisdictionis, sed ipsa iurisdictione (Schmalzgr. n. 164.) ideoque eius actus sunt invalidi. Restituitur ei tamen iurisdictio in foro poenitentiae in extrema necessitate, ut iam dictum est.

Excommunicatus toleratus etiam notorius retinet iurisdictionem ideoque eius actus per se valent: at illicite ea utitur, nisi eam exerceat ex gravi causa vel rogatus. Secus graviter peccat, ut ait A. et probat s. Alphons. n. 185. Quod intelligendum, nisi forte levitas materiae excuset. Est enim prohibitio Ecclesiae in re gravi.

Diximus actus iurisdictionis positos ab excommunicato tolerato *per se* valere; quia non est adempta iurisdictio: nihilominus impediri legitime potest ne agat et agat valide, si nempe ob causam excommunicationis contra eum excipiatur, manifeste probata excommunicatione (cf. Schmalzgr. n. 166.). *

LXIII. 8. Non toleratus privatur Ecclesiastica sepultura, ita ut non possit in loco sacro seu benedicto sepeliri et, si contrarium fiat, ac corpora discerni possint, debet exhumari, nec in eo loco divina peragi ante reconciliationem.

Dixi, non toleratus: quia Ecclesia non polluitur, etsi haereticus, non speciatim denuntiatus, in ea sepeliatur, ut docent Suar. Laym. et alii: iure nihilominus id prohibent Episcopi in Germania, eo quod inter ceteras poenas non communicantium in Paschate, etiam statuatur privatio sepulturae Ecclesiasticae.

266. * Haec poena utrumque attingit, vitandum et toleratum, non tamen eodem prorsus modo. Si vitandus absque poenitentiae signis decessit, nequit sepeliri in loco sacro, sepultus autem extrahendus ac locus eius contactu ac praesentia pollutus censetur atque expiandus est. Si vitandus cum signis poenitentiae decessit, potest sepeliri in

loco sacro, sed prius est ei impertienda absolutio, qua facultas fit fidelibus cum eo communicandi: at quamvis ante absolutionem sepeliatur, non ideo polluitur locus. Si toleratus, utique notorius, absque poenitentiae signis est defunctus, nequit sepeliri in loco sacro et sepultus inde est extrahendus: locus tamen non polluitur. Si vero poenitens decessit, sepeliendus est in loco sacro nec absolutione proprie opus est; cum fideles nunquam fuerint prohibiti cum eo in divinis communicare.

Decet autem eos prius absolvere, ut omnis dubitatio tollatur, ait Schmalzgr. n. 127. Sed cui dubitationi locus esse possit, non liquet. Ex Const. *Apost. Sedis*, qui ad ecclesiasticam sepulturam admiserint nominatim excommunicatum, interdictum ab ingressu ecclesiae, ipso iure incurrunt, donec ad arbitrium eius, cuius sententiam contempserunt, competenter satisfecerint (Const. Apost. Sedis *Interdicto* 2.).

Mandantes vel cogentes, tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios aut excommunicatos nominatim aut interdictos, subiacent excommunicationi latae sententiae nemini reservatae (ibid. serie 4. Excomm. n. 1.). *

LXIV. 9. Excommunicatus privatur omni alia civili communicatione fidelium, ita ut ipse non possit cum aliis et, si non sit toleratus, etiam alii cum ipso non possint communicare idque in casibus hoc versu comprehensis:

Os, orare, vale, communio, mensa, negatur.

Dicitur 1. *Os*, per quod intelligitur osculum et omne colloquium, etiam privatum; item per nutus, litteras, internuncium, et quodvis signum benevolentiae.

Dicitur 2. *Orare*, id est omnis communicatio in divinis, de qua supra.

Dicitur 3. *Vale*, quod comprehendit omnem salutationem (saltem honorificam) verbo vel signo vel amplexu et secundum quosdam, etiam resalutationem, eo quod sit actus observantiae. Sed contrarium videtur verius, quia est solutio debiti. Imo Sayr. etc. cum Dian. q. 5. t. 9. res. 16. putant probabile, quod sola verbalis salutatio sit prohibita, non autem alia signa, v. gr. aperiendo caput etc. quae urbanitatis causa fieri solent.

Dicitur 4. *Communio*, quae comprehendit omnem contractum (qui tamen validus est, si fiat) item cohabitationem, cooperationem, societatem v. gr. in contractibus, ita ut moraliter censeatur communicare, quod prudens aestimabit: unde nec iter cum eo, tanquam cum socio, facere licet.

Dicitur. 5. *Mensa*, per quam intelligitur omnis convictus et convivia, per modum societatis et commercii: qualis non est, si casu incidas in idem hospitium, iter, mensam, imo lectum. V. Bon. d. 2. q. 2. p. 6. §. 1. et 12.

LXV. Quaeres 1. An Aliquando liceat cum non tolerato communicare?

Resp. Quod sic, extra divina, in his quinque casibus. 1. In casu utilitatis, sive spiritualis ipsius excommunicati, v. gr. ut convertatur, sive alterius, ut ab excommunicato consilium petat, quod ab alio habere non potest; sive etiam utilitatis temporalis, v. g. ut ab eo restitutio, vel debitum ex contractu petatur. Contractus tamen novos cum ipso inire non licet, etsi, si ineantur, sint validi, cum nulla sit lex irritans. 2. in casu legis matrimonialis: quo modo uxori licet communicare cum marito et contra, nisi factum

sit divortium. Dian. p. 5. t. 9. r. 123. non tamen sponso de futuro cum sponsa. l. c. r. 126. ex Sayr. Sanchez et Fill. 3. In casu subiectionis; quo modo possunt filii etiam emancipati (addit Dian. p. 5. t. 4. r. 118. 119. ex Cov. Fill. Hurt. etc. etiam adoptivi, vel illegitimi: imo etiam nepotes, pronepotes et in eodem genere affines) communicare parenti, servi et ancillae domino, si ante excommunicationem fuerint in servitio. Similiter religiosi Praelato: non tamen, nisi quoad eam communicationem, quae ab habitantibus in eadem familia evitari non potest. Dian. l. c. r. 117. contra Sotum. V. Fill. t. 12. c. 8. n. 203. Laym. et Bon. l. c. 4. In casu ignorantiae iuris, vel facti. 5. In casu necessitatis, sive animae, sive corporis, sive bonorum temporalium, qui casus hoc versu comprehenduntur:

Utile, lex, humilis, res ignorata, necesse.

267. * In primis privatio civilis consortii, de qua A. cum ceteris, intelligenda nunc est tantum pro vitandis; nam ex hodierna consuetudine tolerati, non solum si requirantur, sed et si sponte se ingerant, haud peccant, communicando in civilibus cum fidelibus, ut declaravit s. Poenit. 5. Iul. 1867.

Deinde, ut A. monet ex communi sententia, plures causae exsistunt, propter quas Ecclesia non vetat communicationem etiam cum vitandis extra divina. Porro, ut recte advertit cl. Lehmkuhl vol. 2. n. 897. rationes illae, quae iamdiu ut causae excusantes afferebantur, propter quas civilis communicatio in singulis casibus liceret, hodie tum late patent, ut eae vix non pro quolibet adsint. Iam vero si lex aliqua communiter servari amplius nequit, ea vim suam amisisse censetur, etsi ab aliquo in particulari possit servari. Unde consequens esset, communicationem in civilibus etiam cum vitando nunc prohibitam non esse.

Diximus superius (n. 264.) excommunicatum vitandum interdici communione forensi. Non negamus, imo aperte fatemur, Ecclesiam posse hac poena contumacem subditum punire. Quaestio tamen fieri potest, an nunc quoque, adeo mutatis conditionibus societatum civilium et iuribus quibus reguntur, *velit* Ecclesia hanc suam poenalem legem valere, ut ex. gr. nulla sit in foro civili sententia lata a iudice, qui sit nominatim excommunicatus, qui ceteroquin ex iure civili legitimus sit et iuste iudicet. Dubitare certe licet et quandiu Ecclesia voluntatem suam non aperiat, licebit credere, huiusmodi iudiciales sententias esse validas.

LXVI. Quaeres. 2. Quale peccatum sit communicare cum excommunicato non tolerato. Respon. Communicatio in divinis censetur mortale propter gravitatem materiae; in civilibus autem (etsi inducat minorem excommunicationem) secluso tamen contemptu, tantum est veniale regulariter. Suarez, Bon. etc. Dian. p. 7. t. 11. r. 47. Quod addo, quia aliquando est mortale, ut si quis cum excommunicato communicet in eodem crimine, v. gr. si quis concubinam excommunicatam cognoscat.

268. Schmalzgr. nn. 178.-182. affirmat, peccatum esse mortale communicare cum excommunicato vitando, cum communicatio est in

rebus divinis et officio divino saltem publice dicto, vel cum certa communicatio plectitur poena excommunicationis maioris (de qua superius locuti sumus). Quoad communicationem in officio divino limitationem addidit: *saltem publice dicto;* quia, ut ipse ait, communicatio in officio divino privatim dicto probabiliter per se non est culpa mortalis; utpote non primo et per se ex vi excommunicationis, sed secundario solum prohibita. Idem multo magis valet in precibus privatis.

Extra hos casus autem certum est, sub culpa solum veniali prohiberi excommunicationem cum vitando: adde nisi causae desint excusantes a qualibet culpa, quemadmodum paulo ante diximus. *

Dub. IV.

Ob quas causas incurratur excommunicatio Maior?

LXVII. Cum hae multae sint, variae sunt etiam excommunicationes, quae in 4. potissimum classes dividuntur; nam aliae nulli, aliae Episcopo, aliae Pontifici per Bullam Coenae, aliae eidem extra illam reservantur.

Articulus I.

Quae sint excommunicationes non reservatae?

LXVIII. Respond. 1. Ex iure antiquo usitatiores sunt sequentes. Contra omnes. 1. In vexantes Ecclesiasticos, quod non elegerint eum, pro quo rogati fuerant. 2. In directores Monialium, si foveant discordias in electione. 3. In extorquentes absolutionem a censura per vim aut metum. 4. In compellentes Ecclesiasticos, ut laicis submittant iura Ecclesiae. 5. In docentes leges, vel medicinam Religiosos, qui dimiserunt habitum, vel eos retinentes in suis scholis. 6. In sepelientes tempore interdicti vel interdictos, vel excommunicatos non toleratos, vel manifestos usurarios. 7. In impedientes Visitatores Monialium. 8. In contrahentes matrimonium in gradibus prohibitis, vel cum Monialibus. 9. In edentes Glossas in Tridentinum. 10. In imprimentes libros sine superiorum licentia. 11. In praecipientes suis subditis, ne officia communia Reipub. exhibeant Ecclesiasticis, verbi gratia, ne iis vendant, coquant panes, etc. 12. In Doctores et Professores non facientes professionem fidei, ubi recepta est Bulla Pii IV. 13. In negligentes administrare iustitiam Ecclesiasticis. 14. In potestates foventes usuras.

Contra Clericos. 1. In Clericos in dignitate constitutos, aut Sacerdotes audientes publice ius, aut medicinam. 2. In Sacerdotes recipientes praefecturas seculares. 3. In Clericos minores Episcopis, locantes domos usurariis. 4. In alienantes bona Ecclesiae, vel locantes ultra triennium. 5. In impugnantes in concionibus montes pietatis. 6. In contrahentes matrimonium, si sint in sacris. 7. In ficte resignantes, vel permutantes beneficia. 8. In praesumentes absolvere a casibus Bullae Coenae.

Contra Religiosos. 1. In audientes Leges, vel Medicinam extra claustra. 2. In habitum temere dimittentes, vel matrimonium contrahentes. 3. In instituentes novum Ordinem. 4. Adeuntes curias Principum, ad nocendum suis monasteriis, vel Praelatis. 5. Tenentes arma sine licentia intra claustra. 6. Non servantes interdictum, quando servatur a Cathedrali. Vid. Fill. t. 1. t. 14. 15. c. 84. Bon. d. 3. p. 5. §. 1. n. 36.

LXIX. Respon. 2. Supradictis adiectae sunt a Tridentino sequentes, quae valent ubi illud est receptum. 1. In imprimentes, imprimi mandantes, vendentes, apud se retinentes,

vulgantes libros de rebus sacris, sine nomine auctoris et approbatione ab Ordinario obtenta. 3. In docentes non esse necessariam confessionem ante sumptionem Eucharistiae. 3. In raptores mulierum, iuvantes, faventes. 4. In cogentes contrahere matrimonia cum praescriptis. 5. In magistratus, qui requisiti non iuvant Episcopos, ad restituendam, vel conservandam clausuram Monialium. 6. In ingredientes (cuiuscumque conditionis, vel sexus fuerint) monasteria monialium, sine licentia in scripto obtenta. 7. In cogentes mulierem ingredi Monasterium et profiteri. 8. In impedientes, sine iusta causa, sanctam voluntatem mulierum emittendi votum. 9. In dominos temporales, concedentes in terris suis locum pro duello.

Articulus II.

Quae sint excommunicationes reservatae Episcopis.

LXX. Respond. Sunt hae: 1. Quae contrahitur ex levi percussione Clerici, vel gravi, si sit mulier. 2. In eos, qui absoluti in articulo mortis (a censura, vel peccato habente censuram annexam) ab eo, qui alias non poterat, non praesentant superiori se postquam convaluerunt. V. Fill. t. 1. c. 10. n. 241. 242. 3. In fratres Minores, si admittant in suis Ecclesiis, ad officia divina. Fratres tertii Ordinis. 4. In procurantes abortum foetus animati, effectu secuto. 5. In eos, qui communicant in eodem crimine cum excommunicatis ab Episcopo. 6. Eae omnes, quas ferunt Episcopi per propria statura et sibi reservant, quas Confessarii videant in Agendis.

Articulus III.

Quae sint Papae reservatae extra Bullam Coenae.

LXXI. 1. *Contra omnes*, magis obviae sunt sequentes: 1. In incendiarios. 2. In habentes litteras Apostolicas falsas et non destruentes: item in falsarios litterarum Apostolicarum. 3. In effringentes et spoliantes Ecclesias. 4. In communicantes eodem crimine cum excommunicatis a Papa. 5. In vexantes eos, qui censuram in alios tulerunt. 6. In absolutos ab excommunicatione, sub conditione, et non implentes. 7. In violantes interdictum Papale. 8. In dantes, et recipientes aliquid ex pacto, ob admissionem ad religionem. 9. In Simoniacos reales, circa ordinem, vel beneficium. 10. In committentes simoniam confidentialem. 11. In impedientes exsecutionem litterarum sacrae Poenitentiariae. 12. In dantes et recipientes aliquid pro gratia, aut iustitia, apud Sedem Apostolicam. 13. In committentes duellum et ad id cooperantes, suadendo etc. 14. In mulieres ingredientes Monasteria Regularium. 15. In impugnantes institutum Societatis IESU. 16. In facientes iurare illicita et contraria libertati Ecclesiasticae. 17. In rapientes Bona Ecclesiastica, item in exigentes tributa ab Ecclesiasticis. 18. In violantes libertatem Ecclesiasticam, quoad fugientes ad Ecclesiam. 19. In docentes posse fieri confessionem in absentia. 20. In eos, qui alterutram opinionem de Conceptione B. Virginis damnant peccati mortalis, vel haereseos; item in eos, qui in concionibus aliisque publicis actionibus, ut lectionibus, conclusionibus, asserunt B. Virginem conceptam in originali. 21. In percussores Clericorum. Quae cum celebris sit, et multa scitu necessaria habeat, agetur de ea peculiariter infra.

LXXII. Res. 2. *Contra Clericos, et Religiosos,* sunt hae: 1. In participantes in sacris cum excommunicatis a Papa. 2. In procurantes alienationes Ecclesiarum. 3. In Concionatores, qui Scripturae sensum a Doctorum interpretatione alienum circa tempus Antichristi et extremi iudicii, aliaque similia revelata praedicant. 4. In Parochos non

implentes iuramentum de residentia factum. 5. In Mendicantes transeuntes ad alium Ordinem, praeter Carthusianum. 6. In Moniales exeuntes claustris sine licentia. 7. In Religiosos, qui sine privilegio, vel speciali licentia Parochi, Clericis, aut Laicis Sacramentum Eucharistiae, vel Unctionis ministrare, vel Matrimonia sollemnizare praesumunt.

Articulus IV.

Quomodo intelligenda excommunicatio percussoris Clericorum.

LXXIII. Respond. Ea sic habet: *Si quis suadente diabolo in Clericum, vel Monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subiaceat et nullus Episcoporum praesumat illum absolvere.*

Dicitur 1. *Si quis:* intellige cuiuscumque sexus, aut status, etiam impubes; dummodo rationis compos et doli capax. Extenditur autem ad efficaciter mandantes, consulentes, consentientes, suo nomine factam ratihabentes, non impedientes, saltem si ex officio aut iustitia teneantur, ut reges, iudices et ceteri superiores. Item patres, tutores, heri, paedagogi, Parochi etc. quibus aliorum cura demandata est. Ita Laym. l. 1. t. 5. p. 2. c. 5. n. 6. Bon. d. 2. q. 4. p. 1. a. 8. ex Molin. etc. commun.

Dixi, *saltem, etc.* quia, si ex caritate tantum teneantur, etiam excommunicari, docent Suar. Cai. Fill. Mol. Sayr. etc. Verum id probabilius negant Bon. l. c. ex Nav. Con. Reg. Henriq. Mol. etc.

Dicitur 2. *Clericum:* quo nomine intelligitur omnis prima saltem tonsura initiatus (etiamsi coniugatus, dummodo cum unica virgine et deferat habitum, serviatque alicui Ecclesiae): item etiam excommunicatus, suspensus, interdictus, degradatus verbaliter tantum.

Dicitur 3. *Monachum:* intellige quemvis religiosum, etiam laicum, conversum, novitium, utriusque sexus item Tertiarios s. Dominici, s. Francisci, si gestent habitum et vivant in communitate. Item Eremitas subiectos alicui regulae; vel superiori.

Dicitur 4. *Manus iniecerit;* per quod intelligitur quaevis contumeliosa actio exterior mortalis, circa Clerici personam, vel res ei adherentes, sive fiat manu, sive baculo, gladio etc. Bon. d. 2. q. 4. p. 1.

Ex dictis resolvuntur sequentes Casus.

LXXIV. 1. Hanc excommunicationem incurrit. 1. Qui talem conspuit, conspergit aqua, pulvere, conspurcat luto, evellit crinem, lacerat vestem, eripit aliquid per vim et iniuriam de eius corpore, verbi gratia, pileum, pallium etc., ita ut actio sit graviter iniuriosa. Bon. l. c. Laym. c. 5. n. 5. 2. Qui concludit, aut violenter detinet carcere vel loco, unde sine dedecore non potest exire ibid. 3. Qui persequitur, ut in flumen, vel fossam incidat, equo decidat etc. ibid. 4. Qui manus violentas iniicit in equum, cui is insidet, occidendo, vulnerando, caedendo, sistendo per fraenum, quae actio, licet sit levis respectu corporis, non tamen respectu honoris, ibid. 5. Qui aliquid supradictorum facit etiam Clerico consentiente, dummodo sit iniuriosum ordini Clericali. Laym. l. c. 6. Clericus, si seipsum ex malitia, vel passione (secus si ex devotione) percutiat iniuriose. Laym. l. c. ex Nav. 7. Qui percutit Clericum etiam meritum, si fiat vel per quem non debet, ut si morte dignus puniatur a iudice seculari, vel modo illicito, ut si a Praelato puniatur per laicum. Bon. l. c. ex Nav. Sayr. Suar. Fill. Con. etc. V. Laym. c. 5.

2. Non incurrit 1. Fur, qui clam abscindit crumenam, vel vestem tollit Clerico; quia non est actio violenta, sed fraudulenta. Bon. l. c. 2. Si percussio sit iocosa, vel casualis, v. gr. si ianitor, vel apparitor turbam arcens percutiat Clericum; item si pueri habentes primam tonsuram se pugnis percutiant. Bonac. loc. cit. ex Mol. Fill. Con. etc.

item si percussio sit ad defendendum se vel vitam suam, vel uxoris, parentum, filiorum, vel res suas, cum moderamine tamen inculpatae tutelae. Laym. infra. 3. Et denique, quandocumque percussio ob levitatem, vel imperfectionem actus non esset mortalis, illata laico, ut docent Caiet. Avila, et Sà, quod tamen Suar. universaliter non admittit. Vide Bon. l. c. 4. Si fiat in tenebris, vel Clericum non agnoscas, quod habitum non gestet: quia ignorantia excusat. 5. Si Praelatus, praeceptor, pater subditum in minoribus constitutum correctionis causa (licet ira accedat) percutiat moderate, habita ratione culpae; imo Praelatus et Praeceptor Ecclesiasticus potest etiam in maioribus constitutum castigare. An idem possit pater, controvertitur in utramque partem probabiliter. V. Laym. loc. *mox citando*. 6. Si percutiatur realiter degradatus, vel bigamus, vel exerceat publice officium cauponis, vel macellarii, vel scurram, et ter monitus non cesset, vel inventus turpiter agens cum uxore, matre, sorore, vel filia, vel denique mulierem ipso facto sollicitans ad turpitudinem; quia perdit privilegium. V. Laym. l. 1. t. 5. p. 2. c. 5. Fill. l. 15. c. 1.

LXXV. Resp. 2. Etsi haec excommunicatio sit reservata Papae, potest tamen Episcopus ab ea absolvere his casibus: 1. Quando percussio, etsi sit mortalis, est tamen prudentum iudicio levis, comparata cum enormi, v. gr. si fiat palma, pugno, aut lapide, non relinquente vestigium, et secundum Anton. et Dian. p. 4. t. 4. res. 19. nisi notabilem iniuriam et magnum scandalum pariat; qualem negat esse, si quis Sacerdotem pugno percutiat in faciem, licet guttae sanguinis effluant. Enormis vero erit, si membrum praescindatur, copiosus sanguis fundatur, vel etiam ratione dignitatis personae, ut si percutiatur Episcopus, vel Abbas etiam alapa. 2. Si percussor sit impubes, pauper, aeger, senex, mulier, caecus, claudus, servus, filiusfamilias, vel non sui iuris, uti et regulares, ac moniales invicem verberantes: item si sint homines delicati, et quotquot habent legitimum impedimentum, ut non possint ire ad Papam, aut eius Legatum: vel si dubium sit de excommunicatione, Fill. l. 15. c. 6. n. 35. et seq. Denique, si sit occulta. V. supra hic c. 1. d. 5. et Dian. p. 9. t. 4. r. 63. In quibus omnibus casibus pro foro conscientiae potest etiam facultas absolvendi impetrari (gratis quidem) ex Poenitentiaria Romana a maiore Poenitentiario.

Articulus V.

Quae sint communicationes Papae reservatae per Bullam Coenae?

LXXVI. Resp. Praecipua est in haereticos, quae extenditur non tantum ad fautores, receptores et defensores haereticorum ut sic, sed etiam in scienter retinentes, legentes, imprimentes et defendentes libros haereticorum de religione tractantes, vel haeresim continentes. Ad quam excommunicationem incurrendam requiruntur 4. conditiones. 1. Ut auctor libri sit haereticus. 2. Ut liber haeresim expresse contineat, vel de religione agat. 3. Ut legatur materia notabilis et sufficiens ad mortale. 4. Ut scienter legatur, imprimatur, vel retineatur. Laym. l. 2. t. 1. c. 15. n. 1.

Unde resolves.

1. Non excommunicaris 1. Si legas libros Catholicorum referentes verba haereticorum, etiamsi animo haeresim discendi legas. Laym. l. c. ex Nav. Sanch. etc. 2. Si in Catholici scriptoris libro, vel alio, hac Bulla non contento, legas adiecta scholia, vel notas auctoris haeretici: quod tamen Suar. t. 5. d. 21. f. 1. limitat, nisi scholia essent tam copiosa, ut ex iis potius, quam ex textu, liber constare videretur, Laym. l. c. ex Nav. Sanch. etc.

2. Non prohibentur haereticorum libri philosophici, et alii haeresim non continentes. Laym. l. c. n. 3. Imo probabiliter nec ii, qui incidenter tantum continent haeresim, non

agentes ex professo de fide. Sà, Graff. apud Laym. l. c. contra Suar. et Sanc. qui id confirmat pro Germania, ubi Bulla cum tanto rigore non est recepta. Vide Bec. 2. 2. c. 15. q. 8. Legens tamen tales incurrit excommunicationem non reservatam indici librorum prohibitorum, ubi is receptus est, quod non videtur esse factum in Germania, saltem cum isto rigore, ut habet Laym. l. c. n. 8.

3. Excommunicantur 1. Qui in sufficiente quantitate solum prooemium, vel epistolam ad lectorem, vel indicem libri, vel partem libri, in qua nulla est haeresis, legit, ut habet Laym. l. c. et Bon. 2. Probabiliter etiam is, qui alterum iussu suo legentem audit: quia legit per alium, Laym. l. c. Azor etc. contra Sanchez.

4. Probabiliter non excommunicatur, qui haereticam concionem aut epistolam seorsim editam legit; quia non est liber. Laym. l. c. n. 3. ex Sanchez.

5. Non sufficit una alterave linea: imo secundum Sanchez Rodr. et Sà, nec integra pagina, etiam magni voluminis, quod tamen Bonac. et Laym. l. c. non concedunt; licet hic fateatur, Confessario id posse ad hoc servire, ut non continuo damnet peccati mortalis et excommunicationis eum, qui bono fine, vel etiam ex curiositate unam paginam legit.

6. Non incurritur, si retineantur libri parvo tempore, v. gr. uno alterove die: quia sicut materiae, ita et temporis parvitas excusat. Laym. n. 7. ex Graff. Sayr. Sanchez etc.

7. Excusat ignorantia, etiam crassa, si vel nescias esse haereticum, vel tractare de religione. Laym. n. 3. vide Sanchez l. 2. mor. c. 10. et l. 9. *de Matr.* d. 32.

8. Non excusatur is, qui librum vel in aliena domo, vel alieno nomine, vel animo non legendi habet. Item nec is, qui affirmat non esse pravum, non esse exurendum. Item qui impedit, ne comburatur, qui disputationis causa defendit. Ita Bonac., qui tamen excusat eum, qui laudat stylum, vel ingenium auctoris, vel bonam doctrinam, quae in eo est, sed non quatenus in eo est; v. gr. si dicat: hic liber esset bonus, si non haberet haeresim; quia talis non defendit. Vide Laym. l. c. Bon. d. 2. q. 5. p. 4.

* Haec integra reliquimus, ne aliquid desit ex traditis ab Auctore. Sed cum ea sint plus minus antiquata, subdimus eorum loco Constitutionem *Apostolicae Sedis* eiusque declarationem * (a).

De Excommunicationibus in particulari.

269. Olim praecipuas tantummodo excommunicationes aliasve censuras (cum omnes recensere nimis longum foret et difficile) in studiosorum commodum solebant scriptores hoc loco oculis subiicere et aliqua adnotatione illustrare. Verum post Const. *Apostolicae Sedis* 12. Oct. 1869. ss. D. N. Pii Papae IX., qua iuris communis censurae latae sententiae limitantur, iam non aegre eae omnes et si qua alia deinde hucusque accessit, recenseri possunt et idcirco hoc praestare non dubitamus (b).

(a) Cum P. Gury ante editam Constitutionem (1869) defunctus sit (1866.): quae in editione Gury Ballerini in hanc rem prostant, manifestum est, a solo Ballerini integre profecta esse; quae idcirco huc merito transferenda ducimus, aliquid, si videbitur, addituri. — E.

(b) Quidquid in declaranda hac Constitutione afferemus, noverit lector, id fere desumptum esse ex Commentariis, quae plura iam doctorum virorum studio prodierunt: e quibus opusculum Reverendissimi Reatinae dioecesis Vicarii D. Iosephi d'Annibale, Interamnae 1873. editum cum titulo: *In Const. Apostolicae Sedis Commentarii*, doctrinae copia et soliditate facile excellit. Opusculum hoc siglis *Comm. Roat.* indicabimus.

Diximus limitatas esse censuras latae sententiae: sane summum Pontificem sibi hunc ipsum finem praestituisse, patet ex sequentibus Constitutionis verbis ab initio. « Cum animo nostro iam pridem revolveremus, ecclesiasticas censuras, quae per modum latae sententiae ipsoque facto incurrendae ad incolumitatem ac disciplinam ipsius Ecclesiae tutandam effrenemque improborum licentiam coercedam et emendandam sancte per singulas aetates indictae ac promulgatae sunt, magnum ad numerum sensim excrevisse, quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque a causis. propter quas impositae fuerant vel a pristina utilitate atque opportunitate excidisse eamque ob rem non infrequentes oriri sive in iis, quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates angoresque conscientiae: Nos eiusmodi incommodis occurrere volentes... re diu ac mature perpensa, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione nostra deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hac perpetua valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis sive suspensionis sive interdicti, quae per modum latae sententiae ipsoquo facto incurrendae hactenus impositae sunt, *nonnisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inserimus eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant* ».

Quaecumque itaque modo exstant censurae, fere eas omnes Constitutio Piana complectitur, partim explicite partim implicite. Explicite quidem contentas dicimus, quae expresse et singillatim in ea recensentur: implicite vero, dum illae confirmantur, quae tum a Tridentina Synodo latae reperiuntur, tum particularibus quibusdam statutis continentur.

Sane ad Tridentinas censuras quod spectat, ita habet Constitutio: « Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque, quos sacros. Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolutione sive absque ulla reservatione excommunicavit, nos pariter ita excommunicatos esse declaramus: excepta anathematis poena in decreto sess. IV. etc. ». De qua re infra.

Quoad alias autem censuras a Trid. Conc. latas, ita rursus Const. Pii IX.: « Quoscumque alios sacros. Conc. Trid. suspensos aut interdictos ipso iure esse decrevit, Nos pari modo suspensioni aut interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus ».

270. Convenit porro inter omnes, vi huius Constitutionis confirmari eas tantum censuras, quas Trid. Synodus *directe* ipsamet inflixit, nempe quas ipsa Synodus vel primo constituit, vel iam antea latas rursus, auctoritate sua interposita, in specie et expresse confirmavit, cuiusmodi ea est in cit. decreto sess. 4ae quae comprehenderetur confirmatione Pii IX., nisi disserte exciperetur.

Non vero confirmari quas solum *indirecte* Trid. Syn. statuit, antecedenter scilicet inflictas innovavit seu confirmavit, non interposita sua auctoritate, quae rursus poenam infligat, idque vel per generalia verba, ut v. g. cum (sess. 21. c. 1. *de Reform.*) ita statuit: *qui secus fecerint... poenas a iure inflictas ipso facto incurrant*, vel per specialem statuti alicuius allegationem, ut v. g. cum (sess. 24. c. 3. *de Reform.*) edicit: *aliis etiam poenis iuxta Const. Conc. Lugdun. mulctetur.* Hoc autem ex Constitutionis Pianae tum verbis tum scopo aperte colligitur. Ex verbis quidem, quia Pius eas censuras adhuc valere voluit, quas Trid. Synodus inflixit: « *quos Trid. Syn... excommunicavit: quos suspensos aut interdictos esse decrevit* ». Atqui ex stilo Romanae Curiae, decreta vel poenae quae a Trid. Synodo sint tantum innovata seu in usum revocata, non dicuntur *decreta Tridentina* vel *poenae inflictae a Tridentino*, sed dicuntur quae vel quas Trid. Syn. *innovavit.* Cum ergo in Const. Pii sermo sit de censuris decretis a Tridentina Synodo, eae solum intelliguntur, quas ipsa Synodus ex se decrevit, vel iam antea latas rursus auctoritate sua interposita confirmavit in specie, h. e. eas, quas ipsa Syn. *directe*, ut diximus, stabilivit.

Rursus ex scopo, qui fuit, ut certus numerus censurarum haberetur ad plurima incommoda vitanda: atqui non assequutus esset Rom. Pont. hunc scopum, si omnes censuras indirecte innovatas a Tridentino comprehendi voluisset.

271. Diximus implicite Const. Pii IX. complecti quoque censuras, quae particularibus quibusdam statutis continentur. Huc spectant ea Constitutionis verba: « Quae vero censurae sive excommunicationis sive suspensionis sive interdicti, Nostri aut Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus praeter eas, quas recensuimus, latae sunt atque hactenus in suo vigore perstiterunt, sive pro Romani Pontificis electione sive pro interno regimine quorumcumque Ordinum et Institutorum Regularium nec non quorumcumque Collegiorum, Congregationum, Coetuum, Locorumque piorum, cuiuscumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse et in suo robore permanere volumus, declaramus ». De quibus infra dicendum erit.

Interim cum Avanzini ad hunc locum Constitutionis adverte, reliquas istas censuras latas a s. Sede vel a sacris canonibus quoad electionem Rom. Pontificis et quoad peculiaria instituta aut peculiaria loca, cuiuscumque generis sunt, mere declarari *non abrogatas.* Porro aliud est declarare, *eas non esse abrogatas* atque adeo in suo vigore remanere, aliud vero affirmare, *eas esse innovatas.* Innovatio enim novum vigorem adiicit censuris, quae forte in desuetudinem abierint et

idcirco per innovationem reviviscunt. At quando mere dicitur eas non esse abrogatas, hoc unum inde eruitur, eas in illo statu manere, in quo eas reperit Constitutio et vi Constitutionis huius ea neque deleri neque innovari. Id autem satis indicatur per ea Constitutionis verba: *atque hactenus in suo vigore permanserunt.* Quocirca si peculiares censurae in alio Instituto aut loco pio in desuetudinem forte abierint vel aliqua ex causa cessaverint, nequaquam per Const. *Apost. Sedis* censendae sunt innovatae.

* Itaque censurae omnes superioris aetatis, latae quidem sententiae, quae hac Constitutione non continentur, sunt penitus abrogatae. Si ergo identidem ambiguum erit, an aliqua censura vetus inter has contineatur nunc, nisi id certo demonstretur, haud postulari poterit, ut id teneatur. Porro, ut declarat Pontifex initio Constitutionis, censurae in ea recensitae « non modo ex veterum canonum auctoritate quatenus cum hac Nostra Const. conveniunt, verum etiam ex hac ipsa Const. Nostra non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debent. » Quocirca eas censuras, quae cum veteribus prorsus conveniunt vel ex toto vel ex parte, quatenus conveniunt, aequum est, ut secundum veterum Canonistarum et Theologorum communem sensum interpretemur. Quae autem novae sunt ex toto vel ex parte, quatenus novum quid praeferunt, eas iuxta communes regulas iuris interpretari debemus. Si vero merito dubitetur, an censurae hae conveniant cum vetere iure an secus, tunc « semper accipiendum puto quod favorabilius est reo; primo quidem quia id congruit iuri, deinde quia congruit Const. nostrae, quae est Principis beneficium: atque ideo reor, interpretandam esse ex veteri iure, si hoc mitius est; sin severius, non item » ait d'Annibale V. 1. n. 3. ad. n. 389. *

272. Quadruplicis generis sunt censurae latae sententiae, etiam iuxta novissimum ius per Pianam Constitutionem inductum. Nam aliae sunt Romano Pontifici speciali modo reservatae, aliae item Summo Pontifici reservatae simpliciter, aliae reservatae Episcopis sive Ordinariis, aliae demum nemini reservatae. Quadruplex sane haec censurarum distinctio in praecedente quoque iure visebatur; censurae autem, quae nunc dicuntur *speciali modo* reservatae, fere iis respondent, quae in *Bulla Coenae* continebantur. Quocirca ex iis, quae tum de casibus in *Bulla Coenae* contentis, tum de speciali reservationis eorum modo dicebantur, ea ad casus speciali modo nunc reservatos fere transferenda sunt.

Imo ex decreto s. Officii 4. Apr. 1871. statutum est, ut in formulis facultatum, quas s. C. P. F. concedere solet, ubi mentio fit de casibus

in *Bulla Coenae* reservatis, substituantur censurae *speciali modo* in Bulla Apost. Sedis Romano Pontifici reservatae.

Secundum igitur quadruplicem hanc partitionem, censuras generales latae sententiae in suo vigore subsistentes heic subdemus.

* Ante quarum explicationem illud erit opportunum recolere, nos in legibus poenalibus interpretandis versari, ideoque huiusmodi interpretationis principia tenenda. Nimirum nullam poenam incurri, nisi in iure sit expressa nec ad casum, licet forte graviorem, extendendam esse legem (nisi manifestum sequatur absurdum) atque in poenis benigniorem interpretationem esse faciendam (Cf. inter Regulas Iuris in 6. reg. 15. et 49. Suarez *de Legibus* l. 6. c. 3. nn. 5. 7. s. Alph. l. 7. nn. 343. 345. Fr. Foebeum *in Regulas Iuris* in 6° ad reg. 49. et sup. tr. *de Legibus*. Vol. I. 467. seqq.).

Item cum agitur de iis, qui auxilium, favorem, defensionem praestant, hi non censentur incurrisse censuram, si qua in eos feratur nisi effectu secuto; horum enim delictum ex effectu perfectionem capit. Comm. Reat. art. 1. n. 6. Cf. heic n. 2. *

SECTIO I.

EXCOMMUNICATIONES ROMANO PONTIFICI RESERVATAE

§. 1.

Reservatae speciali modo.

Censurae huius 1ae seriei, desumptae sunt, excepta X., ex Bulla Coenae. De his ita in Const. Apostolicae Sedis: *Excommunicationi latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae subiacere declaramus.*

I. OMNES A CHRISTIANA FIDE APOSTATAS ET OMNES ET SINGULOS HAERETICOS, QUOCUMQUE NOMINE CENSEANTUR ET CUIUSCUMQUE SECTAE EXSISTANT EISQUE CREDENTES EORUMQUE RECEPTORES, FAUTORES AC GENERALITER QUOSLIBET ILLORUM DEFENSORES.

273. *Apostatas.* Apostasiam heic intellige a *fide christiana recessionem*, apostatam vero, qui a fide christiana descivit, quam baptismo professus est. Cumque apostasiae crimen in eiusmodi recessione consistat, ideo nihil interest, utrum apostata ad Iudaismum abierit an ad Paganismum aut Mahumedismum, utrum in Deismum prolapsus fuerit aut Atheismum aut in Indifferentismum (a). Et ad hunc revocari secta

(a) Quoniam *a fide christiana* dicitur, non *a fide catholica*, an huic excommunicationi et ille subiacere dicendus est, qui baptizatus in secta haeretica, ab ea desciscit ad Iudaismum vel Paganismum etc.? Cum non videatur hic esse usus, ut nomine *fidei christianae* intelligatur fides haereticorum et simus nunc in odiosis, non est, cur haec excommunicatio in huiusmodi homines extendatur. — E.

eorum solet, qui italice semet appellant *liberi pensatori:* quae appellatio, si secundum vim vocum proprie sumatur, absurda est; nam intellectus non est liber. Verum hac appellatione illud forte significare volunt, se liberos esse velle ab ullo iugo auctoritatis sive divinae sive humanae, quae mentes eorum regat et coerceat.

Haereticos. De crimine haeresis et quid requiratur, ut excommunicatio incurratur, vide dicta tr. V. Vol. II. 73. seqq. Illud adverte cum Comm. Reat., nihil interesse, num haeresim quis verbis exterius prodiderit, an solum *facto*, v. g. si abdita cordium scire vel futuras hominum liberas actiones, quae soli Deo patent, divinare conatus fuerit per tabulas semoventes vel per Crisiacos (magnetizatos) quos vocant. Vide Litteras Encycl. s. Inquis. 30. Iul. 1856. (tract. IV. Vol. II. 367. seqq.), ubi *haereticalem deceptionem* in his reperiri declaratur.

Quocumque. Sed etsi (ait Comm. Reat.) nullo modo censeatur, nulli sectae cooptati sint, hanc excommunicationem incurrunt; quod nemo unquam dubitavit aut dubitat.

Credentes. Intellige eos, qui haereticis sive explicite sive implicite fidem adhibeant. Ab haereticis hi in textu distinguuntur, 1° quia damnatis haereticorum erroribus adhaerere quis potest, dum tamen ad haereticorum sectas formaliter non pertineat: 2° quia huiusmodi credens intelligitur tum si in foro conscientiae haereticus sit proprie dictus, tum si non omnino sit haereticus, quando nempe cum externa actione credendi non sit coniuncta interna animi pertinacia contra fidem. Nam in utraque hypothesi semet haereticorum errorum sectatorem ostendit atque adeo, utpote in haeresis causa implicitus, poena haereticorum in foro externo mulctatur et huic censurae ita subiicitur, ut absolvi sine speciali facultate non possit. Ita Avanzini ad h. l. (a).

Receptores: intellige non qui in aedes suas aut terras quavis alia de causa recipiunt aut occultant, sed qui directe per hoc intendant haereticum fovere aut defendere, e. g. ut sic haeresis poenas effugiat. Receptor scilicet (idem dic de fautore, defensore) formaliter intelligi debet, qui nempe haeretico refugium praebet ut haeretico.

(a) Aliter tamen alii explicant: « Vix dubitari potest et ne vix quidem, credentes eos rectissime dici, qui credunt vera esse, quae haereticus aliquis (puta Lutherus) docet a fide aliena, ignorantes quaenam singillatim ea sint », ait d'Annibale vol. 1. not. 1. ad n. 390. Ita Toletus *Intr. Sacerd.* l. 1. c. 19. n. 7. « ille (credens haereticis) similiter haeresim committit, ac christianus fidei actum ponit, quando credit implicite, profitendo quae credit Ecclesia ».

Forte haereticus heic est, qui ad sectam aliquam spectat vel damnatus est de haeresi vel palam notus est tanquam haereticus: credens vero est qui ex catholicis haeresim tenet, sed adhuc se tanquam catholicum gerit vel putatur catholicus. Uterque sane haereticus est, sed discrimen est aliquod accidentale et extrinsecum. — E.

* *Fautores:* hi censentur (Pirhing l. 5. tit. 7. n. 114.) qui quovis modo haereticis, quatenus haereticis, auxilium praestant vel favent haeresi et quidem efficaciter, ei occasionem praebendo se constituendi, amplificandi etc. idque dupliciter fieri potest, positive et negative atque hoc altero modo faveret magistratus, qui in favorem haereticorum negligeret facere quod ex officio deberet. Si quis omittat facere id, quod ex caritate tantum debet, non his accensetur, qui excommunicantur.

Credentes receptores, fautores ut excommunicationem incurrant, haud opus est, haereticos, quibus credunt, favent etc. esse nominatim excommunicatos; quia et ante hoc iam crimen illorum perfectum est.

274. Qui vel quae matrimonium contrahens cum persona haeretica, permittit sobolem in haeresi educari, certe inter fautores haeresis numerari debet atque huic subiacet excommunicationi.

Qui, citra dispensationem, init matrimonium mixtum et quidem coram haeretico ministro, an hoc ipso dicendus est fautor haeresis? Is peccat quidem graviter, legem Ecclesiae parvipendens et praeterea communicans in sacris haereticorum: at huic peccato nulla est inflicta censura. Si autem ponas, ipsum posse et velle prolem universam catholice educare, favor haereticis in tali contractu non apparet: verum generatim merito praesumitur, eum qui, contempta Ecclesiae prohibitione, se haereticae parti adiunxit, imo eidem in haeretico ritu communicavit, velle favere haeresi, permittendo educationem prolis in haeresi. Recolenda est tamen doctrina Laymann l. 2. tr. 1. c. 14. n. 5: « Cum in canonibus ecclesiasticis faciens alicuius rei excommunicatur principaliter, accessorie autem mandans, consulens aut favens, tunc hi excommunicationem non contrahunt, nisi secuto effectu, secundum receptam DD. sententiam. Atqui hac prima Bullae (Coenae) excommunicatione principaliter excommunicantur haeretici, accessorie autem et secundum quandam extensionem, ipsorum receptatores fautores et defensores, uti etiam Suarez docuit. Ergo isti non incurrunt excommunicationem, nisi ex favore sive auxilio malus effectus sequatur ».

Absolvendos esse a censuris, qui coram haeretico ministro nuptiis contractis reconciliari petunt, respondit quibusdam Episcopis C. s. Officii 29. Aug. 1888. probante Leone XIII. Qua de re cf. dissertationem editam modo a Dr. Matthia Hohler (Linzer theol. prakt. Quartalschrift). *

275. Apud Acta s. Sedis V. 11. pag. 172. seqq. prostat instructio Card. Vicarii pro parochis et confessariis data 12. Iul. 1878.

1° Excommunicationem incurrunt Pontifici reservatam inter specialissimas (1^{ae} nempe huius seriei) omnes illi, qui etiam sine voluntate

adhaerendi haeresi et solummodo humani respectus gratia sua dant nomina haereticorum sectis denominationis cuiuslibet.

2° A fortiori poenam incurrunt eandem, qui intersunt acatholicis functionibus aut *servitiis*, ceu dici solet, aut praedicantem audiunt eo consilio, ut eidem se dedant, quatenus, ut impie dicunt, ab eo persuaderi possunt.

3° Ita etiam eandem incurrunt excommunicationem qui, alterius spiritualis ruinae fautores effecti, inducunt quomodocumque et curant ut alii eant aut veniant ad aulas vel templa haereticorum, ad audiendas *collationes*.

4° Tandem eadem innodantur poena omnes, qui typis publicant invitationes ad praefatas *collationes* et themata earundem, propter favorem, quem, tali actione, praebent haeresis propagationi aut confirmationi.

Sequitur decretum, quod dedimus in tr. V. *de Fide* vol. II. 72. (a).

II. Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorundem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes necnon libros cuiusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitos eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes.

276. *Scienter*, idest cum cognitione, 1° quod liber sit apostatae vel haeretici iuxta sensum articuli praecedentis ideoque formalis apostatae aut haeretici: 2° quod liber haeresim propugnet: 3° quod lectio poena huius censurae plectatur. Porro haec clausula ab initio posita complectitur quicumque infra nominantur h. e. non legentes modo sed et retinentes, imprimentes etc.

(a) Haec est praxis, quae servatur circa absolutionem ab haeresi.

I. Ab haeresi notoria sive cum haereticus sponte comparet, sive cum eius haeresis est ad forum iudiciale deducta Episcopus absolvere potest, vel per seipsum, vel per delegatum. — Bened. XIV. *de Syn.* l. 9. c 4.

II. Solus Papa absolvere potest ab haeresi (sive notoria sive occulta) quae nondum in foro iudiciali agitata fuit. Dicitur autem haereticus occultus ille, qui etsi cum alio haereticos sermones miscuerit, notorie tamen non habetur ut talis; aut, etiamsi cum nemine suas haereses communicaverit, nihilominus *aliquos actus extrinsecos exercuit, ex quibus dignosci poterat tanquam haereticus* — Benedictus XIV. Constit. *Pastor bonus* 18. Aprilis 1744.

Hinc elucet, quod nemo haereseos reus absolvi possit ab inferiore iudice, antequam fuerit in forum iudiciale vocatus, aut illi sese sponte obtulerit. Episcopus autem in utroque foro abiurationem Protestantium recipere valet.

Iuxta Laymann usus viget in Germania non mittendi ad Episcopum protestantes, qui volunt Ecclesiam catholicam amplecti: sed postquam veram Fidem edocti fuerint et haeresim abiuraverint, ad sacramentalem confessionem et Eucharistiae susceptionem admittuntur. Alibi quoque eiusmodi praxis obtinet.

Quoad abiurationem C. s. O. 8. Apr. 1786. et 28. Mar. 1900. declaravit, opus non esse, ut publicam abiurationem praemittant sed satis esse ut privatim coram paucis abiurent, dummodo promissa servent et revera abstineant a communicatione cum haereticis in spiritualibus aut quidquid facere haeresis protestativum. — E.

Sine auctoritate Sedis Apostolicae h. e. sine facultate facta a Summo Pontifice aut ab iis, quibus Summus Pontifex facultatem dispensandi commiserit.

Libros: * Quaeritur an ephemerides vel diariorum folia seorsim prodeuntia hisce legibus comprehendantur. In Tr. VII. Vol. II. n. 1170. responsa dedimus Congr. s. Officii, quae confer.

Apostatarum et haereticorum. Dubium movet Avanzini (Comm. n. 7°), an comprehendantur etiam libri eorum, qui in praeced. artic. adduntur, nempe credentes, fautores etc., si haeresim propugnent et respondet: « non videntur comprehendi ». Ratio est, quia prohibentur libri eorum haeresim propugnantium, qui pertinent ad primam classem (altera est credentium eis etc.), videlicet eorum qui duces sunt apostatarum et haereticorum, vel qui ad eorum sectam formaliter pertinent seu ad veros certosque haereticos. Ita in 1ª edit. manuali ann. 1872.

* Comm. Reat. ad haec verba subdit: « duobus igitur opus est. Primo, ut liber sit alicuius apostatae vel haeretici, nempe vel ex secta vel damnati ob haeresim (quamquam aliud suadere videatur verbum illud: *eorundem*) ».

Clarius forte rem declarant alii. Ita Bucceroni (comment. in h. l.) ex eo quod omittantur credentes « videtur requiri (ait) ad hanc excomm. incurrendam, quod auctor haereticus sit *aliunde notus* neque sufficere, quod primum manifestetur talis per librum (notitia scilicet quod liber sit auctoris haeretici praevertere debet lectionem). Talis enim esset potius catholicus *credens* haereticorum erroribus, quam haereticus (cf. notam ad art. praeced.), ut in praecedente excomm. distinguitur. Attamen si auctor haeresim evidenter certo propugnet pertinaci animo contra auctoritatem Ecclesiae, eo ipso haereticus iure ac merito censetur (et hac notitia accepta lector deinde in excommunicationem incideret). Hinc si liber sit anonymus, ex ipso libro cognosci potest an eius auctor sit haereticus ». S. Alph. l. 7. n. 282. *

« Deinde (pergit Comm. Reat.) opus est, ut haeresim *propugnet:* propugnare vero est, si quid opinor, haeresis patrocinium suscipere data opera et quasi pro viribus: quocirca excommunicatio eum non tenet, qui legit librum apostatae vel haeretici, si haeresim non propugnet, etsi eam contineat, imo et defendat, sed obiter, paucis et quasi aliud agens nec qui legit libros damnatos ob suspicionem haeresis, etsi sint libri haereticorum »

277. *Libros cuiusvis auctoris.* In hac altera parte articuli non refert a quo sit scriptus liber quidve contineat.

Per Apostolicas litteras nominatim. Libri *nominatim prohibiti* non

intelliguntur qualescumque libri damnati etiam per Apostolicas litteras nisi titulus libri proprius in eisdem sit expressus.

Apostolicas autem *litteras* intellige, quae nomine Romani Pontificis immediate prodeunt sive in forma *Brevis* sive *Bullae* sive *Encyclicae* sive quavis alia forma: dummodo eae prodeant Romani Pontificis nomine et auctoritatem Apostolicam praeseferant. Insuper si antea per litteras Apostolicas alii *non nominatim* damnati sint libri sine ulla excommunicatione vel cum excommunicatione non reservata, eos hodie legens nullam excommunicationem incurrit: quia in priori casu excommunicationem Constitutio nostra non invehit; in posteriori, dum non recenset modo eam censuram inter non reservatas (serie 4.), eam sustulit et si prohibiti fuerunt sub aliqua alia censura, v. gr. suspensionis, haec quoque cessavit (Comm. Reat.). Dummodo autem libri prohibiti sint nominatim per Apostolicas litteras, nihil refert, utrum ante vel post hanc Constitutionem sint prohibiti.

Imprimentes. Quoad hos haec habet Comm. Reat.: « Huc pertinent quotquot ad impressionem proxime cooperantur adeoque 1° qui huic rei quamcumque operam praestant, uti qui typos componunt, atramento eos tingunt, chartas madefaciunt etc. 2° Qui eorum operas velut conducit; idest typographus eoque magis editor, qui utrorumque operas conducere intelligitur et auctor libri, si huius cura editur liber ».

Addit Cretoni (not. ad h. l.): « quoad manuales seu cooperatores subalternos, ad incurrendam hanc censuram, praeter scientiam requisitam, diiudicandum insuper ex adiunctis, utrum ipsi in casu cooperatores formales vel materiales habendi sint atque in hac postrema hypothesi, utrum et causa iusta et proportionata a cooperationis culpa (adde, vel saltem a poena) excusentur necne ».

Quomodolibet defendentes. Tales, pergit idem, censentur (Lugo *de Fide*, disp. 21. n. 94.) « qui librum occultat, ne deferatur vel comburatur vel qui vi aut fraude id impedit, qui conatur suadere, librum bonum esse atque adeo non dignum prohibitione, qui doctrinam pravam in eo contentam tueri conatur et ab omni labe defendere. Isti enim omnes re aut verbo librum defendunt. Vide Sanchez et Palaum qui notant, non comprehendi hac censura eum, qui doctrinam bonam et veram in libro contentam approbat et laudat, dum tamen librum ipsum absolute non censeatur approbare, nec etiam qui stilum, eloquentiam, phrasim, ingenium laudat, dum non arguat laudem et approbationem libri ».

III. Schismaticos et eos, qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt.

278. *Schismaticos*. Schismatici proprie dicti intelliguntur qui non solum a debita Romano Pontifici (utique ut Pontifex est, non ut Rex) subiectione pertinaciter recedunt: sed veluti auctoritate freti, novos coetus ab unitatis centro separatos constituunt, ceu promotores ecclesiarum nationalium; vel eisdem coetibus se adiungunt. Et isti quidem pertinent ad schisma perfectum, quo ab Ecclesia prorsus se separant, etsi intelligas schisma, quod vocant *purum*, cui nempe nulla haeresis sit admixta: quod vix contingit. Quamvis enim per se fieri possit, ut quis, quamvis credat, oportere adhaerere Ecclesiae Romanae unitati, velit tamen, vehementi aliqua affectione devictus, se ab ea separare; nihilominus id est in more hominum situm, ut qui secedit, secessionem suam velit tueri: idcirco Primatum saltem Romani Pontificis negabit et haereticus erit, ut propterea duplici excommunicatione teneatur.

Schisma dicitur consistere in facto, quatenus qui sciens et prudens vult exterius se separare ab unitate catholicae Ecclesiae, schismaticus est, quamvis animo aliud sentiat. Sic qui ob metum spondet obedientiam Regi tamquam Ecclesiae capiti, schismaticus est, etsi aliter mente censeat.

Schisma imperfectum constituunt illi, qui secundo loco recensentur *qui se subtrahunt ab obedientia Romani Pontificis* exsistentis, quamvis in coetus separatos non coalescant. Et hoc sensu Avanzini (Comm. n. 10.) comprehendi his verbis eos putat, qui se *catholicos liberales* appellant, qui nempe, posthabitis legibus ac mandatis Romani Pontificis, sese publice gerunt tanquam ab eius obedientia solutos; quippe et hi vero sensu rebelles sunt, se subtrahentes a Romani Pontificis exsistentis obedientia.

Qui vero solummodo certis in casibus inobediens sit, quin simul ex habitu debitam subiectionem detrectet, hic non iis comprehenditur, qui heic excommunicantur. Non comprehenduntur scilicet, qui renuunt obtemperare propter rem praeceptam v. gr. in ieiuniis, festis diebus etc.; sed hi tantum, qui spirituale imperium et auctoritatem Romani Pontificis exsistentis abiiciunt, ait Comm. Reat.

Pertinaciter. Necesse est, ut recessus sit ex pertinacia, h. e. ut quis recedat (quemadmodum haereticus a fide) sciens volens. Comm. Reat.

Idem advertit hac excommunicatione non plecti schismaticorum fautores, defensores etc. quos nec Bulla Coenae complectebatur.

IV. Omnes et singulos, cuiuscumque status, gradus vel conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore exsistentium ad universale futurum Concilium appellantes necnon eos, quorum auxilio, consilio et favore appellatum fuerit.

279. *Appellantes.* Ne hi, qui a Romani Pontificis pro tempore exsistentis obedientia pertinaciter se subtrahunt (de quibus in praeced. art.), sub praetextu appellationis ad futurum Concilium, contra definita iura Primatus, impune id praestare praetendant, hoc speciale rebellionis crimen speciali censura multatum est.

Sed ad incurrendam hanc censuram, necesse est ad Concilium futurum appellare: ideo si ad futurum Romanum Pontificem, vel ad Concilium praesens (etsi forte intermissum) appellatum fuerit, censurae locus non est. Item necesse est ad Concilium *universale* appellare: quare appellatio ad Concilium provinciale, quamvis iniuriosa magis, censura hac non plectitur.

Si vero non persona quaepiam singularis, sed communitas aliqua seu persona moralis appellationem huiusmodi interposuerit, *interdictum,* ut infra dicetur, speciali modo reservatum incurrit.

V. Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos Sedisque Apostolicae Legatos vel Nuncios aut eos a suis dioecesibus, territoriis, terris seu dominiis eiicientes necnon ea mandantes, vel rata habentes seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

280. De his ita egregie Comm. Reat.: « Hac censura puniuntur iniuriae in corpus, libertatem, dignitatem Procerum Ecclesiae. In *corpus*, nempe *interficiendo*, *mutilando, percutiendo*. Interficere est necare quoquo modo ut puta veneno, fame etc.: mutilare est membrum abscindere: percutere accipimus omnem iniuriam, quae manu fit ».

« In *libertatem*, scilicet *capiendo*, *carcerando*, *detinendo*. Capere est comprehendere: carcerare est detrudere vel continere quovis loco, privato quoque. Detinere est quovis loco inclusum custodire, ne excedere possit ».

« In *Dignitatem,* nimirum *hostiliter insequendo* vel *eiiciendo*. Insequi est fugientem sequi: hostiliter idest animo nocendi (vel corpori vel libertati); proinde hanc excommunicationem incurrit, qui vel tantum insequitur, etsi non adsequatur, vulneret, capiat: non incurrit,

qui insequitur perterrefaciendi vel diripiendi causa. Eiicere est antea receptum expellere; adeoque ea non tenentur qui non recipiunt ».

« *A suis terris vel dominiis*: suis idest verius sibi subiectis et non tantum ubi domicilium fovent vel nati sunt. Nec distinguitur, qua auctoritate eos eiecerint, publicane an privata, quove modo, utrum nempe vi adhibita, an minis, an nudo praecepto ». Porro hoc loco excommunicantur nedum qui percutiunt, mutilant etc. quique eis auxilium, favorem praestant; sed et ii, qui ratum habent. Verum ut hi excommunicationem incurrant, necesse est 1° ut percussio, mutilatio etc. facta fuerit suo ipsorum nomine; quia non potest quis ratum habere, quod suo nomine non est gestum (c. 23. *de Sent. Excomm.* in 6°): 2° ut quo tempore haec gesta fuerunt, ipsi ea admittere atque adeo mandare potuerint; nam ratihabitio retrotrahitur et mandato aequiparatur.

Mandantes vero *praestantes auxilium, consilium, favorem*, intelligendi sunt de mandato, auxilio, consilio, favore *efficaci* et quod *graviter* influxerit. Quia vero favor et negative praestari potest, si quis faveat, omittens id quod ex officio aut iustitia facere tenetur, ut rex aut magistratus, subest huic censurae; si vero ex caritate solum tenetur, non incurrit.

VI. Impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori et ad hoc recurrentes ad forum seculare eiusque mandata procurantes, edentes aut auxilium vel favorem praestantes.

281. Actio, quae hac excommunicatione coercetur, est *impedire exercitium iurisdictionis ecclesiasticae*, tum ordinariae tum delegatae, sive externi fori sive interni, cuiusmodi est in primis ea, qua utitur s. Poenitentiaria. *Impedire* est efficere ut aliquis invitus cesset ab opere quod intendit, quodque esset aggressurus vel proventurus, nisi impedimentum offenderet.

Iamvero ad potestatem iurisdictionis externi fori pertinet edere leges ac mandata, iudicia exercere, poenas infligere, exsequi sententias latas, conferre beneficia, deputare ad munia ecclesiastica, praedicatores mittere, visitare dioecesim vel per se vel per alium, docere plebem et fidem tueri ac mores corrigere, cogere synodum atque ea, quae sunt Ordinis, aliis peragenda committere (a). Haec autem distinguenda sunt ab iis,

---

(a) His permixta habes tum quae sunt *contentiosae* tum quae sunt *voluntariae* iurisdictionis eaque omnia communiter a Canonistis ad iurisdictionem referuntur. Dubitatur de *potestate docendi:* nam et parochus docet, quem translatitium est, nullam in foro

quae pertinent ad potestatem Ordinis, cuiusmodi sunt sacra obire, sacramenta ministrare, personis et rebus benedicere, consecrare, tum ab iis, quae magis sunt officii seu iuris, ut bona acquirere seu alienare, uno verbo contractus inire.

Itaque ut quis dicatur exercitium iurisdictionis impedire, necesse est, ut ei obsistat, penes quem est iurisdictio v. gr. Ordinario, Paroco, Iudici et quidem obsistat ei volenti sua iurisdictione legitima uti; etenim iurisdictio, quae non competit vel non ex iure exercetur vis est (Comm. Reat.): obsistat autem ne illa iurisdictione sua uti aut incipiat aut pergat, quo spectat etiam si quis exsecutionem cuiusvis sententiae vel decreti huiusmodi impediat, maxime si id faciat appellando vel quomodocumque recurrendo ad potestatem laicam, ut dicitur, *propter abusum.*

Proinde qui vexat e. gr. Episcopum, qui sua iam iurisdictione est usus, quia, puta, aliquem excommunicavit, non subest huic censurae. Neque subest, qui prohibet *actori* adire iudicem ecclesiasticum.

Hanc autem excommunicationem incurrunt huius iurisdictionis exercitium *impedientes* seu 1° *facto aliquo* v. gr. vi, minis, imperio vel *directe* v. gr. si quis Episcopo in eum finem necem minetur etc. Vel *indirecte*, ut si facto prohibeat, ne addicti Curiae ecclesiasticae munus suum ea in re obeant etc. (a).

---

externo iurisdictionem habere (Card. D'Annibale heic edit. 4.): verum Episcopus docens ex peculiari suo officio Pastoris obligationem, etsi non peremptoriam, imponit ovibus suis suscipiendi cum reverentia quae docet iisque morem gerendi: sunt enim Episcopi in Ecclesia doctores, licet non supremi: quoties vero aliqua obligatio imponitur, ex publica auctoritate, iurisdictio aliqua exercetur. Multo magis ad iurisdictionem pertinere videtur *collatio beneficiorum;* nam etsi videatur actus simplex favoris, si spectatur is qui beneficium recipit, attamen imponit simul ceteris Episcopus obligationem habendi illum tanquam talis beneficii legitimum possessorem: qui est actus iurisdictionis. Praeterea conferre iurisdictionem est actus iurisdictionis, at parochos instituere collato beneficio, est conferre iurisdictionem. Quocirca non satis capio cur a canonistis modo id non censeatur inter actus proprie dictae iurisdictionis. Est principium a doctoribus communiter admissum (ait Bouix *de Episcopo* sect. 3. c. 3. §. 3. q. 6.). potestatem beneficia conferendi non pertinere ad ordinariam iurisdictionem Episcopi, sed esse facultatem extra-iurisdictionalem, a lege ecclesiastica concessam Episcopis. Spectat scilicet ad iura et praerogativas Episcoporum. Idem tenetur de potestate docendi: quamvis in Summo Pontifice magisterium nexum certe sit cum iurisdictione; imponitur enim fidelibus ab Pontifice docente obligatio in conscientia credendi et tenendi quae docet eisque non contradicendi. Iurisdictio scilicet est potestas publica coactiva (h. e. obligationem imponens) regendi aliorum actus ad societatem pertinentium, quod quidem fit tum legibus, tum sententiis, tum poenarum exsecutione et nescio cur pariter fieri nequeat beneficiorum collatione. Ceterum cl. Pennacchi aliter concipit iurisdictionem ex Berardi *Comm. in ius eccl. univ. dissert. proemiali* c. 1., qui inter actus proprios iurisdictionis ecclesiasticae collocat institutionem clericorum in beneficiis. — E.

(a) Censet cl. Pennacchi (app. V.), indirecte saltem impedire iurisdictionem iudicis ecclesiastici eum, qui, postquam causa aliqua legitime apud Episcopum ex. gr. introducta est dirimenda, cogeret actorem evocare causam a tribunali Episcopi, eamque agere apud magistratum civilem. Verum forte hic potius quam impedire dicendus est subtrahere materiam iurisdictioni, non secus ac si prius non adiisset tribunal Episcopi, qui adire debebat. Certe autem qui cogit iudicem ecclesiasticum revocare iustam sententiam, quam tulit, impedit eiusdem iurisdictionis exercitium. — E.

Seu 2° *mandata edendo*, quod intelligitur de eo, qui mandatum condat, quo exercitium ecclesiasticae iurisdictionis impediatur (a). Mandatum vero debet esse ab eo, qui in foro habeat iurisdictionem, sine qua huiusmodi mandatum ne intelligi quidem potest.

Seu 3° *recurrendo ad forum seculare* (b) *eiusque mandata procurando*, ad eludendum scilicet iudicium fori ecclesiastici. Utrumque vero et recursus et procuratio requiritur; utrumque enim copulat Pontifex atque prior actus ad alterum ordinatur et ex utroque unus exsistit completus.

Porro *recurrentes et procurantes* distinguuntur a superius nominatis *impedientibus* scilicet, qui alii esse possunt ab illis; quemadmodum in Bulla Coenae distinguebantur. Ideoque heic particula *et* perinde est ac *vel*, ut non raro contingit.

Seu 4° demum quotquot his omnibus *auxilium, consilium*, vel *favorem* praestant: v. gr. qui impedire volentibus procurant mandata.

Huc usque ex egregio Comm. Reat. ubi additur: « effectu nondum secuto, nec impedientes nec mandata edentes nec recurrentes (atque adeo) nec auxilium etc. praestantes excommunicationem contrahere ». Contraria sententia saltem quoad *recurrentes* placuit Avanzini (Comm. n. 11.). Sed subdit (ad artic. 8m Comm. Reat.) « *puto non facile recedendum esse a generalibus regulis iuris* ».

VII. Cogentes sive directe sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas, praeter canonicas dispositiones itemque edentes leges seu decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae.

282. *Personas ecclesiasticas*, eos omnes scilicet, qui gaudent privilegio fori.

Iudices laicos: hi sunt qui ex officio civili iudicant, etsi forte sint clerici.

Trahere ad tribunal est cogere aliquem iurisdictionem iudicis subire.

Cogentes. Olim (Bulla Coenae §. 15.) excommunicationi erant obnoxii iudices, qui trahebant ecclesiasticos ad suum tribunal: hodie obnoxii sunt, qui ad id cogunt ipsos iudices laicos, idest qui potestate laica iudicium exercent. Ita declar. s. Inquis. 26. Mart. 1874. et 23. Ianuarii 1886. scilicet *Caput* cogentes *non afficere nisi legislatores et*

(a) Sub his intelligit Pennacchi magistratus et iudices, qui solent ferre mandata, supremos vero Principes, si legibus suis obsistant, revocat ad generatim impedientes. — E.

(b) Nomine fori ecclesiastici veniunt probabilius tantum iudices, non magistratus; praesides, qui proprie forum non habent. Ita ipse D'Annibale heic. At cl. Lega (Praelec. in textum I. C. vol. 3. n. 442.) quia forum saeculare opponitur ecclesiastico latissime sumpto, magis probat aliam sententiam. — E.

alias auctoritates cogentes sive directe sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas, praeter canonicas sanctiones. Quo responso declaratum est vel temperatum aliud datum 1. Febr. 1871. (apud Pennacchi) nimirum *Verbum* cogentes *sane indicat, excommunicationem eos non attingere, qui subordinati sint, etiamsi iudices fuerint: sed in eos tantum esse latam, qui a nemine coacti vel talia agunt* (a) *vel alios ad agendum cogunt.*

Itaque; cum verba huius articuli manifeste distinguant inter eos qui cogunt iudices atque ipsos iudices, illos vero tantum puniat censura, hanc non incurrunt iudices, qui sponte trahant ad suum tribunal ecclesiasticas personas.

Neque censuram contrahit, qui clericum accusat apud tribunal laicum vel in ius vocat pro solutione debiti; « non enim ille cogit iudicem ut clericum in ius trahat, sed ut in eum, quem ipse traxit, ius dicat ». Ita Comm. Reat., qui addit: « Qui contra putant, replent excommunicationibus civitates, oppida, imo et pagos, in quibus Conciliatores ius dicunt: nam et hi penes nos veri iudices sunt (Cod. proc. civ. nn. 70. 120. §. 1.) ».

Neque qui cogit iudicem citare clericum ut testem, aut ut reddat rationem pro alio puta tutorem, vel scopo defensionis ad evictionem praestandam, vel si habeatur tanquam pars minus principalis propter connexionem causarum ad normam tituli *De Mutuis petitionibus* Lega l. c. n. 443.

Praeter canonicas sanctiones. Exceptio fit ab ipsa Constitutione: nimirum nisi quando per canones aut concordata aut huiusmodi privilegia a s. Sede concessa, permittatur, trahi ecclesiasticum ad laicum tribunal, ita tamen ut serventur conditiones, quibus id permittitur.

Quid ergo agendum laico, qui causam habet cum clerico ubi fori ecclesiastici libertas per vim est sublata et nullum concordatum hac in re canonibus derogavit? Respondit s. Inquis. 23. Ian. 1886. una cum responso superius citato: « In iis locis, in quibus fori privilegio per Summos Pontifices derogatum non fuit, si in eis non datur iura sua persequi nisi apud iudices laicos, tenentur singuli prius a proprio ipsorum Ordinario veniam petere, ut clericos in forma laicorum convenire possint eamque Ordinarii nunquam denegabunt tum maxime cum ipsi controversiis inter pares conciliandis operam dederint. Episcopos autem in id forum convenire absque venia Sedis Apostolicae

---

(a) Lectio haec non est communis: quidam referentes hoc responsum s. C. omittunt vocem *agunt:* cf. Avanzini et Bucceroni ad h. art. Certe noluit s. C. dicere, iudices sponte sua trahentes excommunicationi subesse, cum lex solum loquatur de cogentibus iudices et tenenda est declaratio data 23. Ian. 1886. — E.

non licet. Et si quis ausus fuerit trahere ad iudicem seu iudices laicos vel clericos sine venia Ordinarii vel Episcopum sine venia s. Sedis in potestate eorundem Ordinariorum erit, in eum, praesertim si fuerit clericus, animadvertere poenis et censuris ferendae sententiae, uti violatorem privilegii fori, si id expedire in Domino iudicaverint ». (Acta s. Sedis V. 18. p. 416.). Ubi vides mentionem non fieri eius excommunicationis, de qua agimus.

283. *Item edentes leges* etc. In altera huius artic. parte animadvertitur in edentes idest condentes leges vel decreta contra libertatem et iura Ecclesiae nempe universalis.

Leges sunt, quae a suprema potestate in perpetuum constituuntur: *Decreta*, quae a quavis potestate, v. gr. a Praefecto urbis, Municipio etc. ferantur *generaliter*, non vero quae ferantur in singulas personas vel singulos casus (quae mandata potius dixeris) adeoque nec sententiae latae a iudicibus.

Contra libertatem ac iura. Haec verba latissime patent et omne prorsus feriunt legum aut decretorum genus, quibus nedum exercitium potestatis ecclesiasticae sive iurisdictionis sive ordinis, sed quodvis aliud ius intercipitur, restringitur, perturbatur, ut ius docendi, promovendi ad beneficia, publicas supplicationes extra templum vel noctu obeundi, ecclesias, beneficia, pia sodalitia erigendi, conferendi beneficia sine ullo interventu laicae potestatis, imo et iura, quae Ecclesiae uti societati competunt, ut ius acquirendi actibus ultimae voluntatis vel inter vivos, alienandi, elocandi bona sua ultra novennium etc. Huc spectat lex de *Regio placet* et *Regio exsequatur.*

Excommunicationem hanc incurrunt edentes huiusmodi leges aut decreta auctoritate laica et si suffragio v. gr. populi, senatus etc. rogata haec fuerint, hac censura ligantur quotquot eis suffragati fuerint saltem efficaciter et statim ac fuerint promulgata.

Quia sermo est de edentibus leges seu decreta ideoque de horum auctoribus, hac censura proinde non tenentur praecones, qui evulgant, tabelliones qui in Acta referunt vel iuxta ea conficiunt acta, magistratus, qui ex eis ius dicunt.

Utraque in parte huius art. omissi sunt a Summo Pontifice, qui his in rebus auxilium, consilium, favorem praestent: non ergo hi hanc incurrunt censuram.

VIII. Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica vel ab eiusdem legatis aut delegatis quibuscumque profecta eorumque promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes aut eorum causa sive ipsas partes sive alios laedentes vel perterrefacientes.

284. *Laicam potestatem* h. e. eos, qui aliqua in cives iurisdictione fruuntur, ut sunt iudices, praesides, praefecti urbium: non ergo quaestores, syndici, magistri militum. Et ad eos recurrendum est prout ipsi potestate sunt praediti.

Acta. Acta Sedis Apostolicae appellantur, quae Romae geruntur a Romano Pontifice vel de mandato ipsius, sive spirituale sive temporale negotium contineant. Porro Acta s. Sedis intellige, sive ab ipsa immediate proficiscantur sive mediate a Romanis Congregationibus proveniant. Ita Responsum citatum C. s. Inquisitionis 13. Ianuarii 1892. ad 2^{m}.

Delegatis: eos intellige, quibus aliquod negotium particulare gerendum committitur: *Legati* e contrario habent aut generalitatem negotiorum concreditam aut saltem valde implexum traditum munus (de Angelis *Iur. Can.* l. 1. tit. 30. n. 1.). Legati autem aut delegati accipiendi, qui tales sunt *ab homine*, non *a iure;* nam horum potestas est ordinaria et perpetua.

Promulgationem. Promulgatio potius quam pro evulgatione, quae in facto est sita, videtur accipienda pro publicatione consueto more et forma, quae est res iuris.

Exsecutionem, idest quidquid est necessarium ut litterae actave Apostolica effectum habeant atque ii, ad quos pertinent, illis uti possint.

Controvertitur, utrum ad incurrendam hanc censuram, necesse sit, ut publicatio vel exsecutio prohibeatur auctoritate publica. Comm. Reat. affirmantes eo argumento tuetur: « nam Pontifex de ea prohibitione videtur loqui, quae profluit ex recursu ad potestatem laicam ». Subdit tamen, contrariam esse communiorem et graviorem; quia lex non distinguit. At *in Summ.* V. 1. n. 390. not. 8. concludit, rem tandem dubiam esse. Ceterum privatus homo haec raro admodum prohibere poterit, at raros casus lex non solet attingere (l. 3. Dig. *De legibus*).

Laedentes: videtur stricta significatione accipiendum; porro laedi proprie corpus dicitur. Oportet autem laesionem esse gravem; quia excommunicatio est gravis poena.

Perterrefacientes. Perterrefacere indicat metum sane gravem incutere.

Partes ipsas, h. e. eos, ad quos pertinent litterae seu acta Apostolica.

Sive alios, non quoslibet utique, sed illos, ad quos pertinet publicatio vel exsecutio litterarum seu actorum. Haec igitur excommunicatio est contra *recurrentes*, *prohibentes*, *laedentes* vel *perterrefacientes.*

Quid vero si regius minister neget *Regium exsequatur*, quod iniquae est institutionis? Quatenus hoc ipso prohibet exsecutionem litterarum Apostolicarum, manifestum est, hanc censuram incurrere.

IX. Omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ac supplicationum, gratiam vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem vel per s. R. E. Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatarum. Nec non falso publicantes litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis et etiam falso signantes supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis seu Vice-Cancellarii aut Gerentis vices praedictorum.

285. Crimen falsi est *veritatis immutatio vel suppressio in fraudem alterius vel sui commodum facta.* Cf. Schmalzgr. l. 5. tit. 20. nn. 1. seqq. ex Cod. *ad Legem Corneliam, de Falsis.* Idcirco ad crimen falsi tria requiruntur: 1° immutatio seu suppressio veritatis: 2° quod haec fiat dolo malo: 3° quod nocere alteri possit seu alterum decipere; quamvis forte nocumentum seu deceptio non sequatur: vel quod possit sibi prodesse. In crimine falsi generatim spectato ratio habetur praecipue nocumenti, quod alteri affert vel afferre potest: si vero crimen falsi committitur in Rescriptis Principum, specialis ratio habetur irreverentiae erga Principem: ut idcirco hoc crimen iure Romano puniretur poena mortis, qua poena alia crimina falsi regulariter non plectebantur Schmalzgr. l. c. n. 30. Porro huius speciei est crimen, quod hac excommunicatione punitur.

Cum crimen falsi admittatur dictis, factis, scripturis, hoc tertium tantum heic punitur.

Falsarios. Falsarii heic, ut congruit, distinguuntur ab iis, qui falsas litteras ex integro fabricant vel confingunt, de quibus in 2ª parte huius articuli. Falsarii ergo sunt, qui dolo malo instrumenta, heic autem litteras Apostolicas, adulterant, mutando, addendo, detrahendo ita, ut mutetur sensus a Romano Pontifice principaliter intentus et sic alter decipi possit.

Litterarum Apostolicarum. Hae sunt Bullae, Brevia, Rescripta tam gratiam quam iustitiam concernentia, quae nempe vel beneficium continent, vel ad lites ideoque ad causae alicuius cognitionem vel definitionem pertinent, quae nomine Papae expediuntur et signantur vel ab Eo vel a Vice-Cancellario vel a Gerente eius vices vel ab alio de mandato eiusdem Pontificis. Huc ergo non spectant litterae seu rescripta Legatorum a latere, Nunciorum ac ss. Urbis Congregationum. Imo nec spectant litterae aut Rescripta, nondum signata aut munita sigillo ; quia nondum sunt litterae vel Rescripta Apostolica, cum nondum valeant: neque huc spectant litterae, quae valere desierint et amplius valere nequeant, cuiusmodi esset dispensatio matrimonialis, mortuis dispensatis, nisi tamen falsitas ibi inducta nocitura esset proli aut aliis et nisi corruptio aliquid contineret contra fidem, bonos mores aut iustitiam.

Supplicationum. Preces sunt quae Pontifici offeruntur et quibus Ipse rescribit: *Fiat*, vel intelliguntur Rescripta, quibus Pontifex, mentione facta supplicationis, eidem respondet.

Falso publicantes. Qui nempe publicant vel litteras utique Apostolicas sed adulteratas vel ex integro confictas. *Publicare* vero non est paucis tantum ostendere, sed in vulgus diffundere, ut notitia publica dici possit. Heic non memorantur *supplicationes.*

Falso signantes supplicationes. Heic sermo est tantum de supplicationibus. Falso signant, qui postquam eis falso rescripserint: *fiat,* subscribunt nomen Pontificis vel Vice-Cancellarii vel Gerentis eorum vices.

Itaque crimen falsi, quod heic excommunicatione coercetur, triplici-ter fit: 1° corrumpendo litteras Apostolicas et supplicationes: 2° publicando corruptas vel falso confictas litteras Apostolicas: 3° falso signando supplicationes.

Verum ut censura incurratur, necesse est 1° ut haec *dolo malo* fuerint admissa: 2° ut, si alterius intersint, hoc alteri graviter noceat aut nocere possit. Dixi, *si alterius;* nam si tua solum intersint, satis est quoquo modo falsificasse (Comm. Reat.) (a): 3° demum ut falsi-

---

(a) Quaerit Schmalzgr. l. c. n. 36. an poenas falsarii incurrat etiam ille, qui in Rescripto (Pontificio) iustitiae immutat aliquid, ex quo nullum aut leve damnum parti aut fisco infertur. Et ratio, ait, dubitandi est, quia crimen falsi interdicitur ob damnum, quod inde sequitur: si ergo damnum sit leve, culpa erit levis et sic immunis erit a censura. Verum probabilius esse ait, quod hic poenas falsarii incurrat. Quia falsatio litterarum Apostolicarum prohibita est sub poenis praedictis non tam propter damnum quod inde sequitur, quam propter iniuriam et contemptum supremae auctoritatis: quod maxime patet ex litteris gratiae, dispensationum etc., quae in nullius damnum cedunt et tamen earum falsificatores easdem subeunt poenas. — E.

tatem perfeceris, compleveris: cum autem falsitas completa fuerit, excommunicatio statim incurritur, tametsi falsatis litteris aut rescriptis minime utaris. Excipe, quae admittitur confingendo litteras Apostolicas, ante quarum publicationem censura ista non incurritur.

Quia vero requiritur dolus, si veras litteras corruperis mox laceraturus, nemini nocens, verius est, excommunicationem cessare (Comm. Reat.).

Qui litteris falsis tantum utitur, aliam incurrit, non hanc, excommunicationem, Episcopo reservatam, de qua infra.

X. Absolventes complicem in peccato turpi, etiam in mortis articulo, si alius sacerdos licet non approbatus ad confessiones, sine gravi exoritura infamia aut scandalo, possit excipere morientis confessionem.

286. De hoc articulo nihil est quod addatur iis, quae in tr. *de Poenit.* Vol. V. nn. 412. seqq. dicta sunt (a).

* Iam anno 1866. 17. Iun. Pius IX. decreto s. Inq. edixerat, « in facultatibus, quibus Episcopi aliique locorum Ordinarii ex concessione Apostolica pollent absolvendi ab omnibus casibus Apostolicae Sedi reservatis, excipiendos semper esse in posterum et exceptos habendos esse casus reservatos in Bulla Benedicti XIV. *Sacramentum Poenitentiae* ». Casus duplex est, attentantis absolutionem complicis in peccato turpi et falso denuntiantis sacerdotem aliquem de sollicitatione. Hic alter casus est reservatus Sedi Apostolicae absque censura, nec ullus alius huiusmodi esse videtur.

Porro nunc post Const. *Apostolicae Sedis*, in qua absolutio complicis reservata est s. Sedi *speciali modo*, quamvis consequens foret, eos, quibus et hi casus *speciali modo* reservati concedantur, posse absolvere eum sacerdotem, qui complicem absolvit; tamen C. s. Inq. 4. Apr. 1871. declaravit, in concessione absolvendi ab omnibus casibus vel censuris etiam *speciali modo* s. Sedi reservatis non comprehendi hanc articuli X.: sed semper intelligendam esse exceptam, nisi disserte exprimatur. Idcirco hic est casus, ut notat Avanzini, *specialissimo modo* reservatus s. Sedi.

Iuverit et haec notare ex cl. Pennacchi in Comm. huius Const.

(a) Adverte, quod ibidem in nota indicatum est, Pium IX. non amplius loqui de iis qui *audent* absolvere, sed simpliciter de iis, qui *absolvunt*. Unde colligit Comm. Reat. ignorantem confessarium non excusari, si ignorantia eius fuerit crassa et supina. Id porro nuper confirmatum est Responso s. C. Inq. 13. Ian. 1832. ad 3m. Secus, ait idem doctor, si dubitans an sit complex, absolvat; neque sane quaerere debet a poenitente, an secum peccaverit. — E.

p. 332. « Benedictus XIV. facultatem Confessario complici facit in mortis articulo complicem absolvendi, si secus infamia (gravis, ait Pontifex) et scandalum vitari non possunt: periculum igitur infamiae fuit potissima et unica ratio, quae sapientissimum Pontificem induxit ad temperandum legis rigorem... Benedictus igitur fidelium scandalum et sacerdotis infamiam (quae in ipsius sacerdotalis status dedecus redundat) vult omnino eliminare. Ergo si aliquo in casu eiusmodi ratio evidentissima habeatur, arbitror non agere contra legem sacerdotem, qui complicem suum absolvat ». Consentit et d'Annibale sub hac Cens. n. 87.

Advertimus, Benedictum XIV. et Pium IX. loqui de infamia *gravi:* verum hac in re si vel solum probabilis suspicio detur huius criminis, iam gravis est infamia et gravis scandali causa. Additum ergo *gravis* eo spectare videtur, ut verae infamiae sit timor, non praetextus, quo se sacerdos illudi sinat *.

XI. Usurpantes aut sequestrantes iurisdictionem, bona, reditus ad personas ecclesiasticas, ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum, pertinentes.

287. *Usurpantes:* aliquis usurpare dicitur, quando veluti iure proprio quidpiam in potestate domini exsistens occupat tanquam ad se pertinens (Suarez *de Censuris* disp. 21. sect. 2. n. 96.). Non requiritur, usurpationem fieri publica auctoritate, ut vera usurpatio dicatur; nam et privata persona, ius proprium praetendens, potest alienum invadere sibique vindicare. Tria ergo requiruntur, ut sit usurpator: ut rem occupet, rem quae adhuc est in potestate domini, a quo extrahitur, occupet tanquam suam seu tanquam iure proprio utens. Defectu secundae conditionis non est usurpator, qui rem accipit ab usurpatore: defectu tertiae non est usurpator fur aut latro, qui rem alterius quidem accipit ut sua sit, sed non quasi sit sua seu quasi iure suo sibi eam vindicans. Idem dic de eo qui sata, domum incendat, arbores caedat etc. Atque ita s. C. Inq. 9. Mart. 1870. interrogata, an sub usurpantibus comprehendantur fures, qui fructus beneficiorum furantur, respondit, *non comprehendi.* Idem iam responderat C. C. in Sorana 17. Febr. 1696. quoad excommunicationem Bullae Coenae et Conc. Trid. Nec qui bona fide accepit et postea sciens retinet; quia deest actus usurpationis. Nec qui, ut se compenset, accipit; quia compensatio non est usurpatio (Comm. Reat.).

Sequestrantes: sequestrum (ait Comm. Reat.) est rei controversae, sive mobilis sive immobilis, penes tertium depositio, ut, lite finita, victori restituatur. Sequestrum absque mandato iudicis nullum

concipitur; sequestrantes ergo excommunicati sunt certe *iudices:* quia vero in iure etiam *actor* sequestrare dicitur, videtur et ipse sub hac voce comprehendi; quod tamen Bonacina *de Censuris Bullae Coenae* disp. 18. p. 3. n. 10. absque ulla dubitatione negat, negat scilicet instantem apud iudicem secularem, ut sibi concedatur sequestratio fructuum ecclesiasticorum, comprehendi censura, quae afficit tantum facientes, non consulentes, mandantes, procurantes etc. Sequestratione autem rei impeditur, ne quid ex ea illi percipiant, ad quos ipsa pertinet.

Iurisdictionem intellige seu spiritualem seu temporalem (Suarez l. c. n. 95.). Cl. Lega intelligit iurisdictionem fori externi tantum (l. c. n. 448.): sed nonne parochis ratione suorum beneficiorum competit iurisdictio eaque interni fori? Cur dicatur haec *impropria iurisdictio* non satis assequor.

Bona seu mobilia seu immobilia seu etiam iura.

Reditus vero sunt quidquid res fert naturaliter vel civiliter.

Ad personas ecclesiasticas: intelliguntur scilicet iurisdictiones, bona, reditus, quae pertinent ad personas ecclesiasticas. Idcirco usurpantes bona locorum piorum e. gr. fabricae ecclesiae etc., hanc censuram non incurrunt; quae personis ecclesiasticis per se consulit. Quocirca nec excommunicatio ista incurritur, si quis haec bona usurpet, dum beneficium vacat; deest enim persona ad quam eadem pertineant (a).

Ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum. Distinguuntur ecclesiae a beneficiis; quia sunt nonnullae ecclesiae, in quibus facta non est divisio praebendarum (Lega l. c. 450.). Non omnia bona pertinentia ad ecclesiasticas personas comprehenduntur, sed quae ad ipsas pertinent 1° ratione suarum *ecclesiarum*, ut quae pertinent ad Episcopum, quatenus est huius ecclesiae Episcopus, vel ad parochum, quatenus est huius ecclesiae rector, vel quae pertinent ad clericos adscriptos alicui ecclesiae, in qua facta non sit divisio praebendarum: 2° ratione suorum *beneficiorum.* Quapropter quae alio titulo, puta stipendii, pensionis, cappellaniae laicalis possidentur, non huc spectant. Neque spectant distributiones quotidianae, quae stipendium sunt quoddam propter officium. Spectant autem decimae, quae debentur parocho ratione ecclesiae cui praeest.

Porro beneficia intelliguntur sive secularia sive regularia, sive iurispatronatus, sive secus; lex enim non distinguit. An comprehenduntur

---

(a) Contradicit Bonacina et merito; nam semper verum est, ea bona pertinere ad personas ecclesiasticas, ad successorem nempe, cui servanda sunt. Bonac. l. in textu citato, n. 31. Secus si ex legitima consuetudine, privilegiis aut concordatis bona vacantia ad alias spectarent quam ad ecclesiasticas personas. Cf. Pignatelli, Consult. Tom. 4. con. 126. n. 4. — E.

beneficia manualia? Si sermo sit de regularibus, utique; nam beneficia regularia sunt manualia. At beneficia secularia manualia minus proprie dicuntur beneficia (tr. IX. Vol. IV. 241.): cum ergo simus in odiosis, excludenda videntur. Quamvis, quatenus censura haec favet personis ecclesiasticis, cum favores sint ampliandi, comprehendi videantur.

Avanzini (comm. n. 18.) huc spectare quoque censet bona monasteriorum, quasi ad personas ecclesiasticas pertinentia ratione suarum ecclesiarum. Profecto in Bulla Coenae §. 12., unde iste articulus desumptus est, dicitur: *ad quascumque personas ecclesiasticas ratione ecclesiarum, monasteriorum, et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum pertinentes*: porro vox *aliorum* ibi insinuat, beneficiornm potius quam ecclesiarum nomine monasteria comprehendi. Ceterum 1° cum nostra Const. omiserit mentionem monasteriorum, quae exstabat in Bulla Coenae, satis significavit, se nolle ea complecti: 2° bona monasteriorum *generatim* (excipe mensam abbatis vel praepositi perpetui, quae est beneficium regulare) non pertinent ad personas ecclesiasticas sive religiosas, sed vel ad ipsa monasteria vel ad eorum sacristiam vel ad Ecclesiam Romanam.

288. * Quid si quis usurpet aut sequestret ipsas ecclesias seu beneficia, h. e. fundos, ex quibus ius est percipiendi fructus? Reapse bona, quae spectant alicui ratione ecclesiae vel beneficii, non sunt ipsa ecclesia aut beneficium; cum rationatum a ratione distinguatur. Si quis ergo sibi fundos usurparet, relictis personae ecclesiasticae fructibus seu reditibus: is videtur immunis ab hac censura, ut habet prima sententia apud Bonacina l. c. p. 2. n. 28. Bonacina tamen adhaeret sententiae affirmanti, hunc incurrere istam censuram; quia usurpans praedia vel ipsas ecclesias, usumfructum ipsarum sibi usurpare censetur. *

Cum huic excommunicationi expresse subiici hoc articulo videantur solum *usurpantes* et *sequestrantes*, dubitatum fuit, an eandem incurrat, qui praedicta ab usurpatore emerit. Verum qui emit non est proprie usurpator, cum rem a domino ipse non extrahat et *detentio* alius actus sit ab *usurpatione*. Hinc s. C. Inq. 8. Iul. 1874. respondit: « Minime dubitandum, quin ementes bona ecclesiastica ab ususpatoribus usurpata incidant in excommunicationem Rom. Pontifici reservatam. Etenim praescindendo a quaestione, an supradicta emptio aliquo modo attingatur a Const. *Apost. Sedis* art. 11., nulli dubium esse potest, quin comprehendatur clarissima dispositione cp. 11. *de Reform.* sess. 22. Conc. Tridentini ». Provocat scilicet ad excommunicationem Trid. Syn. l. c. quam ipsa Synodus reservavit Rom. Pontifici, sed est simpliciter reservata. Illam inferius suo loco perpendemus.

XII. Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios civitates, terras, loca aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in eis nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes.

289. Spectat haec excommunicatio ad defensionem ac tutelam dominii temporalis ad Sedem Apostolicam pertinentis. Proinde iurisdictionem et iura heic accipimus temporalia et iurisdictionem intelligimus supremam, ut ait ipse Pontifex, idest eam, quae competit soli Principi, ceu ius vitae et necis, ius imponendi tributa, condendi leges, creandi Magistratus etc.

Incurrunt autem hanc excommunicationem, 1° qui civitates, terras, loca huius dominii *destruunt* vel ex toto vel ex parte: qui *invadunt* vi adhibita; etsi non intendant ea subtrahere ex dominio Papae neque laedere in aliquo ius Ecclesiae (Suarez *de Cens.* disp. 21. sect. 1. n. 20.); quia de usurpatione iurisdictionis sermo est in 2ª parte huius articuli.

2° Qui supremam Romani Pontificis in his iurisdictionem *usurpant* (quid usurpare sit diximus in praecedente), *perturbant* v. gr. qui seditiones cient, qui impediunt Romanum Pontificem, quominus leges ibi promulget, tributa exigat etc., qui satagunt mutare regimen, imminuere supremam auctoritatem. Haec perturbatio locum habere potest, cum adhuc Rom. Pontifex potestate actu potitur.

3° Qui hanc iurisdictionem vel has civitates etc. *retinent*, tametsi ab aliis ea acceperint, velut heredes heredumque heredes. Verum ex hoc capite, monet Comm. Reat. heic, soli viri Principes hanc excommunicationem incurrunt, non item Senatores et Deputati; quippe qui non quasi *singuli*, sed quasi *Ordines* retinent. Excomm. scilicet singulares personas afficit; at de nemine ex illis dici potest, quod retineat. Idem ergo et in *usurpantibus* iurisdictionem valere debet.

4° Denique, qui ad singula praedicta *auxilium*, *consilium*, *favorem praestant*.

290. Et quoad istos postremos salebrosa res est, ut bene habet Comm. Reat., definire, quandonam excommunicationem incurrat ratione auxilii, favoris etc. in *detinendo*. Horum (inquit) duplex genus distinguendum est. Alterum eorum, qui aliquod munus publicum gerunt, alterum eorum, qui nullum exercent. Et quod ad illos attinet, munera publica vel ad civium necessitates seu utilitates pertinent, vel ad regimen tuendum, aut ad utrumque. Priora illa suscipere innoxium quidem esse potest; quia societas necare seipsam nequit.

At duo prae ceteris servanda sunt: 1° ne iuramentum praestent, quo

usurpatori obedientia, ut aiunt, *activa* spondetur, quod quasi pretium muneris foret. Et si iurare omnino necesse sit, *passivam* dumtaxat et legibus tum divinis tum ecclesiasticis obedientiam polliceantur, ut indictum est per Pii VII. Litt. ad Epp. March. 30. Aug. 1808. et s. Poenit. 10. Decembr. 1860. ad 10. et 14.

2° Ut dum iurant, palam profiteantur, se nihil facturos, quod legibus divinis et ecclesiasticis adversetur. Quamobrem si quid contra has leges faciendum inciderit, aut ab hoc se abstinere aut officio se abdicare necesse est (a).

Quoad munia vero publica, quae non mere ad utilitates et necessitates civium spectant, sed ad tuendum regimen, S. Poenitentiaria iam inde a 10. Oct. 1810. (ad 11.) responderat, tolerari posse, *dummodo non agatur de officiis, quae directe et proxime influunt in spolium, vel in eiusdem spolii manutentionem et exerceri possint absque periculo laesionis legum divinarum et ecclesiasticarum.* Porro in spolii manutentionem ex officio influere intelliguntur, qui primum seu supremum magistratum gerunt in quavis provincia, aut civitate, aut terra, aut oppido. Ita Instructio Pii VII. 22. Maii 1809. declarat, *non esser lecito accettare impieghi e incombenze, che abbiano una tendenza più o meno diretta a riconoscere e coadiuvare e consolidare il nuovo governo nell'esercizio della usurpata podestà.* Quaenam autem sint eiusmodi munia, sic expressius declaratur in Instruct. 10. Iun. 1809. *Si dichiara, che per tali impieghi intendonsi specialmente gli offizi di Governatori o Prefetti o Podestà, che sotto questa o altra denominazione rappresentano il primo magistrato in ciascuna provincia o città o terra o castello o paese qualunque.* A qua tamen oeconomia descisci coepit, postquam nullam haec spem relinquebat impediendi, quominus usurpatio consolidaretur, quae ab initio ratio idonea fuit illius oeconomiae: alioquin vero gubernandi officium solis rebellibus atque improbis commissum ac permissum hunc denique fructum unice afferebat, ut eiusmodi oeconomia in Religionis perniciem et in damna subditorum usque deteriora cederet. Et sane ubi iniquus usurpator alienis oppressis subditis permittat, ut aliquo modo sibi et bono communi prospicere possint, nulla enimvero ratio apparet, cur aut princeps legitimus invitus censeri debeat (non enim rationabiliter invitus esset) aut cur oppressi subditi culpae expertes censeri debeant, si ex negligentia officia recusent. Non enim sic agent, quasi ius aliquod in usurpatore iniquissimo agnoscant,

---

(a) Haec praestanda erunt, si qui ex permissione pontificia, quod fieri potest, apud nos officium acceptant deputati aut senatoris. — E.

sed quasi qui iure naturae ad sibi ac societati prospiciendum utuntur. Vid. quae dicta sunt Vol. I. *de Legibus* n. 241. (a).

Haec quoad publica munia gerentes. Quoad eos autem, qui nullo eiusmodi officio funguntur, favere detinentibus intelliguntur, qui proximam operam praestant, ut usurpatores in possessione remaneant, v. gr. pecunia, delationibus, scriptis etc.

291. Quid vero de adhaerentibus? Adhaerentes, ut a ceteris distinguantur, ii dicuntur, qui absque praevio pacto et absque praestito auxilio, factionem aliquam libere sequuntur et probant, ab eius partibus stantes: qui sua proinde accessione influunt in commodum factionis, quatenus eidem existimationem conciliant, numerumque augent, quo vires maiores sumit. Porro Pius IX. die 1. Nov. 1870. post editam idcirco Const. *Apostolicae Sedis,* praeter invadentes etc. usurpatores atque retinentes supremam iurisdictionem in terris Ecclesiae Romanae, excommunicavit ipsorum mandantes, fautores, adiutores, consiliarios, *adhaerentes*. Hos ergo cl. Pennacchi excommunicatos absque dubio censet (App. XI.), nec abnuit cl. D'Annibale (l. c. n. 101.-11.).

XIII. Ex Const. Pii IX. *Romanus Pontifex* 28. Aug. 1873. accedit excommunicatio itidem Rom. Pontifici specialiter reservata 1° in dignitates et Canonicos Cathedralium ecclesiarum vacantium ac illos, qui deficientibus capitulis, vicarios deputant aut vacantes ecclesias legitime administrant, qui, ante exhibitionem litterarum Apostolicarum, concedere et transferre in nominatum et praesentatum ad eandem ecclesiam, eius curam, regimen et administrationem, sub quovis titulo, nomine, quaesito colore, ausi fuerint. 2° In nominatos et praesentatos ad vacantes ecclesias, qui earum regimen et administrationem suscipere audent ex concessione et translatione a dignitatibus et canonicis aliisque, de quibus supra, peractam. 3° Nec non in eos, qui praemissis parue-

(a) Anno 1866. quo iam pars dominii s. Sedis usurpata fuerat, interrogata s. Poenitentiaria, quomodo sciscitanti, an oblatum *deputati* munus in nationali italico conventu dicto *Parlamento* excipi possit, respondendum sit: respondit 1. Dec. «*Affirmative* sub sequentibus conditionibus: 1. Ut deputati electi in emittendo iuramento fidelitatis et obedientiae a lege praescripto, adiiciant limitationem: *salvis legibus divinis et ecclesiasticis*. 2. Ut haec limitatio fiat expresse in recitatione formulae ipsius iuramenti, audientibus saltem duobus testibus. 3. Ut deputati electi animo comparati sint et declarent, se nunquam legibus improbis et iniustis favorem et suffragium esse laturos: imo huiusmodi leges, quatenus proponantur, esse notorie reprobaturos». At id non amplius habet locum, postquam declaratum est, electionem deputatorum esse prohibitam (epist. Cardinalis Monaco ad Episcopos Italiae 30. Iul. 1886.). Certum est autem, deputatos et senatores eo ipso quod munus deputati aut senatoris in regno italico suscipiant, non incidere in hanc censuram; nam suscipientes hoc munus nec usurpant nec retinent singuli supremam iurisdictionem, nec ad usurpandum vel retinendum praebent auxilium, favorem, consilium. — E.

RINT, VEL AUXILIUM, CONSILIUM AUT FAVOREM PRAESTITERINT, CUIUSCUMQUE GRADUS, CONDITIONIS, PRAEEMINENTIAE ET DIGNITATIS FUERINT.

292. Excommunicatio non eos nominatos et praesentatos comprehendit, qui episcopali charactere sint insigniti; in hos enim a ceteris distinctos mox in eadem Const. poena interdicti et suspensionis (de quibus infra) fertur. Sermo est de nominatis seu praesentatis a supremis publicarum rerum moderatoribus, ut dicitur antea in eadem Const. De electis a Capitulo Const. silet, cum poenas irrogat.

Quotquot praedictae excommunicationi subiiciuntur, alia quoque poena, praeter nullitatem actus, in eadem Bulla plectuntur: « *Excommunicationis maioris, nec non privationis fructuum ecclesiasticorum beneficiorum quorumcumque aliorumque redituum ecclesiasticorum per eos respective obtentorum, similiter eo ipso incurrendis poenis innodamus et innodatos fore decernimus et declaramus ipsarumque poenarum... relaxationem Nobis et Rom. Pontifici pro tempore exsistenti dumtaxat* SPECIALITER *reservamus* ».

Insuper quoad sic nominatos seu praesentatos additur: « *Praeterea nominatos et praesentatos iure, quod eis per nominationem et praesentationem forte quaesitum fuerit, decernimus eo ipso privatos* ». Et infra: « *Insuper quaecumque a sic nominatis et praesentatis in administratione vacantium ecclesiarum intrusis fiant, mandentur, decernantur et ordinentur, cum omnibus et singulis inde quovis modo secutis et quomodocumque secuturis, nulla, invalida, inania, irrita et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata et de facto praesumpta nulliusque valoris, momenti et efficaciae esse et perpetuo fore, tenore praesentium declaramus et decernimus illaque damnamus et reprobamus* ».

Cf. c. *Avaritiae*, *de Electione* in 6^{0} et c. *Iniunctae* inter Extravv. comm. *de Electione*, Bullam Clementis XI. *In Supremo*, Breve Pii VII. ad Card. Maury aliaque monumenta apud Bouix *de Episcopo* part. 2. c. 4. Res maximi momenti agitur, sarta tectaque servanda legitima missio et institutio Episcoporum.

Verum Cardinalis in Episcopum electus et confirmatus, litteris etiam Apostolicis non exhibitis, imo nec acceptis, potest Ecclesiae administrationem suscipere. Benedictus XIV. *Syn. Diocc.* l. 2. c. 5. n. 7.

XIV. Ex litteris encyclicis s. C. C. 23. Mai. 1874. (Acta s. Sedis V. 7. p. 702. seq.) SS. DOMINUS N. PIUS PAPA IX... IUSSIT ECCLESIASTICIS PROVINCIIS VENETAE ET MEDIOLANENSI SINGULISQUE DIOECESIBUS PATRIARCHALI AC METROPOLITANAE IURISDICTIONI SUBIECTIS APPLICARI ATQUE INCULCARI EA OMNIA, QUAE PRO HELVETICA FOEDERATIONE, QUOAD POPULAREM PAROCHORUM ELECTIONEM, SAPIENTISSIME CONSTITUTA SUNT IN NUPERRIMIS LITTERIS ENCYCLICIS DIE 21. NOV. 1873. ADEOQUE UT QUICUMQUE IN PRAEMEMORATIS DIOECESIBUS, SUFFRAGANTE POPULO, AD PAROCHI SIVE VICARII OFFICIUM ELECTI AUDEANT SIVE ECCLESIAE SIVE IURIUM AC BONORUM PRAETENSAM POSSESSIONEM ARRIPERE ATQUE OBIRE MUNIA ECCLESIASTICI MINISTERII, IPSO FACTO INCURRANT IN EXCOMMUNICATIONEM MAIOREM PECULIARITER RESERVATAM S. SEDI ALIASQUE POENAS CANONICAS IIDEMQUE OMNES FUGIENDI SINT A FIDELIBUS IUXTA DIVINUM MONITUM, TANQUAM ALIENI ET FURES, QUI NON VENIUNT, NISI UT FURENTUR, MACTENT ET PERDANT.

293. Quid autem sibi haec velint, discere licet ex iis, quae sub Pio VI. ex praescripto servanda erant cum intrusis in Gallia. Sunt autem huiusmodi:

1° Non licet parochum intrusum adire pro administratione baptismi, nisi in casu extremae necessitatis, si nempe non sit alius valens baptizare: neque licet fungi patrini munere, si fortasse intrusus baptizet.

2° Non licet etiam diebus festis Missae interesse presbyteri intrusi, etsi alia Missa desit; neque licet concioni aliisve functionibus intrusi interesse, vel ab eo alia ministeria petere, aut Missam celebrandam ipsi committere.

3° Non licet ab intruso Communionem accipere, etiam tempore paschali urgente.

4° Etsi genuflectendum sit coram Hostiis consecratis ab intruso, curandum tamen est (ne in hoc cultu communicare catholici videantur cum schismaticis), ut declinetur occursus intrusi, dum s. Eucharistiam defert. Et catholico sacerdoti, etiam non ieiuno, licet hostias a catholico consecratas, si reverenter conservari nequeant, consummare, ne in manus intrusi veniant.

5° Non licet Parochum intrusum adire pro contrahendo matrimonio; quare si nullum aliud medium suppetat, nec superior alium providere Parochum aut sacerdotem possit, fideles contrahere sine pastoris praesentia debent.

6° Non licet mulieribus puerperio expleto recipere ab intruso benedictionem, quae post partum tribui solet.

7° Defunctorum exsequiae celebrandae a legitimo pastore sunt etiam in domibus privatis, si aliter fieri nequeant; quod si intrusus cadaver ad Ecclesiam deferat, catholici nec funus comitentur nec sacras preces recitent aliosve ritus Ecclesiae cum eo sociati agant.

8° An autem in periculo mortis licite fideles possint absolutionem a Parocho intruso recipere, responsum fuit: non esse improbandam rationem, quam nonnulli Galliae Praesules inierunt, qui in eo articulo poenitentiae sacramentum... deficiente quovis alio sacerdote catholico et amoto scandalo, in ea necessitate permiserunt, ut a parochis intrusis recipi posset.

Advertendum heic vero est, Censuram ac Decretum, de quo nunc, utique ad ecclesiasticas provincias Venetam ac Mediolanensem spectare; at existimandum non est, hisce poenis minime subiici alibi sic in paroecias intrusos. Neque enim hi excommunicationem effugient sup. n. XI. positam. Nam vel pastor legitimus paroeciae iam datus supponitur et sic habemus ex parte intrusi usurpationem iurisdictionis ad alium pertinentis ratione beneficii: vel supponimus, nondum legitimum datum fuisse pastorem, et sic laesam habemus Ordinarii iurisdictionem in eandem paroeciam. Decretum igitur speciale pro dictis Provinciis haberi potest ceu merum articuli XI. consectarium seu applicatio (a).

In eadem Const. *Apost. Sedis* ista subduntur: A QUIBUS OMNIBUS EXCOMMUNICATIONIBUS HUCUSQUE RECENSITIS ABSOLUTIONEM ROM. PONTIFICI PRO TEMPORE SPECIALI MODO RESERVATAM ESSE ET RESERVARI ET PRO EA GENERALEM CONCESSIONEM ABSOLVENDI A CASIBUS ET CENSURIS SIVE EXCOMMUNICATIONIBUS ROM. PONTIFICI RESERVATIS NULLO MODO SUFFICERE DECLARAMUS: REVOCATIS INSUPER EARUNDEM RESPECTU QUIBUSCUMQUE INDULTIS CONCESSIS SUB QUAVIS FORMA ET QUIBUSVIS PERSONIS ETIAM REGULARIBUS, CUIUSCUMQUE ORDINIS, CONGREGATIONIS, SOCIETATIS ET INSTITUTI ETIAM SPECIALI MENTIONE DIGNIS ET IN QUAVIS DIGNITATE CONSTITUTIS. ABSOLVERE AUTEM PRAESUMENTES SINE DEBITA FACULTATE, ETIAM QUOVIS PRAETEXTU, EXCOMMUNICATIONIS VINCULO ROM. PONTIFICI RESERVATAE INNODATOS SE SCIANT, DUMMODO NON AGATUR DE MORTIS ARTICULO, IN QUO TAMEN FIRMA SIT QUOAD ABSOLUTOS OBLIGATIO STANDI MANDATIS ECCLESIAE, SI CONVALESCANT.

294. Ob istas clausulas derogatorias dubium intercesserat, utrum imminutae aut sublatae hac Constitutione forent facultates omnes

---

(a) Excommunicationibus Rom. Pontifici speciali modo reservatis alia addenda est, quam referemus sub IV. articulo sequentis seriei.

temporariae, sive ordinariae, nempe concedi solitae, sive extraordinariae ante promulgationem eiusdem Constitutionis a Sede Apostolica concessae, v. gr. facultas absolvendi ab haeresis crimine, quae in Pagella s. Poenitentiariae continebatur. Porro ex mandato Summi Pontificis per Offic. s. Inquisit. declaratum est, ut sequitur: *Per Constitutionem* (Apostolicae Sedis) *Sanctissimus Pater nullatenus intendit, ne minimum quidem detrimentum inferre facultatibus cuiuscumque indolis, quae a s. Sede ante promulgationem eiusdem Constitutionis concessae fuerint, sive eae quinquennales sint, sive extraordinariae, sive respicientes praesens Iubilaeum atque vult, ut in pleno suo vigore permaneant, tempore perdurante in dictis concessionibus sive indultis praefinito.*

Sed non omittendum est Responsum s. Poenitentiariae 5. Dec. 1873. Ad dubium scilicet, *An Praelati Regulares, post Constitutionem* Apostolicae Sedis *iisdem privilegiis gaudeant, quibus antea, idest an possint necne suos subditos absolvere a casibus papalibus in dicta Bulla simpliciter reservatis;* hoc responsum factum est: *Sacra Poenitentiaria proposito dubio respondet: Negative, salvis aliis facultatibus, quae promanant ex Rescriptis particularibus ad tempus concessis.*

295. Exinde vero moveri posset quaestio, an per haec quidpiam detractum dici debeat Decreto s. Congr. EE. et RR., Pontificia auctoritate confirmato, scilicet: *S. Congregatio Episcoporum et Regularium facto verbo cum ss. Clemente VIII.* ABSOLUTE DECREVIT, *quod omnes Bullae et Decreta derogatoria Privilegiorum Regularium quantum ad facultatem absolvendi a casibus Papae reservatis, sunt intelligenda solum in ordine ad seculares, non autem in ordine ad suos subditos Regulares.* Cf. Ferraris v. *Absolutio* a. 1. n. 37.

Et (salvo quidem meliori iudicio) respondendum videtur, conciliari simul haec optime posse. Nam (praeterquam quod et Praelatis Regg. in suos subditos id competit, quod Episcopis ex c. *Liceat*, cf. Vol. IV. 220.) Dubium s. Poenitent. propositum tractat de *Privilegiis* proprie dictis. Quod vero statuitur in praemisso Decreto, non tam *Privilegium* dici debet, quam provida quaedam dispositio, quae generali quadam norma conditioni ac statui Regularium applicat iuris communis principia. Notissimum enim est, tum ex rei natura tum ex Doctorum omnium consensu, *Regulares* inter eos numerari, qui impedimentum habere perpetuum censentur, quominus liberum et expeditum ipsis sit, pro absolutione a censuris Apostolicam Sedem personaliter adire. Porro in hisce adiunctis scitum est iuris, quod facultas absolvendi devolvitur ad Ordinarium, adeo ut hic possit tum per se absolvere, tum etiam per alium, quia iure ordinario facultas haec illi competit atque adeo delegare

ipse eam alteri potest. Ita in c. *Nuper* 29. *de Sent. Excom.: Concedimus..., ut a suo absolvatur Episcopo vel proprio Sacerdote.* Atqui nemo ignorat, Regularium exemptorum Ordinarios non alios esse, quam eorum Praelatos. Ad suos igitur subditos in casu absolvendos facultas fit Praelatis Regularium non vi alicuius *privilegii* specialis, sed norma ex iure communi desumpta. Quae tamen norma quandam habet privilegii speciem, quatenus ad omnes in posterum dubitationes eximendas Sedes Apostolica per s. Congregationis organum hunc generatim pro Regularibus canonem statuit. Et quidem dignum quod advertatur, illud est, quod eiusmodi Declaratio seu Decretum per illud tempus prodiit, quo eadem s. Congr. EE. et RR. Mandato et Auctoritate eiusdem Clementis VIII. sub poena excommunicationis, privationis officiorum et inhabilitatis audiendi confessiones etc. Regularibus omnibus interdixerat, ne a casibus quomodocumque Sedi Apostolicae reservatis aut reservandis absolvere praesumeret. *Sanctitas enim Sua* (additur in eo decreto) *quatenus opus sit, facultates et concessiones ipsas in hac parte uti cassas et irritas haberi de cetero voluit et vult.* Itaque ipso hoc facto s. Congregatio manifestissime declaravit, dispositionem illam circa Regulares nihil pertinere ad illud proprie dictum privilegium absolvendi a casibus Papalibus, quod Clemens VIII. Decreto illo 9. Ian. 1601. non secus ac SS. D. N. Pius IX. Constit. *Apostolicae Sedis*, cassatum, irritum, ac sublatum voluit. Responsum ergo s. Poenitentiariae, quod *privilegia* respicit, de quibus in proposito dubio sermo est, nihil contradicit aut detrahit Decreto, quod mandante Clemente VIII. pro singulari Regularium conditione specialem illum canonem stabilivit (a).

(a) Sed cum nunc ius illud vetus de adeundo personaliter Rom. Pontifice pro absolutione obtinenda, mutatum sit et si aditus non sit possibilis, supplendum sit per scripturam; conciliatio a Ball. proposita videtur fundamento nunc destitui (cf. *de Sacr. Poenit.* not. ad n. 665.).

At pro pleniore declaratione eorum, quae ultimo loco recitavimus ex Const. *Apostolicae Sedis*, oportet recolere primo decretum s. C. Inq. 30. Iun. 1886. quod iam attulimus loco citato, quo primo Episcopis aliisque Confessariis facultatem esse negatur absolvendi a casibus papalibus eos, qui versantur in impossibilitate adeundi personaliter s. Sedem et quo praeterea in casibus quidem urgentioribus, in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis scandali vel infamiae, facultas fit confessario absolvendi a censuris etiam speciali modo ss. Pontifici reservatis: attamen cum obligatione recurrendi saltem per epistolam missam aut a se aut a confessario, infra mensem, ad s. Sedem, sub poena reincidentiae in easdem censuras.

Tum secundo recolendum aliud responsum ab eadem s. C. Inq., datum 17. Iun. 1891. occasione praecedentis. Scilicet quaesitum est:

1° Utrum responsum ad 1m valeat etiam pro casu, quo poenitens fuerit *perpetuo* impeditus personaliter Romam proficisci.

Responsum est: Ad 1m Affirmative.

2° Utrum in responso ad 2m clausula *sub poena tamen reincidentiae in easdem censuras* referatur solummodo ad absolutionem a censuris et casibus *speciali modo* Rom. Pontifici reservatis, an etiam ad absolutionem a censuris et casibus simpliciter Papae reservatis.

Cum absolventes sine debita facultate, citra articulum mortis, feriantur excommunicatione, haec autem dicatur quidem Rom. Pontifici reservata, non tamen *speciali modo;* habes ergo excommunicationem Rom. Pontifici simpliciter reservatam atque adeo sequenti catalogo addendam, ut praestabimus.

296. *Facultas absolvendi ab his censuris, etiam a sequentibus concedi solet in Iubilaeis pluribus confessariis. Iam vero si concedatur hoc pacto, ut simpliciter dicatur, posse poenitentes, qui Iubilaeum lucrari volunt, absolvi ab iis confessariis donec opera omnia praescripta impleverint, valebit opinio D'Annibale, quam memoravimus Vol. V. n. 812., posse nempe poenitentes absolvi ab iis confessariis *toties quoties* quandiu opera omnia non impleverint. At si Pontifex alia pressiori forma utatur, sequenti nimirum vel simili, quemadmodum in proxime exacto Iubilaeo: qui SEMEL *harum gratiarum* (absolutionis a censuris, dispensationum etc.) *particeps factus est prima vice qua omnia praescripta opera implevit, iterum earum particeps fieri non poterit,* tunc nonnisi una vice singulis privilegiis poenitens frui poterit. Nam in hac hypothesi legislator ipse modum et mensuram praefinit usus privilegii, quod idcirco praeter hunc modum omni careat valore. Si *semel*, non sane *toties*

Responsum est: Ad 2m negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

3° Utrum auctores moderni post Const. Apostolicae Sedis (contra ius commune vetus) recte doceant, ei, qui in articulo mortis a quolibet confessario a quibusvis censuris quomodocumque reservatis absolutus fuerit, tunc solummodo imponendam esse obligationem se sistendi Superiori, recuperata valetudine, si agatur de absolutione a censuris speciali modo Papae reservatis, an huiusmodi recursus ad superiorem etiam necessarius sit in absolutione a censuris *simpliciter* ss. Pontifici reservatis.

Responsum est: Ad 3m affirmative ad primam partem, negative ad secundam, iuxta resolutionem 28. Iunii 1882.

Ergo in articulo mortis discrimen est quoddam inter absolutos a censuris speciali modo et absolutos a censuris simpliciter Papae reservatis.

Haec responsa s. Congregationis approbavit ss. Pontifex 18. Iun. 1891.

Tandem tertio recolenda est alia declaratio eiusdem s. Cong. 19. Aug. 1891. Quaesitum est:

1° An obligatio standi mandatis Ecclesiae, a Bulla *Apost. Sedis* imposita, sit sub poena reincidentiae vel non.

Responsum est: Ad 1m affirmative ad primam, negative ad secundam partem.

2° An obligatio *standi mandatis Ecclesiae* in sensu Bullae *Apost. Sedis* idem sonet ac obligatio se sistendi coram Pontifice vel an ab illa debeat distingui.

Responsum est: Ad 2m obligationem *standi mandatis Ecclesiae* importare onus, sive per se sive per confessarium, recurrendi ad ss. Pontificem eiusque mandatis obediendi vel novam absolutionem petendi ab habente facultatem absolvendi a censuris ss. Pontifici speciali modo reservatis.

3° An absolutio data in casibus urgentioribus a censuris, etiam speciali modo reservatis, in sensu decreti s. Officii 30. Iun. 1886. sit directa vel indirecta.

Responsum est: Ad 3m affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Atque ita confirmatum est quod in citata nota docuimus. Resolutiones has s. Congregationis ss. Pontifex 20. Aug. 1891. approbavit.

Habes ergo quid sit *stare mandatis Ecclesiae,* quod in hac Constit. *Apost. Sedis* dicitur et qui ea obligatione teneantur. Illud primum colligis ex responso 1° et 2° huius postremi decreti: alterum ex responso 2° et 3° decreti 17. Iunii 1891. — E.

quoties, quae sunt contraria. Nec aliquid ponderis habet argumentum ductum a fine, qui est reconciliatio poenitentis cum Deo, ut possit consequi indulgentiam Iubilaei; contra dissertam enim voluntatem legislatoris et concedentis privilegia nullum ratiocinium valet: deinde falsum est quod supponitur, non posse poenitentem absolvi qui rursus incidat in censuras, scilicet, nequit absolvi ab iis confessariis, quibus occasione Iubilaei collatae sunt speciales facultates, conc., nequit simpliciter absolvi, nego: potest scilicet absolvi eodem pacto quo poterat non exstante Iubilaeo, recurrendo nimirum ad s. Poenitentiariam. *

§. II.

Excommunicationes R. P. simpliciter reservatae.

I. DOCENTES VEL DEFENDENTES, SIVE PUBLICE SIVE PRIVATIM, PROPOSITIONES AB APOSTOLICA SEDE DAMNATAS SUB EXCOMMUNICATIONIS POENA LATAE SENTENTIAE: ITEM DOCENTES VEL DEFENDENTES TANQUAM LICITAM PRAXIM INQUIRENDI A POENITENTE NOMEN COMPLICIS, PROUTI DAMNATA EST A BENEDICTO XIV. IN CONST. *Suprema* 7. IUL. 1745. *Ubi primum* 2. IUL. 1746. *Ad eradicandum* 28. SEPT. 1746.

297. * *Docentes.* Docere est aliis doctrinam tradere eosque persuadere vel id conniti. Quocirca qui solum dicat, sibi hanc vel illam propositionem placere, non incurrit hanc excommunicationem.

Defendentes, tanquam veram propugnantes aliquam propositionem, sive verbo sive scriptis sive in schola sive extra scholam, non quidem ludi litterarii seu exercitii causa, sed animo adhaerente doctrinae damnatae.

Sive publice sive privatim ad utrumque praecedens spectat, *docentes, defendentes.*

Propositiones ab Apostolica Sede etc. Non ergo quae tantum a C. s. Off., Indicis aliaque Congr. *Tantum* inquam; nam si per organon s. Congr. damnentur a Romano Pontifice, huc spectant.

Quidam excipiunt (Comm. Reat.) etiam damnatas in Concilio oecumenico, non quia alia et alia sit auctoritas; sed quia eae non solent ita appellari, ut dicantur *damnatae ab Apostolica Sede.* At quando Romanus Pontifex personaliter praesidet Concilio oecumenico, cum eius nomine sententiae ferantur, nihil deesse videtur, ut doctrinae ibi damnatae dicantur damnatae ab Apostolica Sede. Nihilominus quia ea dictio exclusive accipi potest, ut eae tantum propositiones intelligantur, quae Rom. Pontifex auctoritate propria, absque Concilii approbatione,

damnat atque heic in odiosis versamur; non inficiamur probabilitatem illius opinionis.

Ceterum qui doceret vel defenderet doctrinas in Conciliis oecumenicis damnatas tanquam haereticas, iam 1ae excomm. subesset praec. seriei quo spectant docentes et defendentes 5. propositiones Iansenii (vol. I. pag. XV.). *

Propositiones, quas docere vel defendere interdictum est ab Apostolica Sede sub excommunicationis poena latae sententiae, recenseri solent sequentes:

1. Articuli 45. Ioannis Wicleffi, et articuli 30. Ioannis Hus. Ex Const. Martini V. *In eminentis Apostolicae* etc. dat. Romae 13. Februarii 1450. (vid. Vol. I. p. I.-VI.). Has excludit Comm. Reat. ut damnatas in Concilio.

2. Errores 41. Martini Lutheri, damnati a Leone X. Bulla *Exsurge Domine* etc. 16. Maii 1520. (vol. I. pag. VI.-IX.).

3. Propositiones 79. Michaelis Baii, damnatae a s. Pio V. Bulla *Ex omnibus* 1. Oct. 1567. etc. (ibid. p. IX.-XIV.).

4. Propositio de confessione sacramentali et absolutione obtinenda per litteras. Clemens VIII. per decret. s. Inquisit. 20. Iul. 1602. (ibid. p. XXIV.).

5. Propositiones 45. damnatae ab Alex. VII. per Decret. s. Inquis. 24. Sept. 1665. et 18. Mart. 1666. (ibid. p. XVI.-XIX.).

6. Propositiones 65. damnatae ab Innocentio XI. per Decretum s. Inquisit. 2. Mart. 1679. (ibid. p. XIX.-XXIV.).

7. Propositiones 68. Michaelis de Molinos damnatae ab Innoc. XI. Const. *Caelestis Pastor* 20. Nov. 1687. (ibid. p. XXIV.-XXX.).

8. Propositiones 2. damnatae ab Alexandro VIII. 24. Aug. 1690. (ibid. p. LXIV.).

9. Propositiones 31. damnatae ab Alexandro VIII. per Decret. s. Inquisit. 7. Dec. 1690. (ibid. p. XXX.-XXXI.).

10. Propositiones 101. Paschasii Quesnelli, damnatae a Clemente XI. Constit. *Unigenitus* 8. Sept. 1713. (ibid. p. XXXV.-XLII.).

11. Propositiones 5. de Duello, damnatae a Benedicto XIV. Const. *Detestabilem* 10. Nov. 1752. (ibid. p. XLII.).

12. Propositiones 85. Synodi dioecesanae Pistoriensis, damnatae a Pio VI. Constit. *Auctorem fidei* 28. Aug. 1794. (ibid. p. XLIII.-LXXV.).

* Monet Comm. Reat. non opus esse, ut antea excommunicatio latae sententiae, sub qua propositiones prohibitae fuerunt, fuerit reservata, vel quod propositiones censura aliqua theologica notatae fuerint; nihil enim horum exigit nostra Constitutio.

Addit idem quaestionem, an peccet letaliter, qui tenet propositiones

inustas nota infra haeresim. Atque affirmat, si quis teneat propositiones *per se* damnatas, nempe quasi *proximas haeresi*, ut *falsas* et *temerarias;* est enim quasi peccatum hariolandi (v. 1. Reg. XV. 22.). Subdit: « Sin tenet eas, quae, ut ita dixerim, per accidens damnatae sunt, nempe quasi *scandalosae* vel *offensivae piarum aurium*, non puto; dumne eas asserat, prodat aliis etc.; quia neminem scandalizat, nullius aures offendit ».

Quae doctrina alicui difficilis videri potest; nam cur gravissima poena, qualis est excommunicatio, coercetur is, qui id docet, quod sine gravi peccato teneri potest? *

298. Ad 2^um^ partem articuli huius quod spectat, relege dicta in tractatu *de Sacr. Poenit.* Vol. V. n. 609. seqq.

* Haec porro advertimus: 1^o^ Poena excommunicationis latae sententiae inflicta a Benedicto XIV. non denuntiantibus (l. c.), modo sublata est.

2^o^ Pius IX. excommunicationi subiicit docentes et defendentes licitam esse praxim, prout damnata est a Benedicto XIV.: iam vero 1^o^ praxis reprobata a Benedicto complectebatur duo, nempe inquisitionem nominis complicis et denegationem absolutionis nolenti revelare; ergo, ut excommunicatio huius articuli incurratur, oportet docere vel defendere, licitum esse utrumque simul.

2^o^ Benedictus XIV. damnat eos qui *ausi fuerint* docere, defendere *praesumpserint* (l. c.): excommunicatio ergo inflicta a Benedicto incurrebatur ab iis, qui *temere* eam doctrinam docerent vel defenderent: an igitur nunc quoque idem requiri videtur, cum dicat Pius XI.: *prouti damnata a Benedicto XIV?* Verum haec spectant ad praxim, quam docere non licet: ad ipsos vero, qui doceant vel defendant, Pio IX. satis fuit dicere *docentes vel defendentes,* omissa mentione ausus et praesumptionis. Si dixisset: *prout damnantur* etc., responsio affirmativa certa foret. *

II. VIOLENTAS MANUS, SUADENTE DIABOLO, INIICIENTES IN CLERICOS VEL UTRIUSQUE SEXUS MONACHOS, EXCEPTIS, QUOAD RESERVATIONEM, CASIBUS ET PERSONIS, DE QUIBUS IURE VEL PRIVILEGIO PERMITTITUR, UT EPISCOPUS VEL ALIUS ABSOLVAT.

299. Hoc privilegium, quod *canonis* appellari consuevit (prior est excommunicatio latae sententiae inter canones relata), cum sit in favorem nedum personarum sed praecipue Ordinis, latissime acceptum est. Clericorum ergo nomine veniunt quicunque tonsuram acceperunt; appellatione autem monachorum, religiosi omnes utriusque sexus eorumque novitii et tertiarii, imo et eremitae, qui de mandato Episcopi custodiae et servitio addicti sunt alicuius ecclesiae vel oratorii.

Violenta manuum iniectio intelligitur, quoties *factis* iniuria fit in personam, laedendo nimirum aut corpus eius aut libertatem aut dignitatem: *corpus* quidem percutiendo, vulnerando vel etiam veneno necando aut utcumque efficiendo, ut decidat, in praeceps ruat etc.: *libertatem*, ut si in carcerem detrudas aliumve locum etiam privatum: *dignitatem*, si vis ei utcumque inferatur, v. gr. rhedam sistendo aut equum, quo vehitur, detrahendo ei aliquid, ut pileum, crumenam, baculum aut quidpiam aliud contumeliosum admittendo in ipsum, v. gr. si sputo, luto, pulvere eum foedaveris, si vestes, quibus indutus est, conscindas. Oportet autem, iniuriam, ratione saltem violati honoris, esse gravem vel absolute vel relative h. e. ratione habita dignitatis personae, publicitatis etc.; quia peccatum debet esse mortale.

Huic excommunicationi etiam impuberes sunt obnoxii (a). Non tamen eam incurrit clericus, qui sibi ipsi manus inferat (s. Alph. l. 7. n. 274.), neque ob plenae inadvertentiae defectum qui ex subita ira aut ioco percutit, vel correctionis aut defensionis aut quapiam alia iusta causa, ut si cum filia, sorore etc. turpiter agentem invenerit. Imo, ut videri merito potest, nec mandantes aut ratum habentes; quippe lex, quae alias expressit (excomm. V. inter praeced.) hosce heic praeterivit (b).

300. *Exceptis.* Nimirum si percussio fuerit levis, potest Episcopus percussorem absolvere, quisquis hic sit.

Levis autem dicitur, quae gravem quidem iniuriam infert, sed citra grave damnum v. gr. quae fiat pugno, pede, lapide, fuste. Si vero percussio gravis fuerit, potest Episcopus absolvere eos tantum, qui collegialiter vîvunt ex c. 50. *de Sent. Excomm. Gravis* autem (praeterquamquod aestimari debet etiam ex loci, personae aliisve circumstantiis ex Io. XXII. Extrav. *Perlectis*) habetur, si v. gr. dens excutiatur aut copia sanguinis effundatur. Demum si *enormis* fuerit percussio, ut mutilatio, oculi exclusio, membri disruptio etc., nonnisi impuberes potest Episcopus absolvere, sive ante sive post pubertatem absolvi petant, ex c. 60. *de Sent. Excomm.*

In dubio autem, num percussio levis fuerit an gravis an enormis, pro maiori, iuxta cit. Extrav., standum est; favor enim attenditur clericorum.

Quid vero ex iure communi possint Praelati regulares circa suos subditos, docet s. Alph. l. 7. n. 107. Scilicet regularis a suo Praelato potest absolvi 1° si percusserit eiusdem Ordinis sodalem, nisi percussio

---

(a) Verius id nunc negari censet Comm. Reat.; nam quando legislator voluit et hos teneri, id expressit. Cf. seq. excomm. VI. — E.

(b) Cf. tr. IX. Vol. IV. 514. seqq.

sit enormis aut iniectae manus fuerint in Abbatem aut Episcopum: 2° si percusserit religiosum alterius Ordinis, dummodo adhibeatur etiam sententia Praelati, cui percussus subditur et prior exceptio huc quoque referatur; 3° non posse a suo Praelato absolvi, si percusserit clericum secularem, sed pro absolutione adeundam esse Sedem Apostolicam; licet absolvi possit ab Episcopo, si percussio fuerit levis. Quae omnia extenduntur ad Novitios, qui se hoc crimine obstrinxerint.

At subdit *cum sententia communi* s. Alph., haec intelligenda *secundum ius commune*. Etenim, inquit, spectatis privilegiis, Religiosi bene possunt absolvi a suis Praelatis, etiamsi percussio fuerit enormis... idque valere, etiamsi Religiosus percusserit alium alterius Ordinis vel clericum secularem et etiamsi percussio fuerit publica. Quoad ista autem privilegia s. Doctor lectorem remittit ad nonnullos scriptores, e quibus Palaus (*de Censuris* disp. 3. p. 23. §. 4. n. 10.) allegat *Compendium Privileg. Soc. Iesu v. Absolutio;* tum allegat Salmanticenses, Roncaglia, Croix, Krimmer.

Cum facultas in hac re, quae *ex Iure vel privilegio* olim competebat, relicta sit integra a Pio IX. in hac Const., ergo etiamnum viget apud Regulares et ita dicitur in novissimo Compendio Privilegiorum Soc. Iesu v. *Absolutio.* n. 3.

III. DUELLUM PERPETRANTES AUT SIMPLICITER AD ILLUD PROVOCANTES VEL IPSUM ACCEPTANTES ET QUOSLIBET COMPLICES VEL QUALEMCUMQUE OPERAM AUT FAVOREM PRAEBENTES NECNON DE INDUSTRIA SPECTANTES ILLUDQUE VEL QUANTUM IN ILLIS EST, NON PROHIBENTES, CUIUSCUMQUE DIGNITATIS SINT ETIAM REGALIS VEL IMPERIALIS.

301. Cum Comm. Reat. adverte, ad huiusmodi duelli rationem requiri, ut letalibus armis certetur. Singulare sane certamen, quod Clemens VIII. Const. *Illius vices* subiicit anathemati, est id, ut ipse ait, quod *duellum vulgo dicitur:* atqui duellum vulgo intelligitur quod letalibus peragitur armis. Ac proinde non huc pertinet, si pugnis, bacillis aut etiam ferro, acie retusa, dimicetur; etsi per accidens mors sequatur. Neque id est contra Const. Clementis VIII. *Illius vices* §. 3., ut legenti patet.

Item haec Pii IX. censura praeterit eos, *qui post commissum crimen veniam et impunitatem concedunt*, quos Clemens VIII. §. 5. complexus fuerat.

Ut excommunicatio incurratur, sufficit quoad primos *provocatio* aut *acceptatio,* etsi duellum secutum non fuerit, dummodo hi actus vere ex animo fiant, non simulate v. gr. ad ignaviae notam heic et

nunc vitandam. Quoad alios ceteros, qui accessorii sunt: opus est, duellum reapse sequi illudque verum, non fictum. Comm. Reat. Cetera cf. dicta tr. IV. Vol. II. 923. seqq. ubi et responsum dedimus s. C. Inq. circa medicos ac confessarios complices duelli.

Cum plectatur censura peccatum grave; si identidem alicui liceat acceptare duellum, is censurae non erit obnoxius: qua de re confer sis l. c.

IV. NOMEN DANTES SECTAE MASSONICAE AUT CARBONARIAE AUT ALIIS EIUSDEM GENERIS SECTIS, QUAE CONTRA ECCLESIAM VEL LEGITIMAS POTESTATES, SEU PALAM SEU CLANDESTINE, MACHINANTUR NECNON IISDEM SECTIS FAVOREM QUALEMCUMQUE PRAESTANTES EARUMQUE OCCULTOS CORYPHAEOS AC DUCES NON DENUNCIANTES, DONEC NON DENUNTIAVERINT.

302. * In Pontificiis Constitutionibus sub nomine *sectarum* veniunt eae societates seu coalitiones, aggregationes hominum, quae adversus Ecclesiam vel civilem potestatem aliquid moliuntur. Idcirco ut talis secta sit, duo requiruntur:

1º Ut societas coacta seu adunata sit; nihil autem interest, quo nomine vocetur. Neque opus est, ut a sociis exigatur secretum aut iuramentum de secreto servando; cum sine his constare societas possit et heic damnentur sectae, quae *vel palam vel clandestine* machinantur.

2º Ut contra Ecclesiam vel civiles legitimas potestates aliquid moliantur.

Nomen dantes, qui nempe scientes et volentes sectam ingrediuntur seu socios se eius constituunt.

Sectae... aut... eiusdem generis. « Ut ecce, ait Comm. Reat., *societates biblicae,* (Pius VII. 1. Iun. et 4. Sept. 1816. Leo XII. 3. Maii 1824. Pius IX. Const. *Qui pluribus* 1846.): *societates clerico-liberales* (s. U. I. 12. Ian. 1870.): *societas veterum catholicorum,* societates, quae *Communismum, Socialismum, Internationalismum, Nihilismum* profitentur (Pius IX. Encycl. 8. Dec. 1849. Const. *Miltiplices inter* 10. Iun. 1851. Syllab. §. 4.). Huc spectare sectam *Fenianorum* declaravit Offic. s. Inq. 12. Ian. 1870.

Favorem qualemcumque praestantes. Qui utique efficax sit. Quomodo favor praestari possit, vide dicta sub excomm. 1. seriei praeced.

Porro adverte, exstare quandam societatem, in eum finem institutam ut, quandocumque Apostolica Sedes vacaverit, populus Romanus concurrat in Summi Pontificis electione. Societati nomen inditum est: *Societas catholica italica ad vindicanda iura populi christiani praesertim romani.* Qui huic Societati nomen dant, declarant expresse, prout ipsa schedarum forma continet, se assentiri doctrinis in programmate enun-

tiatis et obligationem veram duobus testibus contrahunt se operam daturos, ut tales doctrinae propagentur et societas ipsa dilatetur (Bucceroni heic). Iam vero s. Poenitentiaria 4. Aug. 1876. sciscitantibus, an et quam excommunicationem isti sectarii incurrerent, respondit:

« Attentis omnibus expositis et inspecta natura et fine huiusmodi societatis, facta praemissorum relatione ss. D. N. Pio IX. et eodem ss. Domino approbante, respondet: *incurri excommunicationem latae sententiae* SPECIALI MODO PONTIFICI RESERVATAM ». (Acta s. Sedis V. 9. p. 352.).

Haec ergo excommunicatio spectat ad seriem praecedentem.*

303. *Non denuntiantes.* Iuxta Const. Pii VII. *Ecclesiam* §. 10. et Leonis XII. *Quo graviora* §. 13. sub poena excommunicationis Rom. Pontifici reservatae denunciandi erant *omnes,* quos quis nosset, *his societatibus nomen dedisse* aut iisdem quomodocumque auxilium, favorem etc. praestitisse. Heic vero limitatio fit, ut hanc poenam solum incurrant ii, qui non denuntient *occultos illorum coryphaeos ac duces:* lex tamen naturalis denuntiandi pestiferos homines, manet.

* Porro monet Instructio s. U. Inq. 1. Febr. 1871. fieri posse, ut, quamvis in publicis ephemeridis appareant nomine corypheorum et ducum sectarum, hi nihilominus tales non sint nisi specie tenus et honoris gratia, veri autem coryphaei et duces delitescant: unde ratio apparet, cur iubeantur fideles denuntiare occultos coryphaeos et duces. Imo cum posita hac agendi ratione, qua solent non veri coryphaei et duces publice nominari, ignoretur semper, quinam reapse sint veri coryphaei et duces, qui idcirco occulti manent; hinc fideles non excusantur a denuntiatione eo quod nomina illorum hodie per libros et ephemeridas passim evulgare soleant (Comm. Reat.).*

Ceterum duo prae oculis Confessarius habeat, oportet, antequam obligationem denunciandi poenitenti indicat. Primum est, quod communiter monent Doctores et his verbis effert Thomas Del Bene (*De Offic. s. Inquis.* p. I. dub. 19. n. 9.): *Non teneris denuntiare ob metum cadentem in constantem virum, sicut nec tenetur femina ob metum cadentem in constantem feminam, ut si timeas propter hanc causam te occidi, vel male tractari.* Et rursus (ibid. dub. 21. n. 1.): *Non tenetur quis denunciare cum probabili periculo mortis, infamiae, vel gravis damni proprii, aut patris, aut matris, aut uxoris, fratrum, aut aliorum sanguine coniunctissimorum.*

Alterum est, quod alii monent apud Bonacina *de Oblig. Denunc.* p. I. §. 4. n. 3., *non esse obligationem denunciandi, quando certo scitur vel probabiliter creditur, nullum remedium adhibendum esse a Prae-*

lato, facta denuntiatione; nullus enim obligatur ad opus inutile seu, ut ait Scavini tr. 8. disp. 1. c. 4. art. 2. §. 1.: *quando nulla omnino est spes punitionis; nam ad opus inutile nemo tenetur:* sive, ut habet Decretum s. Inquisitionis (vid. *de Poenit.* Vol. V. 741.), quando *denunciatos facile poenam declinare posse credatur.*

304. Denuntiatio, ut ex cit. Inst. docemur, facienda est Episcopo vel Inquisitori, vel gerenti quasi episcopale munus, cuiusmodi est Praefectus Apostolicus in missionibus, vel illis, quos ipsi ad hunc effectum delegaverint.

Ut pro omissa denuntiatione incurratur excommunicatio, requiritur lapsus temporis notabilis, quod censetur mensis a die habitae notitiae huiusmodi obligationis.

Si quis vere in censuram lapsus est, eo quod serius distulerit denuntiare et tandem denuntiet, cessatne eius excommunicatio? Reservationem cessare, communior est sententia (Com. Reat.); id enim exigunt verba; *donec denuntiaverint.* At probabile est, ipsam quoque censuram cessare; quia non sola reservatio, sed ipsa excommunicatio lata est *conditionate*, « donec denuntiaverint ». Facta ergo denuntiatione, ex ipsa voluntate legislatoris remittitur excommunicatio et sic excommunicatio cessat non sine absolutione vel actu aequivalente.

Quaestio parum refert ad praxim; nam excommunicatio non reservata a quolibet confessario auferri potest: cum ergo ille peccatum omissae debito tempore denuntiationis confiteri debeat, sacerdos eum absolvens, cum absolvat etiam ab omnibus excommunicationibus, in quantum potest, ab hac quoque vel inscius absolvet.

Heic advertendum, quod cum ex Const. *Apostolicae Sedis* (excomm. II. 1ae seriei) excommunicationem *speciali modo* reservatam incurrant *legentes libros cuiusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes:* quaestio moveri potest, an hoc censu comprehendantur libri istiusmodi sectariorum, de quibus ita sanxit Pius VII. (*Const. Ecclesiam a Iesu Christo* §. 11. 13. Sept. 1821.): *Postremo ut omne erroris periculum efficacius arceatur, damnamus et proscribimus omnes Carbonariorum, ut aiunt, catechismos et libros, quibus a Carbonariis describuntur quae in eorum conventibus geri solent, eorum etiam statuta, codices ac libros omnes ad eorum defensionem exaratos, sive typis editos sive manuscriptos et quibuscumque fidelibus sub eadem poena maioris excommunicationis eodem modo reservatae prohibemus memoratos libros vel eorum aliquem legere aut retinere.* Et respondendum videtur, hoc pacto nonnisi *in genere* libros designari sicut contingit, cum prohibentur libri haereticorum, at prohibitio *nominatim*

eo spectat, ut certus liber cum suo speciali titulo et nomine auctoris, si exstat, designatus prohibeatur.

305. Duas quaestiones de hisce sectariis habet Gury. Prima est: *An absolvi possint illi, qui praedictae sectae nomen dederunt, si licet emissi iuramenti poenitentiam agant, externe tamen cum iisdem sociis communicant?*

Resp. *Neg.*, quia satis non est, quod quis erroribus suis interne renuntiet, si eosdem externe profiteri videatur. Patet ex responsione Congreg. s. Officii. Cum enim propositum fuisset hoc dubium: *Poenae ecclesiasticae a plurimis Romanis Pontificibus in eos statutae sunt, qui societati, quam* liberorum muratorum *dicunt, nomen dedissent atque iuramentum de arcano servando in eorum conventiculis emisissent. - Dubium exoritur, utrum ii, quos licet emissi iuramenti poeniteat, communicando tamen cum ceteris eidem sectae adhaerentibus vel eorum conventicula adeundo aut alio quolibet modo, veros eiusdem societatis cultores se palam exhibere perseverent, ad Poenitentiae aut ss. Eucharistiae Sacramenti participationem legitime per Confessarium possint admitti. Sacerdotes nonulli inveniuntur, qui huiusmodi homines reapse admittunt. Quaeritur, quomodo se gerere debeat Confessarius?*

Huic petitioni sacra Congreg. s. Officii 5. Iul. 1837. respondit: *Iuxta exposita non licere.*

Altera est: *An habendi sint ut vetiti coetus illi, qui profitentur, se nihil moliri contra Religionem vel civilem rempublicam et nihilominus occulte ineunt foedus iuramento firmatum?* Respondet: *Affirmative.* Constat scilicet ex declaratione s. Poenit. 21. Aug. 1850., quae respondit: *coetus illos in Bullis Pontificiis comprehendi.*

* Quae responsio forte speciales casus respiciebat et praesumptioni innitebatur. Sane C. s. O. 5. Aug. 1846. declaraverat: « Societates occultae, de quibus in Pontificiis constitutionibus sermo est, eae omnes intelliguntur, quae *adversus Ecclesiam vel gubernium sibi aliquid proponunt*, exigant vel non exigant a suis asseclis iuramentum de secreto servando ». (Collectanea Parisiis n. 513.). *

Quocirca non obstante praefata declaratione s. Poenit., contendit Kenrich, coetus operariorum ob suas utilitates coeuntium licitos esse *per se*, etiamsi in iis signa adhibeantur et arcanum custodiatur. Iuxta istam sententiam, excommunicationem, saltem certo, non incurrerent operarii vulgo nuncupati *Compagnons du Devoir*, quippe qui praecipue foedus ineunt ad sibi invicem opitulandum. Sed propter arcanum res periculi plena est. Ita Gury.

V. Immunitatem asyli ecclesiastici ausu temerario violare iubentes aut violantes (a).

306. Quae loca immunitate gaudeant asyli ecclesiastici, alibi (tr. VI. Vol. II. 419. seq.) dictum est. Haec autem immunitas violatur: 1° si qui ad ea loca confugerit, vi inde extrahatur: secus vero, si quis dolo eductus fuerit vel fictis promissionibus deceptus exierit; iure enim asyli sanctitati et reverentiae loci provisum est, non confugientium personis: 2° si aliis prohibeatur, quominus illuc deferant iis, qui confugerunt, quae ad vitam sunt necessaria: 3° demum si quis arte locus sacer ita obsideatur, ut qui eo se tuetur, ad deditionem adigatur (Benedictus XIV. Const. *Officii nostri* §. 14.).

Ad incurrendam porro excommunicationem intercedere debet *ausus temerarius*, quando quis scilicet *ab aliis minime coactus, prudens ac sciens aut violare immunitatem asyli ecclesiastici iubet aut exsequendo violat, utpote omnis excusationis expers.* In Instr. s. Officii 1. Febr. 1871.

Ut ergo qui *iubet*, excommunicationem incurrat, oportet, iussionem veram esse, qualis est eius, qui iurisdictione potitur.

Quoniam *ausus temerarius* requiritur, quo lex formaliter contemnitur, non incurrit censuram Rector ecclesiae, qui ab ea transfugam facinorosum expelleret immodeste se gerentem, turbas cientem, vel alterius incommodi vitandi causa.

Neque incurrunt magistratus catholici aut milites, necessitate adacti imperata a gubernii ministris faciendi.

* In utroque casu, iussionis et violationis, ut excomm. incurratur, oportet, effectum esse secutum. Et quidem id certum est in secundo casu: in priore verius ait Comm. Reat.; quia probabilius heic spectetur delictum, prout ab effectu perfectionem capit, ut loci sacri reverentiae consulatur. Certe iussio debet esse efficax; quia iussio inefficax non est perfecte iussio: cuius vero effectus efficax? an tantum tentatae per vim extractionis? Quoniam aliqua exsecutio requiritur, cur non intelligetur completa? In re dubia, saltem benignior interpretatio facienda est. *

(a) Ita auctoritate Pii IX. per litteras s. O. 19. Febr. 1871. restitutus est textus ad amussim sententiae legislatoris; aliter enim prius legabatur: *Immunitatem asyli ecclesiastici violare iubentes aut ausu temerario violantes.* — E.

VI. VIOLANTES CLAUSURAM MONIALIUM, CUIUSCUMQUE GENERIS AUT CONDITIONIS, SEXUS VEL AETATIS FUERINT, IN EARUM MONASTERIA ABSQUE LEGITIMA LICENTIA INGREDIENDO: PARITERQUE EOS INTRODUCENTES VEL ADMITTENTES: ITEMQUE MONIALES AB ILLA EXEUNTES, EXTRA CASUS AC FORMAM A S. PIO V. IN CONST. DECORI PRAESCRIPTAM.

307. *Clausuram Monialium.* Sermo est de Monialibus habentibus clausuram proprie dictam h. e. papalem, sollemniter proinde professis, de quibus solis loquitur Const. Pii V. Huc ergo non spectant ingredientes domos, conventus recentiorum Monialium, quae Pontificiae clausurae lege non tenentur, ut declaravit etiam s. C. EE. et RR. 1. Aug. 1339.

Violantes etc. Clausura huiusmodi monasteriorum violatur per *ingressum absque licentia legitima.* Qui ita violant, excommunicantur quicumque sint, cuiuscumque sexus et aetatis: feminae proinde quoque et impuberes, ut iam Trid. Syn. decreverat sess. 25. *de Regul.* c. 5. Imo ipsi etiam Ordinarii, quibus tantum sacrae visitationis gratia aut causa necessitatis ingredi licet.

Porro licentiam legitimam dat *Episcopus* auctoritate ordinaria vel delegata, prout monasteria sunt ipsi immediate subiecta vel s. Sedi: *Vicarius generalis* Episcopi pro monasteriis subiectis Episcopo: *Vicarius capitularis* pro utriusque generis monasteriis: *Episcopus et Praelatus Regularis* (Generalis, Provincialis vel immediatus superior monasterii) quoad monasteria Regularibus subiecta, nisi consuetudo vigeat, ut a solo Episcopo detur (Benedictus XIV. *de Syn.* l. 13. c. 12. n. 23.): ex delegatione Episcopi *Abbatissa, confessarius* aut *alius prudens* vir ad id ab Episcopo deputatus (s. Alph. l. 7. n. 224.).

Cum heic dicatur legitima licentia, quin praescribatur, ut in scriptis accepta sit, non incurret excommunicationem qui ingreditur ex licentia legitima sed oretenus data. Nisi dicas, ad legitimitatem licentiae essentialiter spectare, ut in scriptis detur, quod l. c. iussit Trid. Syn. Illud tamen non constare, ait s. Alph. n. 223.

Utique licentia haec nonnisi ex gravi causa licite dari potest: sed nisi evidenter contrarium constet, iudicium huius permittendum est ei, qui potestatem habet licentiam dandi. Cf. dicta tr. IX. Vol. IV. n. 120. seqq.

Introducentes. Hi quoque excommunicationi subsunt. Introducere (ait Comm. Reat.) est intus mittere vel ingredi volenti ianuam aperire: quae quidem praestari et ab iis possunt, qui sunt extranei monasterio. Non ergo huc spectant, qui licentiam sine causa concedant, nec complectitur hic articulus foventes, auxiliantes etc.

Admittentes. Hoc spectat ad personas ipsas monasterii, nec quaelibet earum admittere censenda est, sed quae prohibere debet et facile potest. Ita ianitrix, abbatissa vel priorissa (Comm. Reat.). Si alia privata monialis ianuam aperiret ingredi volentibus, ea potius ad *introducentes* quam ad *admittentes* spectaret.

Adverte, ex responso s. C. EE. et RR. 16. Iul. 1884., Episcopum non posse, auctoritate propria, permittere, ut recipiantur in monasteriis clausurae subiectis mulieres, quae ingredi cupiunt veluti *pensionariae*. Si ergo, absque facultate Apostolicae Sedis, monialium abbatissa tales reciperet, hanc excommunicationem non effugeret.

At huiusmodi rite receptae, si sponte exeant et qui eas extrahunt, non subsunt huic censurae. Lege de Lugo *Resp. mor.* l. 3. d. 7.

Moniales exeuntes. Cf. l. sup. cit., ubi notavimus cum s. Alph., esse qui negant percelli excommunicatione eum egressum, qui sit tantum, ut dicunt, ad unum pedem; quia materia est levis. S. Doctor vocans probabiliorem contrariam sententiam, non detrahit probabilitatem huic sententiae, quae in eo est tandem, ut, sicut in pluribus aliis legibus, ita et in hac admittat levitatem materiae. Cum vero simus nunc in odiosis, hanc sententiam amplecti licebit.

Excommunicatio non ferit cooperatores nec moniales egressas, eo quod definito tempore non redeunt.

Huic excommunicationi non subsunt, qui tantum ad crates accedunt collocuturi cum monialibus: qua de re disseruimus iam Vol. IV. n. 120.

VII. Mulieres violantes Regularium virorum clausuram et superiores aliosve eas admittentes.

308. Cf. tr. IX. Vol. IV. n. 114. seqq. Feriuntur mulieres ingredientes, superiores Regulares admittentes, aliosque admittentes: quid vero sit admissio, diximus in superiore articulo. Etsi admittatur mulier fatua et mentis inops, excommunicatio incurritur; quia lex non distinguit.

VIII. Reos simoniae realis in beneficiis quibuscumque eorumque complices.

IX. Reos simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet, cuiuscumque sint dignitatis.

X. Reos simoniae realis ob ingressum in Religionem.

309. Quoad hos tres articulos cf. dicta tr. VI. Vol. II. n. 445. seqq. Et adverte art. IX. comprehendere quoslibet praelatos reos, etiam Cardinales; non vero complices, quos praecedens comprehendit.

XI. OMNES, QUI QUAESTUM FACIENTES EX INDULGENTIIS ALIISQUE GRATIIS SPIRITUALIBUS, EXCOMMUNICATIONIS CENSURA PLECTUNTUR, CONST. S. PII V. *Quam plenum* 2. IAN. 1569.

310. Iuxta hanc Pii V. Constit., ad incurrendam excommunicationem requiritur, ut *quaestum quis fecerit*, idcirco aliquid lucratus sit, accepto pretio, *concedendo* vel *publicando* vel *publicari iubendo* indulgentias seu alias gratias spirituales, palam significando solventibus supradicta concedi (Const. cit. §§. 1. 4.): publicare autem censetur et is, qui indicem indulgentiarum aedibus sacris appendi iubet (ibid. §. 2). Gratiae spirituales, de quibus Const. ista loquitur, hae sunt: 1° facultas eligendi sibi sacerdotem quemlibet, a quo a non reservatis, vel confessarium approbatum, a quo a reservatis (seu Papae seu Episcopo) valeat absolvi (§. 1.); 2° Missae sacrificium et sepultura tempore interdicti (§. 3.): 3° Ciborum prohibitorum usus (ibid.): 4° Assumptio duorum vel plurium compatrum ad sacrum baptisma, contra decretum Conc. Trid. (ibid.): 5° Absolutio a simoniae reatu Sedi Apost. reservata (ibid.).

Porro advertendum, in hac Constit. reos horum criminum eos tantum excommunicatione plecti, qui sint *inferiores Episcopis.*

Quamvis praedicta praetextu pii operis fiant, excommunicatio non vitatur. Ratio censurae est, quia haec redolent simoniae pravitatem, scandala gignunt fidelibus, poenitentiae robur frangitur atque ipsa clavium auctoritas vilescit (Const. §. 4.).

XII. COLLIGENTES ELEEMOSYNAS MAIORIS PRETII PRO MISSIS ET EX IIS LUCRUM CAPTANTES, FACIENDO EAS CELEBRARE IN LOCIS, UBI MISSARUM STIPENDIA MINORIS PRETII ESSE SOLENT.

311. Damnantur qui *colligunt* et simul *lucrum captant* et quidem hoc pacto nempe *faciendo* etc. Excommunicatio proinde non incurritur tunc cum quis colligit, sed cum faciendo etc. lucrum captat.

Cum multipliciter peccari possit ratione turpis lucri ex stipendiis Missarum quaesiti (cf. tr. X. sect. 4. Vol. IV. n. 1014. seqq.), ad incurrendam tamen hanc excommunicationem, necesse est 1° ut proprio quodam sensu quis dicatur eleemosynas pro Missis colligere seu iis colligendis operam dare: eiusmodi autem non est, cui Missae per se ipsum celebrandae tradantur: neque is, cui, citra collectoris personam, sponte committantur Missae etiam per alios celebrandae: nec demum qui ab uno vel altero paucas tantum quaerit. Bene Avanzini (comm.

n. 34.): « satis indicatur, non agi de uno paucisque numero stipendiis, sed de quadam *copiosa* collectione facienda, usu mercaturae » (a).

2° Ut collectio fiat eleemosynarum spectantium ad Missas *manuales;* id enim importare videtur vox *colligentes* et satis eruitur ex Const. Benedicti XIV. *Quanta cura.* Sane, ut ait s. Alph. l. 6. n. 321. §. *Idem licet*, decreta prohibentia retinere partem stipendii, tantum loquuntur de missis manualibus (cf. l. sup. cit. n. 1016.).

3° Ut collectis eleemosynis maioris pretii, Missas quis celebrare faciat stipendio minori.

4° Ut id fiat quaestus seu lucri captandi causa: quocirca excommunicationem non incurrit, qui partem e stipendiis detrahit, ut in quosdam pios usus erogetur, licet id improbaverit s. C. C. 25. Iul. 1874. ad 3^{m} (l. sup. cit. n. 1020.): neque qui partem aliquam sibi retinet, quasi laboris aut operis sui compensationem.

Ceterum inter omnes convenit, sanctionem Benedicti XIV., qua laici tantum (pro clericis erat suspensio) poena excommunicationis plectebantur, per hunc articulum extensam fuisse: quia comprehendit et clericos. Nihil enim distinguit, sed afficit colligentes etc., quicumque sint.

312. Sed dubitatur, an alio ex capite sit ea sanctio limitata. Avanzini (l. c.) limitatam censuit; quia non sicut in Const. Benedicti *(sive ibiden sive alibi)* heic dicitur *ibidem* (scilicet in loco ubi collecta fuerint maiora stipendia), sed, hoc omisso, dicitur solum: *in locis, ubi* (quae phrasis *alia loca* indicare videtur) *Missarum stipendia minoris pretii esse solent.* Quocirca Del Vecchio (comp. Scavini tr. 4. n. 611.) ad censuram incurrendam putat probabilius requiri, ut *Missae alibi celebrentur, ubi stipendia minoris pretii esse solent.* Nec refert, eandem videri inordinationem, si ibidem celebrentur; nam hi sunt casus rariores et quae raro accidunt, legislatores praetereunt l. 5. et 6. ff. *de Legibus.*

Avanzini alioquin addit, non improbandam sententiam asserentium, censuram incurri, etiamsi Missae ibi celebrentur, ubi collecta sunt stipendia, *attenta nempe identitate sin minus locutionis, at certe rationis Benedictinae Constitutionis cum praesenti articulo.* Quam quidem rationem tenacius urget Cretoni (not. ad h. art.), addens, id erui etiam ex verbis illis Bened. Const. §. 5.) *sive ibidem sive alibi... celebrari fecerit.* At ex identitate rationis non bene argui censet Comm. Reat.

Porro qualiscumque haec dissensio palam facit, rem paulo obscuriorem esse. Profecto si Benedictina Const. inspiciatur, *maiora* stipen-

(a) Recte subdit Comm. Reat.: « quod accipiendum puto cum grano salis; est enim mercatura, pro conditione et facultatibus eam exercentium, vel tenuis vel magna: res igitur in aestimatione boni viri esse debet ». — E.

dia dicuntur respectu eorum, quae ibidem dicuntur *minora:* utraque a consuetudine vel Synodali lege dependentia exhibentur: *maiora* scilicet *alicubi consuetudines vel synodalia statuta exigunt*, *minora* pariter ibi sunt, *ubi eleemosynae seu stipendia vel consuetudine vel synodali lege.,. sunt minoris pretii*, minoris nempe, quam alicubi vel consuetudo vel synodale statutum exigat.

His positis quaeritur, quid sibi velint illa eiusdem Constit. verba (§. 5.): *sive ibidem* (ubi nempe maiora ex consuetudine vel statuto stipendia tribuuntur) *sive alibi, ubi pro Missis celebrandis minora stipendia tribuuntur, celebrari fecerit.* Profecto si *ibidem* Missae celebrantur, retentio partis stipendii contingere nequit, nisi aut alteri tribuatur stipendium inferius taxa synodi vel consuetudinis, aut ex stipendio taxam illam excedente alter fraudetur huiusmodi excessu. Porro neuter casus facile componetur cum verbis articuli huius XII. Non prior; quia Missae non celebrarentur *in locis, ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent:* non posterior; quia stipendiorum taxam synodalem vel consuetudinis excedentium *copiosa quaedam collectio,* quae in art. significatur, vix locum habere potest.

Proinde non sine causa in Comm. Reat. scribitur: *nec demum* (censuram incurrit) *qui Missas celebrare facit sive eodem, quo eas collegerat loco, sive alio, ubi eodem stipendio celebrantur;* utut retinens sibi partem stipendii, nisi ultro ab accipiente donetur, reus furti sit seu gravis sive levis, pro materiae nempe quantitate, quae gravis quantitas alioquin requiritur ad censuram incurrendam.

Et haec quidem incurritur, non cum quis prava hac intentione stipendia colligit, sed cum pro Missis celebratis aut celebrandis stipendium tradens, huius partem sibi retinet, quemadmodum ab initio monuimus.

* Verum haec inter se disputantibus Theologis supervenit C. s. U. Inq., quae decreto 13. Jan. 1892. ad 4^{m} declaravit, excommunicationem hanc 12^{m} incurrere colligentes, quamvis Missas pro minori pretio celebrari faciant *in eodem loco*, ubi collegerunt. *

XIII. OMNES, QUI EXCOMMUNICATIONE MULCTANTUR IN CONSTITUTIONIBUS S. PII V. *Admonet Nos* 4. KAL. APR. 1567. INNOCENTII IX. *Quae ab hac Sede* PRID. NON. NOV. 1591. CLEMENTIS VIII. *Ad Rom. Pontificis curam* 26. IUN. 1592 ET ALEXANDRI VII. *Inter ceteras* 9. KAL. NOV. 1660. ALIENATIONEM ET INFEUDATIONEM CIVITATUM ET LOCORUM S. ROM. ECCLESIAE RESPICIENTIBUS.

313. In primis adverte, obiectum, de quo tractantes, consulentes etc. damnantur in citatis Bullis, non esse *abdicationem* dominii temporalis

sive ex integro sive ex parte; quam abdicationem cum nemo ea aetate suadendam vel curandam serio cogitaret, nec Pontifices solliciti fuerunt eiusdem tractatores vel suasores poenis coercere; non enim contra imaginaria crimina poenae eaeque gravissimae atque adeo sollemniter decernuntur.

Obiectum est *infeudatio* civitatum et locorum ad dominium s. Sedis pertinentium seu *alienatio* dominii non cuiuslibet, sed indirecti, quocumquemodo fiat. Patet ex verbis Const. Pii V. §. 3. et Clementis VIII. §. 3.

Ceterum simplex abdicatio, quam nunc quidam, usurpato dominio, postulant, non est vera alienatio, quae tunc fit, cum dominium a nobis in alium transferimus l. 67. ff. *de Contrahen. empt.*

De hoc ergo articulo sic ex Comm. Reat. paucis et clare statui potest. Actio, quae hac excommunicatione coercetur, est agere penes Rom. Pontificem de alienatione et infeudatione civitatum, oppidorum, locorum ad ius et proprietatem s. Sedis seu immediate seu mediate pertinentium, exceptis locis publicatis et fisco addictis. Nec excusatur, *quocumque titulo* id petatur, v. gr. gubernii, vicariatus, feudi, census, permutationis etc.. *quacumque ex causa*, etiam meritorum erga s. Sedem, vel necessitatis vel evidentis utilitatis, per *quodcumque tempus* etiam longum tantum, vel ad vitam vel tantum ad beneplacitum (vides quam male haec abdicationi congruant).

Obnoxii autem huic excommunicationi fiunt 1° tractantes, consulentes aut alias de hac re verba facientes, simul tamen agentes de eligendis ob id oratoribus ad s. Sedem (Bonacina disp. 2. q. 3. punct. 41. n. 2.).

2° Oratores munus huiusmodi suscipientes.

3° Alii quicumque alienationes huiusmodi Romano Pontifici per se vel per alium insinuantes vel suadentes. Nec interest, vocene an scriptis id egerint, scriptis nempe, puto, quae ipsi offerant. Sunt enim, qui ex verbis *per se vel per alium* exclusam censent insinuationem aut suasionem *per epistolam*, qua qui utitur neque per se neque per aliam personam agit.

Porro primi excommunicationem incurrunt, statim ac oratores electi sint: secundi h. e. oratores eo ipso cum mandatum susceperint.

Postremi demum, quando cum Rom. Pontifice de hac re sermonem habuerint vel scriptum obtulerint; etsi operam et oleum perdiderint.

In citatis Constitutionibus subiiciuntur excommunicationi etiam communitates et universitates de his tractantes etc.; quamvis autem communitas, ut talis, excommunicari nequeat, quemadmodum superius diximus, nihilominus particulares personae communitatis tractantes vel consulentes et propterea Oratores proponentes, vinculo huius excommunicationis tenentur (Bonac. l. c. n. 5.).

XIV. Religiosos praesumentes clericis aut laicis, extra casum necessitatis, sacramentum extremae Unctionis aut Eucharistiae per viaticum ministrare absque parochi licentia.

314. Quatuor ad hanc censuram contrahendam requiruntur: 1° Ut sacramenta, de quibus in Articulo, administrentur absque licentia parochi. Parochus autem heic intelligitur, qui curam ibi habet animarum (quocumque nomine vocetur) aut vices eius hac in re gerit. *Licentia* vero intelligitur etiam mere praesumpta, idest si certe eam parochus daturus fuisset, aut saltem probabiliter creditur ratihabiturus, vel si eam parochus dedit aegroto, licet non daturus forte fuisset ei, qui reapse haec sacramenta administrat.

2° Ut ea sacramenta administrentur extra casum necessitatis. *Casus* autem necessitatis aestimari debet nedum ex periculo, quo laborat aegrotus, sed etiam si Parochus acciri facile non queat. Excommunicatio itaque non incurretur, si horum alterutrum non desit, etsi forte falso existimaveris utrumque deesse, quippe nostra existimatio non mutat rei veritatem: vel etiam si viceversa alterutrum non deesse putaveris, idest vel necessitatem urgere, vel parochum invitum non fore, etsi utrumque reipsa desit: ratio, quia sic administrans, non dicitur *praesumere*.

3° Ut administrans sit proprii nominis *Religiosus*. Itaque cessat excommunicatio, si sic sacramenta ministret aut sacerdos secularis, aut etiam qui profitetur Institutum, in quo vota tantum simplicia emittuntur. Quippe in odiosis eiusmodi Instituta nec Religiosa nec Regularia dicantur.

4° Demum ut Religiosus sacramenta illa administret *Clericis*, aut *Laicis*. Cessat ergo excommunicatio, si Regularis ea ministraverit Regularibus etiam alterius Ordinis et extra Monasterium, vel etiam his, qui Regularium iure censentur, idest Novitiis, et famulis, qui actu eis deserviunt atque in septis sub eorum obedientia vivunt, et probabiliter etiam suis alumnis convictoribus (vid. tr. IX. Vol. IV. 490. et tr. X. sect. 6. Vol. V. 862. et *Acta s. Sedis* etc. vol. 3. pag. 61.). His adde pauperes in Regularium hospitalibus degentes et *viros* Tertiarios, qui collegialiter vivunt vel cum claustralibus habitant.

Cessante vero censura, non hoc ipso cessat peccatum, quod situm est in violatione iuris parochi, quae violatio gravis potest esse vel levis.

XV. Extrahentes, absque legitima venia, reliquias ex sacris coemeteriis seu catacumbis Urbis Romae eiusque territorii eisque auxilium vel favorem praebentes.

315. Ex Edicto 24. Aug. 1613. iussu Pauli V. et Clement. X. Constit. *Ex commissae* 13. Ian. 1672. Cum in eisdem cryptis (inquit

Avanzini n. 27.) seu catacumbis passim reperiantur ossa et cineres in loculis apertis, de quibus iam constat, non esse ossa et cineres martyrum, sed fidelium, qui ibi reconditi fuerunt; non videtur censuram incurrere, qui cryptas visitans memoriae vel devotionis causa sibi aliquid ex his ossibus vel cineribus assumeret. Secus, si de reliquiis ageretur, de quibus sintne Martyrum an mere fidelium, nondum constaret.

* Sed et qui has extrahit, excommunicationem non incurrere censet Comm. Reat.; quia, puto, a parte rei extractio reliquiarum non est certa.

Porro licentiam dare spectat ad Emm. Card. Vicarium, qui sub certis cautelis dare eam solet.

Adverte, in cit. decreto Pauli V. declarari, ne minimam quidem particulam ss. Reliquiarum auferre, absque venia, licere atque furtum huiusmodi excusationem non recipere ex materiae parvitate.

Non excommunicantur, qui iubent extrahi: qui vero, vel mercede conductus, effoderet cryptam ad extrahendas reliquias, etsi ipse eas ne tangeret quidem, puto, inter auxilium praebentes esset recensendus.

Permittentes vero, cum non impediunt quod possent et deberent impedire, favere dicendi sunt extrahentibus ideoque incurrere excommunicationem. *

XVI. Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.

XVII. Clerici scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Rom. Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officio recipientes.

316. Iure antiquo quicumque maiorem excommunicationem sive ab homine sive a iure latam incurrissent, vitandi erant, eo solum cum discrimine, quod ii, quorum excommunicatio publica ac notoria erat, publice essent vitandi, ii vero, quorum excommunicatio publice non erat nota, tantum privatim vitandi ab illis essent, qui conscii erant. Vid. C. *Cum non ab homine* 14. *de Sent. Excomm.*

Iure deinde novo per Martinum V. iuducto indultum fuit, ut nemo teneretur a communione alicuius abstinere, quacumque demum censura sive a iure sive ab homine ligatus hic esset, *nisi sententia contra personam certam a iudice specialiter et expresse publicata fuisset*, vel nisi quempiam per sacrilegam manuum iniectionem in clericum excommunicationem a Canone latam incurrisse adeo notorie constaret, ut factum non posset ulla tergiversatione celari, aut suffragio aliquo excusari.

Ob communionem autem cum vitando *minor* incurrebatur ipso iure

excommunicatio, tum si cum illo communicaretur in divinis et spiritualibus, tum si in aliis rebus mere politicis. Duplici tamen in casu non *minor*, sed *maior*, ipso iure ob hanc causam incurrebatur excommunicatio: 1° Si cum excommunicato a Summo Pontifice clericus communicasset in divinis non utcumque, sed eum admittendo sponte, libere ac voluntarie, sciensque illum a Papa esse excommunicatum nominatim et insuper denunciatum (*Ex C. Significavit* 18. h. t. Vid. Schmalzgr. l. 5. tit. 39. n. 179.): 2° Si quis cum vitando communicasset in crimine criminoso, seu in crimine propter quod aliquis excommunicatione percussus est nominatim et ut talis denunciatus, auxilium huic, consilium vel favorem praestando, ne ab eo crimine resipisceret (cf. n. 351.).

Porro ex novissimo iure Const. *Apost. Sedis*, primo quidem *minor* excommunicatio penitus sublata est. Superest tamen *maior*, quae alioquin non incurritur nisi ab iis, qui communicent cum excommunicato nominatim a ss. Pontifice et quidem in praemissis illis duobus tantum casibus, nimirum 1° iuxta art. XVI. si cum excommunicato nominatim a Papa communicent in crimine criminoso et 2° iuxta art. XVII. si Clerici eiusmodi excommunicatum scienter ac sponte in divinis officiis recipiant, in iis nimirum officiis exercendis eum admittant. Priori, uti patet, obnoxii sunt tum clerici tum laici; posteriori vero clerici tantum. Ceterum nominatim excommunicatus a Pontifice non is intelligitur, qui papalem excommunicationem cum incurrerit, deinde a quovis alio Ordinario nominatim denunciatur excommunicatus; sed qui ab eodem Pontifice nominatim excommunicatus aut excommunicatus ab ipso nominatim denunciatur. Cf. dicta superius nn. 225. seq.

XVIII. Praesumentes, extra mortis articulum, absolvere ab excommunicationibus speciali modo Apostolicae Sedi reservatis, sine debita facultate, etiam quovis praetextu.

317. Cf. dicta in fine 1ae seriei n. 295. in fine. Praesumptio ergo requiritur, nec satis est simpliciter absolvere. Qui autem fingeret absolvere, is profecto non praesumeret absolvere. Constat (cf. not. ad n. 295.), licere etiam extra mortis articulum, in gravi necessitate absolvere ab his casibus, cum obligatione tamen scribendi Romam intra mensem: qua de re iam ibi locuti sumus.

Ad hanc seriem spectat ex parte ea excomm., quae prostat sub n. V. inter nemini reservatas, quam cf.

XIX. Excommunicatio est Tridentina sess. 22. c. 11. *de Reform.* a Trid. Syn. Romano Pontifici reservata, quam Pius IX. confirmavit §. *Praeter hos* sub finem excommunicationum. Huc ergo referenda est atque ita se habet.

> SI QUEM CLERICORUM VEL LAICORUM, QUACUMQUE IS DIGNITATE ETIAM IMPERIALI AUT REGALI PRAEFULGEAT, INTANTUM MALORUM OMNIUM RADIX CUPIDITAS OCCUPAVERIT, UT ALICUIUS ECCLESIAE SEU CUIUSVIS SECULARIS VEL REGULARIS BENEFICII, MONTIUM PIETATIS ALIORUMQUE PIORUM LOCORUM IURISDICTIONES, BONA, CENSUS AC IURA ETIAM FEUDALIA ET EMPHYTEUTICA, FRUCTUS, EMOLUMENTA SEU QUASCUMQUE OBVENTIONES, QUAE IN MINISTRORUM ET PAUPERUM NECESSITATES CONVERTI DEBENT, PER SE VEL PER ALIOS, VI VEL TIMORE INCUSSO SEU ETIAM PER SUPPOSITAS PERSONAS CLERICORUM AUT LAICORUM, SEU QUACUMQUE ARTE AUT QUOCUMQUE QUAESITO COLORE, IN PROPRIOS USUS CONVERTERE ILLOSQUE USURPARE PRAESUMPSERIT SEU IMPEDIRE, NE AB IIS, AD QUOS IURE PERTINENT, PERCIPIANTUR; IS ANATHEMATI TANDIU SUBIACEAT, QUANDIU IURISDICTIONES, BONA, RES, IURA, FRUCTUS ET REDITUS, QUOS OCCUPAVERIT VEL QUI AD EUM QUOMODOCUMQUE ETIAM EX DONATIONE SUPPOSITAE PERSONAE PERVENERINT, ECCLESIAE EIUSQUE ADMINISTRATORI SIVE BENEFICIATO INTEGRE RESTITUERIT AC DEINDE A ROM. PONTIFICE ABSOLUTIONEM OBTINUERIT.

318. Si conferatur haec excomm. cum XI. seriei praecedentis, patet eam esse multo ampliorem quoad materiam. Sed quinam feriuntur? Videntur clerici vel laici in dignitate constituti. Card. De Luca in *Annot. ad Conc. Trid. Disc.* 23. ait: illud decretum *auctoritativas et potentiales occupationes et usurpationes percutit.* Idem censet cl. Lega l. c. n. 451. « Usurpatio intelligitur non furis aut latronis, sed principis aut alterius personae agentis per publicam auctoritatem, ex responsione s. C. s. O. 23. Apr. 1873. et alia eiusdem C. 9. Mart. 1870. et ex decisione C. C. in Sorana. 1696. » Card. D'Annibale heic: « Excommunicatio Tridentina non plus patet, imo fortasse minus patet (quam excomm. Const. Pianae), quippe qua non in omnes usurpationes animadvertitur, sed in auctoritativas et potentiales tantum. Nonnulli negant utrumque, rati excomm. Trid. quascumque occupationes et a quibuscumque factas perstringere. Sed prior sententia videtur verior quoad primam partem ex bulla Sixti V., qui excommunicatione *ferendae sententiae* animadvertit adversus occupantes et detinentes pecunias et alias res et bona quaecumque domibus et locis Terrae sanctae quomodolibet relicta: quoad alteram ex ipso Conc. Trid. quod serius excomm. fer. sent. coerceri iussit eos qui decimas Ecclesiae subtrahunt: quoad utramque vero

ex eo quod alias hanc excomm. non effugerent fures: fures autem eo non teneri non est incerti iuris ex resp. s. O. 9. Mart. 1830. ».

Sed cf. responsum s. O. relatum n. 288. affirmans privatos emptores bonorum a Gubernio iam usurpatorum incidere in censuram Tridentinam. Id vero iam auctoritate sua praeoccupaverat Pius IX. Allocutione habita 25. Iul. 1873., qua declaravit nedum usurpatores bonorum ecclesiasticorum in Italia sed et eorundem emptores, universos ait, incidere in excommunicationem maiorem aliasque censuras latas a sacris canonibus, constitutionibus Apostolicis, Generalibus Conciliis, praesertim *Tridentino*. Porro in Tridentino Concilio nulla alia excommunicatio huc spectat, praeter eam quam attulimus. Etsi dicas, hanc esse interpretationem extensivam; Pontificia auctoritas eam sane praestare potest. Verum forte non recte accepta sunt priora verba decreti Tridentini. Quid enim si verba *quacumque is dignitate... praefulgeat* sint forma contractior aequivalens huic: *etsi is aliqua dignitate praefulgeat, imperiali quoque vel regali?*

Cum excommunicatio supponat peccatum mortale, quaeritur, quae quantitas requiratur, ut inducat censuram. Cum nihil heic definiatur, videtur sufficere materia gravis in furto: at quidam (Buccer.) ad censuram postulant eam quantitatem: quae nequit alienari (cf. in seq. sect. 3. excomm. 3^{m}.).

Nota, eos qui incurrunt excomm. speciali modo Papae reservatam artt. XI. XII., esse ab hac immunes, ut declaravit C. s. Inq. 8. Iul. 1874. (Acta s. Sedis v. 9. p. 315.).

Mentio fit etiam *locorum piorum*. Loca *pia* amplius patent quam *religiosa* (quae et ipsa amplius patent quam *sacra*). Locus *religiosus*, est, qui auctoritate Episcopi erectus pietatis aut misericordiae operibus exercendis est destinatus, ut hospitalia, confraternitates, monasteria. Si desit Episcopi auctoritas, locus erit simpliciter *pius:* D'Annibale V. 3. n. 7.

Iam vero hac Tridentina sanctione non comprehendi subtrahentes decimas aut eas impedientes, satis ex eo colligitur, quod sess. 25. c. 12. *de Reform.* in hos animadvertitur alia excommunicatione eaque *ferendae sententiae:* « Praecipit s. Synodus omnibus, cuiuscumque gradus et conditionis sint, ad quos decimarum solutio spectat, ut eas, ad quas de iure tenentur, in posterum... integre persolvant. Qui vero eas subtrahunt vel impediunt, *excommunicentur*, nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absolvantur ». *

SECTIO II.

EXCOMMUNICATIONES RESERVATAE EPISCOPIS SIVE ORDINARIIS

Excommunicationi latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae subiacere declaramus:

I. CLERICOS IN SACRIS CONSTITUTOS VEL REGULARES AUT MONIALES POST VOTUM SOLLEMNE CASTITATIS MATRIMONIUM CONTRAHERE PRAESUMENTES NECNON OMNES CUM ALIQUA EX PRAEDICTIS PERSONIS MATRIMONIUM CONTRAHERE PRAESUMENTES.

319. Habens in hac re ampliatam excommunicationem, quae olim non feriebat contrahentes cum Clericis etc. Ut Regularis huic excommunicationi subiaceat, non satis est, vota ipsum emisisse in Religione, quae habet vota sollemnia, sed oportet, ipsum sollemnia vota emisisse. Neque inter ordinatos in sacris heic comprehenduntur, qui ante pubertatem ordinati fuerint, nisi postea, pubertatem adepti (vel potius anno exacto aetatis 16°) ratam habuerint ordinationem (Comm. Reat.).

Breviter simul et egregie de hac re idem Comm. Reat. (n. 115.): *Ut haec excommunicatio eos* (de quibus in artic.) *teneat, necesse est, ut matrimonium huiusmodi alias valere potuisset,* citra scilicet statutum Ecclesiae, quae earum personarum matrimonia interdicit, irritat et contrahere praesumentes hac poena plectit. Bene Suarez *de Cens.* disp. 11. sect. 3. n. 15.: *Non oportet, ut actus in re ipsa sit validus, vel habens effectum; sed satis est, quod, quatenus fit ab operante, sit talis; nam ille est, quem ius prohibet et punire intendit.* Porro, sicut alibi idem Suarez ibid. disp. 4. sect. 3. n. 3., ut actio *sit talis, debet esse perfecta;* non est autem perfecta, quando (ut ipse ait) *licet exterius attentata seu inchoata fuerit, tamen in re ipsa non solum non perficit ultimum effectum a peccatore intentum, verum etiam neque aliquid operata est, quod ad talem effectum sufficeret.*

Ergo (ut optime prosequitur Comm. Reat.) *excommunicatio non incurritur si aut* 1° *consensus legitimus deficit sive ex utraque parte sive ex alterutra, ut si alter simulate contraxerit, vel errore inductus, vel metu coactus: aut* 2° *si legitima forma deficit, veluti si sine parocho et testibus contraxerint ubi Decretum Tridentinum promulgatum est: vel demum* 3° *si quodvis aliud obstiterit impedimentum dirimens, v. gr. si contraxerint cum consanguinea vel affini, vel socio criminis, vel infideli.* Posthabenda itaque prorsus ea sunt, quibus Avanzini n. 35. sanctionem hanc extendit ad matrimonia, quae alia ex causa irrita forent, prouti et Cretoni (not. ad h. artic.) ostendit.

* Verum ecce rursus C. s. U. Inq. quae declaravit 20. Dec. 1880., « Clericos in sacris constitutos, vel Regulares seu Moniales post emissum sollemne castitatis votum praesumentes contrahere matrimonium sic dictum *civile* in locis, ubi lex Tridentina de clandestinitate viget, incurrere in excommunicationem l. s. Episcopis seu Ordinariis reservatam ». Ergo quod 1.° loco dicitur reiiciendum est (cf. Collectanea P. F. n. 2089.). Clarissimo Pennacchi haec videtur declaratio extensiva legis. Posita hac declaratione, etiam quod tertio loco dictum est, reiiciendum videtur: imo id reprobavit eadem s. C. s. O. 13. Ian. 1892. (D'Annibale opere cit. ed. 1894.).*

Ad rem addit laudatus Comm. Reat. quod cum excommunicatio feriat *praesumentes contrahere*, idcirco *si uterque vel alter eorum ignorantia laboraverit seu iuris seu facti, etiam crassa et supina, excommunicatio ignorantem non tenet, etsi postea, re cognita, in cohabitatione perseveraverit;* prouti et Sanchez *de Matr.* lib. 7. disp. 48. n. 20. perspicue evincit, quia scilicet lex contractum coercet, non coabitationem.

II. Procurantes abortum, effectu secuto.

320. Procurantes intelliguntur, qui directe, studiose, seu de industria quidpiam quaerunt seu opere intendunt; eosque in Constit. *Effraenatum* Sixti V. ita indicatos cernimus (§. 1.): *Omnes, qui per se aut interpositas personas abortus seu foetus immaturi eiectionem procuraverint percussionibus, venenis, medicamentis* etc. Et cum in eadem Constitutione (§. 7.) ab hisce ceu *principalibus* distinguantur ii, qui *ad tale facinus committendum opem, consilium, favorem, potionem, vel alia cuiuscumque generis medicamenta scienter dederint* etc., palam esse debet, hosce postremos censu *procurantium* non contineri. Proinde cum articulus solum *procurantes* feriat, excommunicatio hosce postremos non tenet (a).

Avanzini n. 40. postquam dixit, *indistincte sub censura comprehendi procurantes abortum ideoque sive ipsa femina in se abortum procuret sive quisque alius, omnes in hanc incidere censuram,* subdit: *Alii de femina contrarium tenent.* Atqui etiam in Constit. Sixti V. et Gregorii XIV. indistincte in procurantes abortum censura ferebatur: veruntamen notissimum est, s. Alph. l. 3. n. 395. scripsisse; *secunda*

(a) *Mandantes* et *iubentes* certe ad procurantes spectant. Quaestio fuit de *mandatariis*, qui proprie nec *per se*, nec *per alios* sed *pro aliis* agunt. D'Annibale negat, cui favet Pennacchi; procurantes enim in vetere iure dicuntur qui non *pro alio*, sed *per se* vel *per alium* curant, faciunt. Sane in Sixtina Const. ii qui per se vel interpositam personam procurant, non obscure ab exsecutoribus distinguuntur, ut Auctor in textu animadvertit. — E.

sententia valde probabilis et, attenta ratione intrinseca, probabilior negat, mulieres praegnantes excommunicationem incurrere etc. Et concludit: *Cum dubium sit, an haec excommunicatio lata sit etiam in praegnantes, valde probabiliter ipsae ab ea excusantur.* Et in hanc sententiam videsis convenisse Comm. Reat. Cretoni, Del Vecchio etc.

Addit Avanzini: *in hoc articulo nulla fit distinctio inter foetum animatum vel inanimatum atque adeo neque nos distinguere debemus.* Expeditius erat concludere, a censura neminem nunc excusari inanimati foetus praetextu. Nam quod Constitutio antiquam illam distinctionem quodammodo supponens, moderationem Gregorii XIV. abiicere voluerit, ut ad severiores Sixti V. terminos rem revocaret, id prorsus est inverisimile. Potius ergo dicendum, in articulo nullam eiusmodi distinctionem fieri; quia foetus inanimati hypothesis uti prorsus obsoleta habenda est.

III. Litteris Apostolicis falsis scienter utentes vel crimini ea in re cooperantes.

321. Dilucidam huius art. explanationem sic habes in Comm. Reat. n.121.: « Qui litteras Apostolicas falsificat, incurrit excommunicationem Rom. Pontifici speciali modo reservatam: qui utitur falsis quique ei cooperatur, excommunicationem incurrunt et ipsi, sive laici sive clerici, sed soli Episcopo reservatam. Et si quis admiserit utrumque, idest si litteras falsificaverit eisque postea usus fuerit, utraque excommunicatione irretitur. Porro falsas litteras accipere debemus sive (partim *veras*) immutatas sive suppositas, utentes vero, qui eas exhibent, ut effectum habere possint: demum hodie et *cooperantes*, qui utenti (non qui falsificanti) operam praestant ». Quia vero, subdit, cooperari est alteri opem praestare: qui igitur nullam opem utenti adhibuit, sed tantum consilium dedit vel hortatus est ad utendum, excommunicationem non contrahit. Non ita tamen omnes censent, cum inter cooperatores et consiliarii reputentur (tr. VIII. Vol. III. 361. seqq.). Verum si presse rem accipimus, cooperatio operam praestitam significat in favorem alterius, qui iam velit agere. Non tamen male alibi inter cooperatores consiliarii recensentur, cum agitur de causa damni illati seu de iis, quibus effectio damni imputanda est.

Tandem illud *scienter* et ad cooperantes referendum est, ne durius cum delinquentibus accessoriis quam cum principalibus agatur (a).

(a) In veteri iure (c. *Ad Falsariorum* 7. *de Crimine falsi*) clerici utentes falsis litteris, non excommunicatione plectebantur, sed privatione officiorum et beneficiorum, nunc absque discrimine a laicis, puniuntur excommunicatione. An manet prior poena? Eam quidem Pius IX. expresse non abrogavit, sed putandus abrogasse implicite, quia *a iure alienum est ob idem crimen pluribus legibus reum fieri.* Ita D'Annibale, Pennacchi. — E.

SECTIO III.

EXCOMMUNICATIONES LATAE SENTENTIAE NEMINI RESERVATAE

Excommunicationi latae sententiae nemini reservatae subiacere declaramus:

I. MANDANTES SEU COGENTES TRADI ECCLESIASTICAE SEPULTURAE HAERETICOS NOTORIOS AUT NOMINATIM EXCOMMUNICATOS VEL INTERDICTOS.

322. In Const. Martini V. *Inter cunctas*, data post aliam *Ad evitanda* decernitur: « si tales haeretici publici et manifesti, licet nondum per Ecclesiam declarati, in hoc tamen gravi crimine decesserint, ecclesiastica careant sepultura ». Censuram, quae veteri iure ex Clem. I. *de Sepult.* feriebat sepelientes in loco sacro publice excommunicatos, manifestos usurarios etc., dupliciter vi huius articuli restrictam habemus. Nam 1° non *sepelientes*, sed solum mandantes aut cogentes sepelire afficit: 2° hoc solum valet, quando agitur de sepeliendis *haereticis notoriis* non tantum vitandis (quo censu venire debent et *notorii apostatae*) atque *excommunicatis nominatim nominatimqae interdictis.* Excommunicationem non incurrunt mandantes aut cogentes, nisi effectu secuto, Comm. Reat. Oportet ergo sepulturam esse ecclesiasticam, quae duobus constat, loco sacro et ritu catholico. Cf. Rituale Rom. Sed etsi nullo ritu sacro adhibito defunctus fuerit sepultus, non vitari censuram ait Comm. Reat. et sane vera ecclesiastica sepultura donatur, qui in loco sacro sepelitur.

* Imo id solum heic intelligitur, nempe depositio cadaveris in loco sacro: si id desit, etsi adhibita sit ecclesiastica liturgia, abest ecclesiastica sepultura et excommunicatio (D'Annibale heic). Ut autem locus sit sacer, requiriturne benedictio Episcopi, an sufficit, quod locus ab Episcopo destinetur ad sepulturam fidelium? Cum locus nullus fiat sacer nisi publica Ecclesiae auctoritate et pro sacrandis coemeteriis institutae sint benedictiones ab Episcopis adhibendae, ut non videantur iussu suo duntaxat edito posse efficere, ut locus sit sacer, dubia saltem res erit si coemeterium non sit benedictum et quidem ea benedictione quae eo spectat ut locus, sit sacer atque erit dubia excommunicatio.

Quaeritur qui sint heic *mandantes seu cogentes*. Mandatum quidem et a privata persona ferri potest (cf. Vol. III. 3. p. *De Mandato*): verum heic ii solum intelligendi videntur qui imperium obtinent et de vi publica disponere possunt, ut Praefecti, Syndici, etc. Nam sepultura

vel sepulturae exclusio, est ius publicum, quod non nisi ab habente potestatem publicam vel sperni vel custodiri potest (Pennacchi heic). Hos ergo prae oculis habuisse Auctor Constitutionis censendus est. Hinc forte est quod subiiciatur *seu cogentes*, quales solum esse possunt qui auctoritate publica pollent, ut isti utroque nomine designentur, scilicet sive mandent imperio sive etiam vi cogant. Sed alii sub voce *cogentes* comprehendunt quoque personas publica potestate destitutas, qui physice cogant alios sepelire (Pennacchi heic). Verum si ita est, non video, cur a mandantibus excludantur privatae personae, a quibus verum esse potest mandatum iuxta sensum huius vocis in iure canonico et civili. Praestat, puto, *cogentes* heic accipere quemadmodum in §. 7. primae seriei. Et illa particula *seu*, ut iam advertimus, indicare videtur, eosdem esse qui mandare simul possunt et cogere. *

Scribit hoc loco Avanzini (n. 48.): « Ad hunc vel alium articulum, in quo agatur de excommunicatis nominatim declaratis, referri aliquo modo possunt, quae in Instruct. C. s. Inq. 1. Febr. 1871. leguntur de officio Ordinarii, admonendi vel iudicialiter declarandi nominatim eos, qui censuras Rom. Pontifici reservatas incurrunt ».

Sed paulo aliter Cretoni (not. ad h. art.): « Cum, ubi agitur de excommunicatis nominatim declaratis, supponatur iudicialis sententia, qua reus excommunicationem incurrisse declaretur, quaesitum fuit generatim, an ii, qui censuras incurrerunt, ab Ordinario admonendi sint ». Dixi, paulo aliter hunc quaestionem proponere. Hanc enim, iuxta verba, quibus in Istr. exhibetur: *Quaerebas, an ii, qui praedictas censuras incurrerunt, admonendi sint*, ita Cretoni accipit, quasi mere quaeratur, *num admonitio sit praemittenda*, si quidem qui censuras incurrerunt, per iudicialem sententiam sint nominatim denuntiandi seu declarandi excommunicati aut interdicti.

Porro non sic quaestionem accepisse videtur s. Inquisitio. Nam, ut modo ea seponamus, quae ipsa respondet aut de monitione per confessarium facienda in foro conscientiae aut de pastorali admonitione per Ordinarium, quoad iudicialem sententiam haec mere habet: *Sententiam hanc declaratoriam utrum ferri expediat, definiri generatim non potest, sed facti personarumque circumstantiis sedulo expensis dignosci debet.* Atqui ista nihil respondent quaestioni, quam propositam Cretoni censuit.

Ceterum quaestionem a Cretoni sic intellectam solverat ex communi doctrina s. Alph. (l. 7. n. 137.): *quod excommunicatus a iure, nisi crimen sit notorium, debet prius a proprio superiore citari, ut se defendat.* Notorietatem autem s. Doctor intelligit non solum *facti*, sed etiam *iuris:* quippe, ut ait l. c. n. 144., *usque dum reus non sit in*

iudicio confessus aut condemnatus, semper aliquo suffragio valet excusari.

II. LAEDENTES AC PERTERREFACIENTES INQUISITORES, DENUNTIANTES, TESTES ALIOSVE MINISTROS S. OFFICII EIUSVE SACRI TRIBUNALIS, SCRIPTURAS DIRIPIENTES AUT COMBURENTES, VEL PRAEDICTIS QUIBUSLIBET AUXILIUM, CONSILIUM, FAVOREM PRAEBENTES.

323. Laedere, ut iam (§. VIII. primae seriei) indicavimus, presso sensu dicitur de laesione corporis, ut persona in se ipsa laedatur. *Perterrefacere* est plusquam simpliciter gravem incutere metum. *Diripere* autem est in partes diversas rapere ac veluti praedari (Forcellini v. *diripere*). Unde concludit Comm. Reat. hanc censuram non incurrere, qui scripturas s. Officii clam furentur, nec forte qui unam aut alteram vi rapiat. Direptio enim ea intelligenda videtur, quae a pluribus tumultuario impetu fit, quo in casu vix una scriptura direpta cogitari potest.

Scripturarum nomine veniunt et illae, quae typis sint editae; acta sane processuum, protocolla etc. typis edi solent.

Quid si non comburant, sed lacerent? Cum eadem sit prorsus iniuria, idem damnum, ideoque eadem ratio legis, perinde esse videtur. Pennacchi vero de hoc dubitat.

Tribunal s. Officii non illud solum intelligitur quod exstat Romae, sed quod et alibi, ubicumque sit; lex enim non distinguit.

Quamvis vero Episcopi sint inquisitores nati, haec non sunt ad ipsos trahenda; quia tandem eorum Tribunal non est Tribunal s. Officii.

III. ALIENANTES ET RECIPERE PRAESUMENTES BONA ECCLESIASTICA ABSQUE BENEPLACITO APOSTOLICO, AD FORMAM EXTRAV. AMBITIOSAE DE REBUS ECCLESIASTICIS NON ALIENANDIS.

324. Huius articuli explanationem ex Comm. Reat. desumemus, paucis additis vel mutatis. Hoc itaque articulo excommunicatione plectuntur alienationes bonorum ecclesiasticorum absque beneplacito Apostolico ad formam Extrav. *Ambitiosae,* et vicissim receptiones, sed hae, non illae, quae coniunctae sint cum *praesumptione;* nam facile recipientes laici legem ignorare possunt, quae ignorantia in ecclesiasticis non supponitur. Nec opus est monere, non prohiberi simpliciter seu absolute alienationes, sed alienationes factas sine praescripta sollemnitate h. e. sollemnitates certas requiri pro valore alienationum.

Bona ecclesiastica dicuntur 1° quae sunt in patrimonio alicuius Ecclesiae vel Monasterii: 2° Beneficia ecclesiastica et Cappellaniae, non tamen laicales, (cf. Lucidi *de Visit. ss. Lim.* Vol. 3. p. 527. n. 16.):

3° demum bona quorumvis Locorum Piorum, dummodo auctoritate ecclesiastica haec sint erecta. Eiusmodi porro bonorum dominium est penes Ecclesias ipsas ac Loca Pia, administratio penes Rectores eorum vel Oeconomos, syndicos, procuratores, cura et velut tutela penes Locorum seu Regularium Ordinarios. Quocirca administratores vel oeconomi alienare ea non possunt et si alienaverint, nihil agunt. Ordinarii vero *regulariter* alienare non possunt immobilia ac mobilia pretiosa absque beneplacito Sedis Apostolicae.

* Porro nomine immobilium veniunt praedia, domus, agri et similia: item servitutes, iura piscandi et venandi et siqua sunt huiusmodi; tum census, annui reditus, atque iura et actiones ad immobilia, atque ea summa pecuniae quae destinata sit ad comparanda immobilia, ad fabricandam ecclesiam domum et similia. Mobilia vero pretiosa illa sunt quae propter pretium, opus artis, raritatem, antiquitatem conferunt splendori ecclesiae seu loci pii et religiosi, ex. gr. vasa aurea et argentea, vestes praeclarae, gemmae, ornamenta eximia, copiosa quoque bibliotheca, etiam pauci libri, si sint veteres codices qui in pretio habentur, picturae, statuae insignes et similia. (Ferraris v. *Alienatio*, art. 1. nn. 3. seqq.). Mobilia cetera sunt heic ea, ex quibus servatis fructus percipiuntur, grex, armentum, arbores frugiferae etc. *

325. Dictum est, *regulariter;* nam possunt alioquin alienare 1° praedia exigui valoris (quo censu non venit alicuius praedii pars utut exigui valoris), vel quae plus incommodi, quam commodi afferunt. Exigui autem valoris habebantur praedia, * et cetera bona, quae olim, iuxta responsum s. C. EE. RR. in Faventina 1611. 22. Maii non plus 25. aureis De Camera (circiter libellis nostris 214.) aestimabantur; *habebantur*, inquam, *olim;* nam ratio valoris pecuniae ab initio seculi XVII. ad nostra usque tempora adeo mutati non videtur in hoc negotio negligenda, ut idcirco penes doctos viros haec modo sedeat sententia, libellas 500. exigui valoris limitem esse (Cf. Monit. eccl. Vol. IX. p. 2. pag. 115. Vol. VII. p. 2. pag. 141.). * 2° alienare possunt quidvis aliud, si vel urgeat necessitas, quae moram non patitur, vel adsit occasio, quae alias transiret, itemque donata Ecclesiae ea lege, ut alienari h. e. vendi, non quidem tantummodo possint, sed debeant, sive ex voluntate donantis sive ex lege propria subiecti donatarii probata ab Ecclesia. Dixi *non tantum ut possint;* quae enim sic donantur in plenum dominium transeunt eius cui donantur et sic subsunt legi Ecclesiae, a qua nemo privatus dispensare valet: tum alienari possunt empta cum pacto retrovenditionis. Quandoquidem autem ex l. 28. ff. *De verb. signif. Qui occasione adquirendi non utitur, non intelligitur alienare, velut qui haereditatem omittit, aut optionem intra certum empus datam non amplectitur;* possunt iure suo oblata Ecclesiae vel

relicta, necdum acceptata, repudiare (a), ut v. gr. donationem, haereditatem, legatum; adeoque possunt non parere conditioni, sub qua aliquid Ecclesiae (seu Monasterio) relictum est vel promissum eoque magis non uti exceptione, qua ius aliquod Ecclesiae acquireretur vel redintegraretur. Exinde possunt etiam transigere, non quidem diminuendo, sed non acquirendo. Nec alienatio est pecuniam mutuam accipere, vel in arca Ecclesiae existentem collocare, dummodo, si collocanda sit ex iuris necessitate, in *re soli* frugifera eaque deficiente, in censibus realibus collocetur.

* Mutuam dare pecuniam negant esse per se alienationem prohibitam Bonacina *de Alienatione* disp. 2. p. 2. n. 5. Schmalzgr. tit. *de Rebus Ecclesiae non alienandis* n. 51. Ea vero pecunia, quae vel ex venditis fundis sit acquisita, quos idcirco repraesentat, vel quae sit investienda vel deputata specialiter ad emenda immobilia, ad ecclesiae seu monasterii aedificationem aut pro gravissimis ecclesiae aut monasterii necessitatibus, spectat ad ea, quae nequeunt alienari: pertinet enim ad ea bona, *quae servanda servari possunt.* At pecunia, quae percipitur ex bonis ecclesiae vel ex eleemosynis, non prohibetur sub ista censura alienari; ad ea enim pertinet, *quae servanda servari non possunt* est scilicet expendenda. Cf. Pennacchi app. 36. *

326. Alienationis autem vocabulum latissime heic accipitur pro quovis contractu, quo vel 1° dominium transfertur, velut in solutum dare, permutare, in emphyteusim vel feudum concedere: vel 2° aliquod ius reale ab Ecclesia (intellige et Monasterio, etc.) decedit, vel onus reale rebus imponitur, v. g. census (b), hypotheca, servitus, aut debita ei servitus remittitur; vel locationes fiunt ultra triennium utile seu fructiferum. Scilicet si res fructificat annuatim, nequit locari ultra triennium, si alternis annis, ultra sexennium, si tertio quoque anno, ultra novennium s. Alph. l. IV. n. 187. not. 7.

Ceterum cum excommunicatio non contrahatur, nisi alienatio fiat sine beneplacito Sedis Apostolicae; proinde cum in alienationibus, quae fiunt de ecclesia in ecclesiam, non satis conveniat, utrum opus sit huiusmodi beneplacito, non constat, in his excommunicationi locum esse (c). Item si alienatio facta fuerit ex iusta causa et sine Eccle-

---

(a) Hoc est, contra hanc Const. non agunt, sed fieri potest ut peccent si absque causa rationabili id faciant. Cf. Schmalzgr. l. 2. tit. 13. n. 17. — E.

(b) Census permittuntur c. 7. *de Rebus Eccl. alienandis* etc. sed est quaedam concessio in favorem ob gratitudinem. — E.

(c) Obstat tamen responsum s. C. C. quae de hac re interrogata 24. Ian. 1632. respondit: s. C. C. mature discusso dubio proposito, censuit, permutationem inter duas ecclesias absque sollemnitatibus factam, minime sustineri, et rectores ipsarum ecclesiarum incidisse in poenas c. 10. sess. XXII. *de Reform.* et extrav. *Ambitiosae.* Cf. Pennacchi l. c., qui aliam similem eiusdem s. C. decisionem refert, probatam s. Pontifici. — E.

siae detrimento, videtur excommunicatio cessare; quippe recepta sententia est, alienationem huiusmodi valere in foro conscientiae, quamvis in foro exteriori non valeat (a).

Insuper cum non incurratur excommunicatio, nisi alienatio perfecta fuerit ultro citroque, proinde non incurretur, re nondum tradita (b); imo etiamsi tradita fuerit, vendita tamen sub conditione suspensiva. Locationes quoque ultra triennium et culpa et censura carebunt, si vel factae fuerint ea lege, ut finito unoquoque triennio liceat locatori a locatione discedere vel factae sint a fructuariis, v. gr. Beneficiatis, seu Cappellanis, hac conditione, ut ab illis discedatur morte fructuarii. Sane, ut ait Pennacchi, fructus nec sunt res immobiles, nec mobiles pretiosae, quae servando servari possint, circa quae tantum versatur Extrav. *Ambitiosae* ideoque et lex Pii IX. hoc loco: idcirco locantes fructus ad longum tempus vel ad vitam huic Const. non adversantur (c).

Denique cum haec sanctio feriat tantummodo *alienantes et recipere praesumentes;* non comprehendit igitur *consentientes, consulentes, faventes* etc. eoque minus eos, qui res ecclesiasticas destruunt, vel eas furantur, diripiunt. Imo neque omnes alienantes, sed solum quibus administratio earum concredita est: quin et ex his excipiendi sunt Episcopi et Abbates, qui non excommunicationis, sed interdicti ab ingressu Ecclesiae poena plectuntur. Adde quod cum amplius abire id non possit, quod semel a me abiit, exinde si quis rem a se acquisitam contra formam Extrav. *Ambitiosae,* alienaverit; nec ipse, nec qui accipit, excommunicationem incurrit. Videsis laudatum Comm. Reatinum, ubi haec omnia solidis innixa fundamentis cernuntur.

(a) Obstant huic doctrinae rursus decreta s. C. C. quae cf. apud Pennacchi l. c.: ut videatur s. Sedes reservare sibi iudicium, an iusta sit causa alienationis et an haec sit utilis. Lex scilicet innititur non merae praesumptioni *facti,* sed *iuris,* qua periculum praesumitur damni etiam cum contrahentes bona fide agunt. Hinc etsi s. Sedes alienationes quasdam probaverit, quia tamen factae fuerant non interpellata s. Sede. eas sanandas esse edixit, utpote scilicet per se nullas. Cf. ibid. citatum Auctorem et s. Alph. l. IV. 187. n. 5. — E.

(b) Quid si solo consensu ita venditio perficiatur, ut dominium mercis ante traditionem transferatur in emptorem, quemadmodum volunt moderna iura, secus ac ius Romanum? — E.

(c) Const. *Universalis Ecclesiae* 29. Aug. 1741. Benedictus XIV. poenis latis contra alienantes bona Ecclesiae subiecit clericos, qui vendant fructus futuros sui beneficii vel ad vitam vel ad longum tempus, pretio integro accepto vel una vel pluribus solutionibus (huiusmodi anticipatas solutiones vetuerat Conc. Trid. Sess. 25. c. 11. *de Reform.* et Urbanus VIII. reg. Canc. 69. ac Constit. 80. a se edita). Actus irritatur et clericus excommunicatur. Significat hoc ipso Pontifex istud facinus Extravagante Pauli II. non fuisse comprehensum. Hanc Benedictinam Constitutionem Pius IX. quoad poenam excomm. non instauravit. — E.

IV. NEGLIGENTES SIVE CULPABILITER OMITTENTES DENUNTIARE INFRA MENSEM CONFESSARIOS SIVE SACERDOTES, A QUIBUS SOLLICITATI FUERINT AD TURPIA IN QUIBUSLIBET CASIBUS EXPRESSIS A PRAEDECESSORE NOSTRO GREGORIO XV. CONST. *Universi* 10. AUG. 1611. ET BENEDICTO XIV. CONST. *Sacramentum Poenit.* 1. IUN. 1741.

327. Cum tempus non currat ignoranti, mensis computandus est ex quo quis noverit obligationem denuntiandi, excommunicationem adnexam huic obligationi et tempus obligationi praefixum. Quandiu igitur quis obligationem ignorat, is et culpa et poena caret. Quandiu vero, etsi obligationem sciat, ignorat tamen poenam censurae adiectam, itidem hanc non incurrit, deficiente contumacia. In tertio casu vel falso existimavit denuntiationem protinus faciendam esse, et sic excommunicatione non ligatur, quousque elapsus mensis fuerit; cum falsa censurae existimatio ad eam inducendam non sufficiat. Sin vero credidit, denuntiationem fieri posse, quandocumque libuerit, eam nec post mensem incurrit, quandiu nempe bona fide existimat, eam posse adhuc differri. Ceterum si se denunciaturum quis promiserit et ei fides haberi possit, absolvi poterit non modo ante elapsum mensem *a peccatis*, quod in Constitutione Benedicti XIV. expresse cautum est, sed etiam ab excommunicatione, quam post elapsum mensem incurrerit.

Fac demum advertas, quod quamvis ad denuntiandum confessarios sollicitantes praeter poenitentes sollicitatos teneatur etiam quisquis alius eiusmodi sollicitationem resciverit a personis fide dignis: hi tamen denuntiandi obligationem si non impleant, hodie excommunicationem non subeunt. Cf. *de Poenit.* Vol. V. n. 737. seqq.

V. Huc ex parte referenda excommunicatio in MISSIONARIOS OPERAM DANTES MERCATURAE IN INDIIS ORIENTALIBUS ET AMERICA TUM AUSTRALI TUM SEPTENTRIONALI ET IN SUPERIORES EORUM, QUI DELINQUENTES NON PUNIVERINT, iuxta Const. Urbani VIII. *Ex debito* 21. Febr. 1633. et Clementis IX. *Sollicitudo* 17. Iul. 1669.: quam excommunicationem, praetermissam in Const. *Apostolicae Sedis*, Pius IX. redintegravit postulante C. s. Offic. 4. Dec. 1872. Cf. et encyclicas datas a s. C. P. F. 29. Mart. 1873.

328. Cf. tr. IX. Vol. IV. n. 464., ubi decretum Clementis IX. recitatum est et declaratum, quinam proprie huic censurae subiiciantur. Superiores vero, qui hac censura plectuntur, non sunt tantum superiores immediati sed et mediati; sic enim habet: « Insuper eisdem censuris et poenis innodamus et innodatos fore declaramus superiores

immediatos ac Provinciales ac Generales praedictorum Ordinum seu Congregationum, qui eorum respective subditos in praemissis... etiam pro unica vice quomodolibet delinquentes, saltem per amotionem illorum a locis commissi per eos delicti non puniverint ».

Porro concluditur decretum hoc pacto: « A sententia excommunicationis huiusmodi per superiores vel alium seu alios quoscumque, etiam quavis auctoritate suffultos nemo ex praedictis delinquentibus absolvi possit, praeterquam in mortis articulo constitutus, nisi lucris huiusmodi prius restitutis. » Recole ea quae DD. tradunt de clausula, *satisfacta parte*, et aliis huiusmodi. Qua de re videsis sup. n. seqq.

Diximus, ex parte huc spectare istam excommunicationem: nam quandiu lucro quaesita non sint, prout praescribitur, restituta, absolutio a censura reservatur simpliciter Rom. Pontifici, ideoque sub hoc respectu collocanda est in 2ª serie, ut iam monuimus n. 317.: si lucra sint restituta, potest censura a quolibet confessario absolvi, et hoc pacto huc spectat.

---

329. Subdit Pius IX. *Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque, quos ss. Conc. Trid. sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolutione sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus...* Iam diximus n. 270. quales sint eae Tridentinae censurae, quas valere adhuc voluit ss. Pontifex. Huc spectant excommunicationes adhuc ex Conc. Trid. vigentes, excommunicantur scilicet:

VI. Raptores mulierum ad matrimonium cum raptis contrahendum et eiusmodi raptoribus consilium, auxilium et favorem praebentes, sess. 24. *de Reform. Matr.* c. 6. Cf. *de Matr.* Vol. VI. 692. seqq. Excomm. nemini reservata.

VII. Omnes, cuiuscumque gradus, dignitatis et conditionis, qui quovis modo, directe vel indirecte, subditos suos vel quoscumque alios cogunt, quominus libere matrimonia contrahant. Sess. cit c. 9. Excomm. nemini reservata.

330. *Omnes*, scilicet *temporales domini* et *magistratus*, de quibus caput istud unice loquitur.

Non ergo comprehenduntur Episcopi, Parochi nec puto comprehendi parentes respectu filiorum. Sic sane declarasse Gregorium XIII. refert in h. l. Gallemart, declarasse scilicet, hoc decreto non comprehendi privatas personas, sed tantum dominos temporales et magistratus.

Quidam et Reges excipiunt; quia specialis mentio de iis non fit.

Cum dicit: *quoscumque alios*, intellige eos, qui aliquo modo sub illorum degunt iurisdictione; nam in eodem capite ea coactio coercetur, quae a dominis vel magistratibus exercetur in *degentes sub eorum iurisdictione*. Sane cives iurisdictioni magistratus subiiciuntur, quamvis eius subditi proprie non dicantur.

VIII. COGENTES MULIEREM INGREDI MONASTERIUM VEL EAM AB INGRESSU IMPEDIENTES. Sess. 25. de Regul. c. 18. Excomm. nemini reservata.

331. Decretum Trid. limitat cogentes: *praeterquam in casibus in iure expressis*. In iure autem excipitur, quod Episcopus ad ingrediendum monasterium cogere possit, si qua uxor, postquam ex eius consensu maritus Religionem ingressus iam vota sollemnia emisit, de incontinentia sit suspecta: c. *Significasti de Conv. Coniug.* cf. *de Matrim.* nn. 813. seqq. Item quod possit Episcopus in monasterium compellere uxorem, quam maritus lapsam ac poenitentem nolit recipere: c. *Gaudemus* tit. eod.

Ceterum cum hoc anathemate plectantur omnes, *si quomodocumque coegerint aliquam virginem vel viduam aut aliam quamcumque mulierem invitam...* AD INGREDIENDUM MONASTERIUM vel AD SUSCIPIENDUM HABITUM CUIUSQUE RELIGIONIS vel AD EMITTENDAM PROFESSIONEM... *quique scientes, eam non sponte* INGREDI MONASTERIUM *aut* HABITUM SUSCIPERE *aut* PROFESSIONEM EMITTERE, *quoquo modo eidem actui vel praesentiam vel consensum vel auctoritatem interposuerint:* merito Sanchez *Decal.* l. 4. c. 4. n. 12. quoad *ingressum* dicit sibi placere limitationem, quam sic apponit Emmanuel Rodriguez *Summ.* tom. 2. c. 8. n. 10.: « Nec incurrit eam (excomm.) pater, qui de licentia Ordinarii procurat ponere filiam suam orphanam matre in aliquo monasterio, quousque fiat apta ad contrahendum matrimonium ».

Incurritur itaque haec censura (ut ait Sanchez), *quando coactio illa est in ordine ad suscipiendum postea habitum, sive suasionibus monialium sive alia ratione, non autem quando nullo modo hoc intenditur.* Vid. Bonac. disp. 2. q. 2. p. 2. n. 6. Ferraris v. *Monialis* art. 1. nn. 53. 55.

IX. QUI DOCERE, PRAEDICARE VEL PERTINACITER ASSERERE SEU PUBLICE DISPUTANDO DEFENDERE PRAESUMPSERIT, NON ESSE SACRAMENTO EUCHARISTIAE PRAEMITTENDAM CONFESSIONEM SACRAMENTALEM, QUANDO COPIA HABEATUR CONFESSARII, SI IS, QUEM CONSCIENTIA PECCATI MORTALIS GRAVET, VERE SE CONTRITUM EXISTIMAT. Sess. 13. c. 11. Excomm. nemini reservata.

332. Punitur is, qui negat hanc obligationem: si quis solum negaret, eam esse ex iure divino, non incurreret excommunicationem. Cf. *de Euchar.* Vol. IV. n. 912. seqq.

X. Qui clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta vera et rata esse negat, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit. quique affirmant, matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse et parentes ea rata vel irrita facere posse. Sess. 24. *de Reform. Matr.* c. 1. Excomm. nemini reservata.

Cf. propp. damnatas 58. 59. 60. Syn. Pistoriensis.

XI. Magistratus, qui ad instantiam Episcopi non praebeant auxilium adversus contradictores clausurae Monialium. Sess. 25. de Regul. c. 5. Excomm. nemini reservata.

333. Sermo est de clausura papali: « Haec tamen censura (ait Avanzini n. 63.) in praesenti societatis conditione per non usum iam videtur in desuetudinem abiisse ». Est nimirum consectarium apostasiae, qua gubernia a christiana religione ad paganismum seu melius ad atheismum desciverunt.

Nota, excommunicationem Tridentinam in violantes clausuram Monialium, quae nemini erat reservata sess. 25. *de Regul.* c. 5., translatam nunc esse inter reservatas simpliciter Rom. Pontifici. Cf. art. VI.

Idem dicendum de excommunicatione contra duellantes sess. 25. *de Reform.* c. 19.

Excommunicatio vero Trid. contra bonorum Ecclesiae usurpatores, quam solam Trid. Syn. Papae reservavit, data est superius in secunda serie sub n. XIX.

Verba recitata n. 328. ex Const. *Apost. Sedis*, sic absolvit Pius IX.

XII. Excepta anathematis poena in decreto sess. 4ae *de Editione et usu sacrorum librorum* constituta, cui illos tantum subiacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes, sine Ordinarii approbatione imprimunt aut imprimi faciunt. Excomm. nemini reserv.

334. Inter *imprimentes* censentur *quotquot ad impressionem proxime cooperantur.* At si *qui imprimunt* sunt heic iidem ac illi, de quibus Trid. Syn. l. c. loquitur (quod probabile valde est), ii dicendi sunt esse tantum Typographiae rectores vel domini, atque ad summum principales eorum ministri, quorum arbitrio permittitur impressio librorum. *Imprimi facientes* sunt tum typographus, qui et imprimere dicitur, tum editor libri et generatim is, cuius *cura* editur liber, qui operam sive typographi sive proxime cooperantium conducit. Ad hos

non spectat auctor, qui opus suum alteri det aut vendat, nihil curans de impressione. Ita qui tantum petit, ut aliquis liber imprimatur, is nec imprimit, nec vere facit imprimi; cum eius actui nequeat referri in acceptis tanquam causae impressio libri. At qui consilio suo movet et determinat, hunc inter imprimi facientes non puto connumerari; nam qui consulit opus non vere dicitur illud facere: facit imprimi conducit operas, qui impressionem mandat aut iubet; quocirca mandantes comprehenduntur. Inter imprimentes non esse censendos correctores ait Comm. Reat. ad 3. art. 1ae seriei; quia remotam operam praestant.

Sermo est de impressione per typos, quae vulgo ars typographica vocatur.

Trid. Syn. l. c. comprehendebat etiam *retinentes*, *vendentes*, *evulgantes* libros huiusmodi: isti modo eximuntur. At Trid. Syn. limitationem apposuerat, si nempe libri essent sine nomine Auctoris: haec limitatio est sublata.

Quinam porro sint libri de *rebus sacris* tractantes, de quibus hoc loco agitur, declaravit s. C. Inq. 22. Dec. 1880. « Censuram nemini reservatam, inflictam eis, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt aut imprimi faciunt, restringendam esse ad libros sacrarum Scripturarum nec non ad earundem adnotationes et commentarios; minime vero extendendam ad libros quoscumque de rebus sacris in genere idest ad religionem pertinentibus tractantes ». Sane de illis solum in Trid. decreto quaestio erat, aiunt plures, qua de re valde dubitamus: sed modo post illud responsum s. O. quod, annuente ss. Pontifice, sicut ampliare, ita coarctare potuit censuras, nihil refert de hac re disputare.

Approbatio Ordinarii est utique in fronte libri apponenda ut constet librum esse approbatum: at ad effugiendam censuram, satis est, datam esse approbationem.

Superius diximus (n. 269.), censuras quasdam *implicite* in Constitutione *Apostolicae Sedis* comprehendi et huc spectant quae sequuntur.

« Quae vero censurae sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, Nostris aut Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus aut sacris Canonibus (non ergo huc pertinent censurae latae a Regularium Superioribus aut Capitulis seu provincialibus seu generalibus pro Ordinis proprii subditis) praeter eas quas recensuimus, latae sunt atque hactenus in suo vigore perstiterunt, sive pro Romani Pontificis electione sive pro interno regimine quorumcumque Ordinum et Institutorum Regularium, nec non quorumcumque Collegiorum, Concregationum, Coetuum, Locorumque Piorum cuius-

CUMQUE NOMINIS AUT GENERIS SINT, EAS OMNES FIRMAS ESSE ET IN SUO ROBORE PERMANERE VOLUMUS ET DECLARAMUS ».

335. Agitur nimirum de censuris sancientibus obligationes, quae ad regimen Regularium, qua tales sunt, pertinent, sive demum respiciant generatim Regularium statum, sive peculiare aliquod Institutum. Non ergo huc pertinet, v. gr. excommunicatio sub Clemente VIII. lata contra Regulares, qui absolvere praesumerent a casibus, quos Ordinarii locorum sibi reservassent: quippe haec ad regimen internum non spectat atque adeo cessavit. Id ipsum dicendum censet *Comm. Reat.* de excommunicatione adversus Regulares, qui decimas Ecclesiarum usurpent (*Clem. I. de Decim.*), vel qui aliis persuadeant, ut sepulturam eligant in suis Ecclesiis, voto aut iuramento interposito, vel ne mutent electam (*Clem.* 3. §. ult. *de Poenis*).

Nostri instituti profecto non est inquirere, quaenam censurae latae hucusque fuerint pro interno regimine illorum omnium Coetuum, quos enumerari heic videmus, ac multo minus, quaenam ex iis censuris adhuc in suo vigore perstiterint. Nonnulla dumtaxat tetigisse iuverit de Coetu Regularium, utpote omnium amplissimo.

336. Excommunicatione itaque latae sententiae plectuntur Regulares, qui temere habitum religionis suae dimittant. Ex cap. *Ut periculosa* 2. tit. *Ne Clerici vel monachi in* 6°.

Sunt, qui ex hoc textu iuris inferunt, apostatas a Religione ipso facto excommunicari. At bene de his Sanchez *in Dec.* lib. 6. cap. 8. n. 45. scribit, *nihil prorsus referre Apostasiam* a Religione ad hanc excommunicationem contrahendam; quippe textus eo cap. secundo solos religiosos temere habitum religionis deponentes excommunicat. Haec autem dimissio potest contingere absque apostasia et e contra potest esse apostasia absque hac dimissione. Quare religiosus dimittens temere habitum absque apostatandi animo, eam incurrit et e contrario, quantumvis apostata sit, si non dimittit habitum, non incurrit eam censuram.

Insuper cum canon feriat eum, qui temere habitum suae religionis dimittat, idque ut periculosa Religiosis evagandi materia subtrahatur; manifestum est, excomm. hanc ab iis non contrahi, qui rationabili ex causa dimisso aut mutato Religionis suae habitu incedunt.

Item monachi aut Regulares Canonici, si ut suis Praelatis aut Monasteriis damnum aliquod inferant, ad curias Principum se conferre praesumpserint. Ex Clem. I. *de Stat. Monach.* §. 5.

Item monachi intra septa monasteriorum, sine licentia Abbatum, arma tenentes. Ex Clem. l. c.

Excommunicationem autem Summo Pontifici reservatam incurrunt

Regularium Superiores, qui quosvis Religiosos, etiam non subditos, quos haeresis labe infectos vel etiam suspectos esse noverint, non denuntiant. Paulus V. Const. *Romanus Pontifex* et Alexander VII. Const. *Licet alias.*

Item si in causis ad s. Officium spectantibus iidem Superiores se audeant utcumque intromittere. Ex praemiss. Const.

Item si Superiores iidem subditos suos ad s. Officium recurrere volentes quovis modo avertant, retrahant, dissuadeant. Ex iisdem Const.

Eandem excommunicationem reservatam incurrunt Religiosi subditi, si non denuntiant confratres vel etiam Superiores eiusdem Ordinis, quos noverint esse de fide quomodolibet, etiam leviter, suspectos. Ex cit. Const.

Eandem omnes isti incurrunt, si sub correptionis fraternae aut alio praetextu a denunciando retrahant aut retardent petentes a se consilium. Ex cit. Const.

337. Quod spectat ad excommunicationes latas pro Romani Pontificis electione, satis sit advertere cum De Angelis *Praelect. Iuris Can.* l. 1. tit. 5. et 6. *de Elect. Rom. Pontificis* n. 5., hodie electionem Pontificis fieri a Cardinalibus iuxta duas Constitutiones Gregorii XV. et in iis repetita esse quae statuerat Gregorius X. in Conc. Lugdunensi de disciplina Conclavis. Illarum prior est *Aeterni Patris* 15. Nov. 1621., altera *Decet Romanum Pontificem* 12. Mart. 1622. In his plures censurae feruntur in transgressores. Ex his proinde censurae, quae vigeant circa electionem Rom. Pont., colligendae sunt. Exstat praeterea Constitutio Gregorii XIV. *Cogit nos*, qua prohibentur sub excomm. R. P. reservata tractatus, sponsiones, pactiones, vivente Pontifice, super electionem futuri Pontificis et Const. Urbani VIII. *Inscrutabilis* 1. Apr. 1631. qua excommunicantur qui de statu reipublicae Christianae vel Sedis Apostolicae, sive de vita et morte R. P. pro tempore exsistentis eiusque usque ad 3^{m} gradum inclusive consanguineorum mathematicos, ariolos etc. vel alios astrologiam iudiciariam exercentes seu alios quomodolibet profitentes consuluerint. Porro Sixtus V. iam ediderat Bullam *Coeli et terrae* contra Astrologos 5. Ian. 1585., quam Urbanus confirmavit et ampliavit.

CAPUT III.

DE SUSPENSIONE ET DEGRADATIONE.

DUB. I.

* *Quid sit suspensio, quotuplex et unde cognoscatur,* * *qualis et quanta sit.*

LXXVII. Resp. 1. Suspensio est censura, qua Clericus functiones aliquas Ecclesiasticas exercere prohibetur. Vide Bon. d. 3. p. 1. Laym. l. 1. tr. 5. p. 3. c. 1.

338. Suspensio est *Censura, qua clericus interdicitur usu ecclesiasticae potestatis.* Potestatem habet clericus vel ratione *officii* vel ratione *beneficii:* potestas porro officii duplex distinguitur, *ordinis* nempe vel *iurisdictionis.* Per se suspensio non tollit ipsam potestatem (quae identidem nec auferri potest, cuiusmodi est potestas ordinis) sed usum sive ius utendi: at, si dempto iure utendi, actus nedum illicitus sed et invalidus sit, ipsa potestas ablata intelligitur, manente solum habilitate propria status clericalis. Potestas ratione beneficii est facultas seu ius percipiendi fructus et administrandi beneficium, quae est potestas ecclesiastica.

Suspensio dicitur *censura:* qua in re advertendum est, duplicem solere distingui suspensionem, imo triplicem, eam nempe quae sit vel simpliciter *poena*, vel proprie *censura* vel sola *privatio.*

Porro suspensio *censura* est, cum infligitur ut poena medicinalis ad frangendam contumaciam, qua cessante auferenda est per absolutionem. Hinc nequit haec, ut iam alibi docuimus, infligi propter peccatum mere praeteritum.

Est autem simpliciter *poena,* quando infligitur in vindictam perpetrati criminis, sive in perpetuum sive ad tempus duratura. Id enim potest et identidem fieri solet.

Mera *privatio* est, cum quis suspensioni subiicitur, quamvis nec contumax sit nec deliquerit; quia tamen pars est Collegii, quod suspensum est, impeditur is ab iis functionibus exercendis, quae communes sunt collegio (cuiusmodi est e. gr. electio) et a quibus collegium suspensum est, quamvis ipse sit innocens. In eo proinde suspensio habet tantum rationem cuiusdam *privationis.*

Imo quarta addi potest h. e. suspensio *ad cautelam*, cum ob solam suspicionem criminis, ad vitandas obtrectationes et scandala clericus ab officio suspenditur. Est ex quadam oeconomia ob reverentiam sacri ministerii. Cf. d'Annibale *Summ.* v. 1. nn. 379. seqq. Reapse est prohibitio quaedam.

339. Quaestio est, an eo ipso quod suspensio pro certo tempore infligitur aut indefinite, puta *per triennium* vel *ad beneplacitum* inferentis, desinat esse censura et censenda sit mera poena.

Responsionem affirmativam suadent omnia, quae tradita sunt de censuris in genere eamque iam Ball. praeoccupavit n. 18. Difficultas tamen est ex duplici capite. Nam 1° in c. *Cum aeterni, de Sententia et re iudicata*, suspensio ab officio iudicibus ecclesiasticis iniuste agentibus per annum decernitur et simul dicitur quod si suspensus, durante suspensione, se ingesserit divinis, irregularitatem incurret, secundum canonicas sanctiones. Porro irregularitas consequitur violationem censurae.

Idem clarius dicitur c. 1. *de Sent. Excomm.* in 6° ubi iudices ecclesiastici iniuste agentes suspenduntur ab ingressu ecclesiae et divinis officiis per mensem unum et si sic suspensi divina officia exsecuti fuerint, irregulares eos fieri declaratur secundum canonicas sanctiones. Dices, id voluntate Pontificis (utroque in canone Pontifex loquitur) factum esse, qui derogare potest regulis iuris canonici. Sed utroque in loco irregularitas dicitur consequi *secundum canonicas sanctiones*. Ceterum nonne omnium canonum, qui universam Ecclesiam obligant, conditor est Pontifex?

Ex his autem non sequitur necessario, suspensionem ad tempus esse censuram, sed alterutrum h. e. aut ipsam quoque esse censuram, aut suspensionem quoque, quae sit simpliciter poena, inducere irregularitatem si violetur. Hoc alterum tenet Bonacina tom. 1. disp. 3. p. 4. n. 6. atque id tenendum puto propter canones quos citavimus, non quod quaelibet suspensio poena hunc effectum gignat, si violetur, sed quod possint componi, volente legislatore, haec duo, *suspensio poena* et ex eius violatione secuta *irregularitas*. Pendent enim tandem omnia ex libera voluntate legislatoris.

Altera ratio difficultatis est, quod in Const. *Apostolicae Sedis* non agitur nisi de Censuris, ut ipse Pius IX. in prooemio testatur: nihilominus fere omnes suspensiones ibi recensitae sunt ad certum definitum tempus vel ad beneplacitum Pontificis: ergo et hae sunt censurae.

Respondere forte licet cum d'Annibale *Summ.* V. 1. not. 4. ad n. 379., ibi omnes suspensiones venire sub censurarum nomine, sed accepto latiore significatione, quae et suspensiones simpliciter poenas complectitur: solent enim iuris canonici tractatores sub censura suspensionis loqui et de suspensione quae sit mere poena. Est scilicet materialiter, non formaliter, censura. Sed magis placet alia responsio iam data.

340. Multiplex est divisio suspensionis. Praeter hanc, quam iam innuimus et cuius canonistae mentionem faciunt, ut altera sit proprie

censura, altera mere poena, hae aliae exstant divisiones. Scilicet Suspensio est triplex, *ab officio*, *a beneficio*, *ab utroque*. Suspensio ab officio rursus triplex vel *ab ordine* vel a *iurisdictione* vel *ab utroque*.

Suspensio ab officio actus omnes prohibet, qui sunt proprii ministerii ecclesiastici, ita benedictionem, puta, nuptialem etc.

2° Suspensio *totalis* vel *partialis:* quae divisio et in plena suspensione et in singulis eius membris valet. Nam vel est totalis suspensio, ab officio scilicet et beneficio, vel totalis tantum ab officio, aut totalis tantum ab ordine aut a iurisdictione. Si tantum ordinis, aut si alicuius tantum ordinis, item si alicuius tantum iurisdictionis impeditur exercitium, erit partialis suspensio etc. Item totalis est a beneficio, cum ab administratione ac perceptione omnium fructuum omniumque beneficiorum quae habeantur, suspendit: secus erit plus minus partialis.

3° Alia, spectata eius causa, est *a iure*, alia *ab homine;* quod commune est omni censurae et heic tantum commemoratur propter quaestionem quae fit; cuius sit inferre censuram aut poenam suspensionis. Et respondetur, eum qui excommunicare potest, posse et suspendere, eum nempe qui in foro externo iurisdictionem habet. Est enim suspensio poena externi fori.

4° Ratione subiecti, alius est suspensus *vitandus*, alius *toleratus*, quemadmodum dictum est superius de excommunicatione.

Manifestum est, suspensionem in solum clericum, auctum saltem ordine aliquo minori, ferri posse; exercitium enim potestatis aut iuris illis tantum interdici potest, qui iis potiuntur. Nec refert, effectum suspensionis esse in hoc quoque situm, ut suspensus incapax reddatur ad beneficia obtinenda et officia suscipienda, quod et in laico locum habere potest. Nam talis incapacitas eatenus est suspensio, quatenus consequitur suspensionem ab officio vel beneficio quae habeantur; secus erit pura inhabilitas vel irregularitas.

Porro subiectum, quod suspensione feriri potest, non sunt tantum singulae personae, sed et communitates seu collegia; nam et haec impediri possunt ab exercendis functionibus seu ministeriis, quae propria sunt totius collegii et a singulis quidem aguntur, sed quatenus pars sunt totius (cf. n. 337.).

Obiter advertimus, in decretis generalibus suspensionum Episcopos non comprehendi, nisi expresse indicentur, ut statutum est c. *Quia periculosum, de Sent. Excomm.* in 6°.

341. Constat suspensionem differre ab excommunicatione. Nam 1° excommunicatio tum clericum tum laicum afficere potest, suspensio solum clericum: 2° excommunicatio privat omnibus bonis, quibus ecclesiastica externa communio continetur: suspensio solum usu eccle-

siasticae potestatis: 3° excommunicatio, etiam cum hoc usu privat, differt formaliter a suspensione; quia illa hoc privat, quatenus hic usus est quaedam communicatio cum fidelibus: haec ipso privat, quatenus est usus *potestatis*. 4° Quapropter cum suspenso denuntiato et vitando non prohibemur simpliciter communicare, sed solum concurrere cum illo ad actus, a quibus suspensus est: ideoque si eius Missam audias, haud tamen ministrans, non peccas.

Quamvis, comparatione facta bonorum, quibus privat, suspensio videatur levior poena quam excommunicatio minor, quae usu passivo privat sacramentorum, unde quidam intulerunt, suspensionem infligi posse etiam propter culpam venialem: nihilominus suspensio est poena gravior excommunicatione minori; quia haec facile tolli poterat a quolibet confessario, non item illa. Scilicet excommunicatus excomm. minori tandiu caret sacramentis, quandiu ipse velit, excepto extraordinario casu, quod desit quilibet confessarius: haec autem non est magna molestia. At secus est in suspensione. Tum suspensio inducit saepe damnum irreparabile et nonnullam infamiam secum affert. Quocirca in Iure ob culpam gravem tantum imponitur. Schmalzgr. l. 5. tit. 39. nn. 283. 284.

Non negamus tamen, quod, si ad breve tempus tanquam pura poena feratur, possit suspensio infligi etiam ob culpam levem.

342. Hinc in iure determinatus est modus, quo censura ista ab homine est ferenda. Oportet enim ut monitio canonica praevertat (nn. 108. seqq.) atque in scriptis sententia censurae feratur, expressa causa propter quam imponitur eiusque instrumentum dandum suspenso, si expostulet c. *Cum medicinalis*, *de Sent. Excomm.* in 6°. Schmalzgr. l. c. nn. 288. seqq.

Nec in perpetuum ferri potest, sed quandiu contumacia duret. Si vero ut simplex poena suspensio infligitur, tum (ut loquamur cum s. C. C. *in Lucion.* 8. Apr. 1848.) « licet monitiones impune possint omitti, ut communiter sentiunt Barbosa, Schmalzgr. Reiffenstuel, Monacelli, Pignatelli; attamen vel ordo iudiciarius foret servandus vel saltem imputationum capita cum reo communicanda, ne gravissima poena indefensus afficeretur, quod profecto ab omni aequitate quam maxime alienum videtur. Praeterea eo etiam nutaret suspensio, quia scilicet nullo tempore praefinita, quod necessarium videtur ex traditis per Suarez *de Cens.* disp. 4. sect. 1. n. 9. ». (Apud Lucidi V. 1. c. 3. n. 263.). Quamvis, ut ipsa s. C. ibidem testatur, usus invaluerit irrogandi huiusmodi suspensiones etiam indefinite, quod nunc tamen eadem s. C. minus probat, ut ex responso paulo post afferendo patebit.

343. Specialis quaedam ratio est suspensionis, quae dicitur *ex informata conscientia*. Nimirum concessit Trid. Syn. sess. 14. *de Reform.*

c. 1. ut Praelatus posset tum clerico ascensum ad sacros ordines *interdicere* tum a suis ordinibus, gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis clericum suspendere, *quomodolibet, etiam extraiudicialiter, ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen.* Verba Tridentini sunt: « Ei cui ascensus ad sacros Ordines a suo Praelato, ex quacumque causa etiam ob occultum crimen, quomodolibet etiam extraiudicialiter, fuerit, interdictus, aut qui a suis Ordinibus seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius Praelati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus et dignitates sive honores restitutio suffragetur ». Cum clausula *etiam ob occultum crimen, etiam extraiudicialiter* non in initio aut fine posita sit decreti, sed uni h. e. priori eius parti subiecta, nempe ubi agitur de ascensu ad ordines, non sine causa visum est nonnullis, ipsam ad facultatem suspendendi ab exercitio ordinis iam suscepti non spectare. At vetus et communior interpretatio ita rem accepit et s. C. C. de hac re interrogata 24. Nov. 1657. « re sedulo examinata, censuit non recedendum ab antiquis declarationibus super eodem dubio pluries datis ac proinde affirmative respondit », nempe eam clausulam ad utrumque membrum spectare ob continuationem sermonis. Cf. Benedictum XIV. de Syn. l. 12. c. 8. n. 3.

Trid. Syn. memorat Ordines, gradus, dignitates: sub his nominibus beneficium non continetur nequit ergo Episcopus supradicta potestate fretus suspendere a beneficio.

Haec suspensio dicta est deinceps a Canonistis *ex informata conscientia*, quam formulam s. C. et ipse Pius VI. in Bulla *Auctorem Fidei* probavit n. 50. *Ex informata conscientia* h. e. ex causis ferenti notis, quas non teneatur Praelatus reo manifestare, bene tamen Apostolicae Sedi, si ad eam suspensus recurrat (s. C. C. 21. Mart. 1643.) atque adeo extraiudicialiter, nulla praemissa monitione omnique remota appellatione, non tamen *recursu* ad s. Sedem.

Hac potestate suspendendi ex informata conscientia uti erga suos subditos posse ad modum saltem praecepti Regulares superiores iurisdictionem habentes, habes ex responso s. C. EE. RR., quod dedimus Vol. V. n. 329. Adde aliud responsum in idem 1627. 2. Iulii ad Generalem Theatinorum.

Ipsa profecto non censura est, sed simplex poena; eam violantem tamen irregularem fieri declaravit s. C. C. in eadem causa Lucionensi et alia 21. Iun. 1625., quam refert Benedictus XIV. l. c. n. 5. Nihilominus d'Annibale *Summ.* v. 1. n. 386. sententiam id negantem veriorem censet: quia ea suspensio non est censura. Cf. dicta n. 338.

344. Duo circa eam notanda. 1° Nequit ipsa ferri *in perpetuum.* Haec sane est sententia s. C. C., quae in causa Lucionensi ait: « S. C.

etsi olim censuerit, caput 1. sess. 14. *de Reform. habere locum in prohibitionibus et suspensionibus tam temporaneis quam perpetuis*, recentiori tamen aevo ab illa sententia recedere consuevit aliamque constanter secuta est, qua id velle videtur, ut huiusmodi suspensiones, praesertim perpetuae et indefinitae, quae idem valent ac perpetuae et sunt merae privationes, haud unquam in posterum ferendae sint, nisi praemissis monitionibus aliisque sollemnitatibus ad praescriptum eiusdem Syn. sess. 21. c. 6. latas fuisse repererit ».

2° Cavendum est Episcopo, ne suspensionem ex informata conscientia infligat propter crimen, quod iam publicum et notorium est. Ita saltem nunc sentit s. C. C. et sentiunt Canonistae Romani, ut ipse Bouix, qui contrarium probabilius tenet, affirmat *de Iudiciis* P. 2. p. 325. Cf. Lucidi l. c. n. 273. d'Annibale l. c. n. 385.

Utique aliud suaderi videtur ex verbis Tridentini « *etiam* ob occultum crimen ». Atque ita argumentatur Bouix l. c. secutus Episcopum Lucionensem in opere *de Sententiis ex informata conscientia;* nam ubi de aliqua specie aliquid affirmatur cum particula *etiam,* affirmatio cadit et quidem fortius in alias quoque species. Sed isti auctores falso nituntur supposito, quod ibid. Trid. Syn. non loquatur nisi de hac suspensione ex informata conscientia; quod falsum est: loquitur enim de facultate Episcopi suspendendi generatim, quae et iudicialiter exerceri potest: volens autem augere Episcopos novo iure, addidit: *etiam ob crimen occultum etiam extraiudicialiter,* quibus solis verbis potestas haec, de qua loquimur, continetur. Itaque illud *etiam* significat, quod praeter suspensiones iudicialiter latas, quod fit ob crimina publica, potest Episcopus etiam ob crimina occulta extraiudicialiter suspendere.

345. Effectus sententiae suspensionis est, ut 1° sub gravi illicitum sit suspenso exercere actus, a quibus est interdictus. *Sub gravi* quidem, re per se spectata; nam parvitas materiae potest excusare a peccato mortali, ait Schmalzgr. n. 307., ut si suspensus a iurisdictione recipiat unum testem: tum excusat metus gravis atque ab omni culpa necessitas.

Quia vero actus illiciti ii sunt tantum, a quibus suspenditur; hinc suspensus ab ordine, licite exercet iurisdictionem fructibusque beneficii fruitur; suspensus a celebrando, licite pergit confessiones excipere: suspensus ab officio seu a divinis, prohibetur ab utroque, ordine et iurisdictione. Suspensus ab ordine superiori licite exercet inferiorem: suspensus autem ab inferiori, per se vi suspensionis non impeditur exercere superiorem: sed naturali iure ab eo arcetur; quia *ridiculum est, eum, qui minoribus, poenae causa, prohibitus est, ad maiores*

adspirare, ut dicitur l. 7. ff. *de Interdictis et relegatis*. Idcirco talis, si exerceret non foret irregularis: d'Annibale l. c. n. 380. not. 10.

Suspensus a beneficio a duobus arcetur, a perceptione fructuum et administratione beneficii; utrumque enim includitur iure beneficii et utrumque ipso iure amittitur: sed potest quis ab alterutro tantum interdici. Fructuum appellatione veniunt, ait d'Annibale *Summ.* v. 1. n. 382., omnes reditus temporales ex beneficio, ideoque et census et decimae, non vero distributiones quotidianae et quae dicuntur iura stolae et ceterae incertae obventiones. Nec nomine beneficii venit patrimonium, ut satis patet. Suspensus ab administratione nequit beneficiatus bona locare, fructus exigere; iudicio agere. D'Annibale l. c.

Quoniam autem a beneficio suspensus, illud retinet, tenetur vel per se vel per alium officia implere adnexa beneficio: remanet scilicet facultas exercendi ordinem, imo et obligatio, qua in suum commodum reus non est liberandus. Si autem per alium implet, tunc pars fructuum danda est substituto, tanquam stipendium laboris.

Fructus, quos suspensus non percipit, convertendi sunt in utilitatem ecclesiae, ad quam spectat beneficium. Bonacina *de Cens.* disp. 3. n. 14.

Si suspensus a beneficio officium exerceat, concedit Bonacina l. c. n. 10. posse eum sibi retinere, quae sustentationi saltem sunt necessaria. Imo si sit pauper, etsi nihil agat vel per se vel per alium, aliquid ei dandum est, ne mendicare cogatur in dedecus ordinis. Cf. et Schmalzgr. n. 297.

Cum suspensio partialis est, nulla trahit secum aliam neque suspensio ab officio infert et suspensionem a beneficio, etsi hoc propter illud datum sit; nam per se postquam quis iure obtinuit beneficium, potest illud retinere, quamvis nequeat satisfacere officio: deinde quod non potest per se ipsum, poterit per alium, cui stipendium dandum erit.

Quocirca suspensus ab ordine non ab eo interdicitur, quod ex utroque, ordine nempe et iurisdictione, constat: ideoque sacerdos suspensus ab ordine, si absolvat, valide absolvit; nam actus ordinis adhuc est validus et iurisdictio habetur.

Si quis simpliciter suspendatur, ab omnibus intelligitur suspensus, officio nempe (exercitio proinde ordinum, maiorum saltem, cf. n. 347. in fine, et iurisdictione omnique ministerio ecclesiastico) et beneficio: quae est communissima sententia.

346. Quaeritur, an suspensus per sententiam Episcopi a beneficio, suspensus sit ab omnibus beneficiis, quae forte possidet etiam in alia dioecesi.

Si beneficia quis habeat in eadem dioecesi, suspensus simpliciter a beneficio, intelligitur a quolibet suspensus, ne secus irrita suspensio

reddatur: nisi tamen ex ipsa causa suspensionis appareat alia intentio suspendentis. Ita si quis a beneficio parochiali suspenditur, quia in officio parochi male se gerit, ab eo solo beneficio suspensus dicetur. D'Annibale l. c. n. 382. Schmalzgr. n. 300.

Si beneficium habeatur in alia dioecesi, duplex est sententia ex s. Alph. n. 316. d. 2. Quidam sane negant; quia Episcopus extra suam dioecesim nulla potitur iurisdictione.

Alii distinguunt, utrum suspensio lata sit a iure, an ab homine. Si enim lata sit a iure, cum ius ubique valeat, suspendetur ille a quolibet beneficio ubicumque possideatur. Quae doctrina clara est, sed extra quaestionem, in qua agitur de suspensione lata ab homine. In qua hypothesi isti dicunt, accipiendam suspensionem tantum a beneficiis propriae dioecesis, si suspensio lata sit per statutum seu legem dioecesanam: secus vero si per sententiam particularem ipsius Episcopi, dummodo hic significet se velle suspendere ab omnibus beneficiis. Nam, aiunt, quamvis ei non subiaceant beneficia alterius diocesis, subiacet tamen persona suspensi, qui ius habet ad eorum fructus. Porro suspensio huius iuris exercitium impedit; quia est exercitium personae subditae quae impediri potest a Praelato ab exercitio iurium suorum. Hoc autem pacto impeditus, est ex consequenti suspensus a quolibet beneficio. Verum demonstratio nutat. Quamvis enim hoc ius sit eius, qui est subditus, non est tamen eius quatenus est subditus huius Episcopi, sed alterius. Hinc s. Alph., utraque sententia recitata, nihil decernit, ut videatur utramque sententiam, negantem et affirmantem, habere probabilem.

Suarez disp. 27. sect. 1. n. 23. adhaerens secundae sententiae, affirmat tamen, usu receptum esse, ut suspensio non extendatur ad beneficia alibi exsistentia, nisi id disserte in sententia exprimatur. Cf. doctrinam Bonacinae mox afferendam in n. seq.

347. Effectus 2^{us} suspensionis est, ut suspensus ab officio nequeat, quandiu suspensio durat, beneficium accipere: quae est sententia communis. Schmalzgr. n. 296. Ratio est, quia, cum beneficium detur propter officium, qui impeditur, non hoc aut illud, sed absolute officium exercere, ei merito denegatur beneficium.

Sed nullo iure cautum est, huiusmodi collationem irritam esse. S. Alph. n. 316. dub. 3.

Potestne suspensus ab officio acceptare aliud officium in alia dioecesi et si illi annexa sit iurisdictio, hanc exercere? Quaestio haec, ut monet d'Annibale l. c. a. 384., ex ea pendet, *an suspensio suspensum reddat inidoneum officiis ecclesiasticis suscipiendis.*

Convenit inter omnes, suspensum ab ordine, teneri ubique hac

suspensione; ubicumque enim ordinem interdictum exerceret, ageret directe contra sententiam suspensionis, quae eum ligat eique personaliter adhaeret, saltem vi iuris communis, quod probat actum Episcopi et vult ubique observari. Haec est unica ratio, voluntas supremi Pastoris praecipientis id ubique servari. Secus, cum Episcopus nequeat alium Episcopum impedire, quia par in parem caret potestate, cur Episcopus hic non poterit in sua dioecesi permittere exercitium ordinis suspenso alibi? suspensio autem a iurisdictione non satis apparet quomodo suspensum liget extra territorium suspendentis: in aliena enim dioecesi iurisdictionem accipiens, aliam haberet ab ea, qua in sua dioecesi privatus est, puta audiendi confessiones et cum Episcopus delegare possit iurisdictionem suam etiam non subdito neque ab hoc impediri possit ab alio Episcopo, non videtur per suspensionem latam ab Episcopo huius diocesis in subditum suum impediri alius Episcopus posse a conferenda eidem iurisdictione. « Suspensio a iurisdictione verius extra territorium eam ferentis nullam habet vim » ait Bucceroni *de Censuris* n. 116.

Sane Religiosus, habens ab Episcopo iurisdictionem, suspensus a suo Praelato ab audiendis secularium confessionibus, illicite quidem, sed valide absolvit (cf. responsum C. EE. RR. relatum in tr. *de Poenit.* Vol. V. 329. art. 2.). Ergo suspensus ab uno potest ab alio, qui a priore non dependeat, accipere iurisdictionem.

Verum aliter alii ratiocinantur, ut Bonacina *de Censuris* disp. 3. p. 3. n. 7. Nimirum, aiunt, suspensio non est pura prohibitio vel praeceptum, sed est censura, quae sequitur suspensum ubicumque sit, quippe quae est *inhabilitas* quaedam instituta ab Ecclesia, qua suspensus fit inhabilis, ut ubicumque sit, eum comitetur.

Cum suspensio ferri possit per modum praecepti particularis et per modum censurae, de hac vere dicitur, quod non sit mera prohibitio: sed exinde non sequitur suspensionem censuram esse eam inhabilitatem, quam dicit Bonacina, qui tandem rem non tradit ut prorsus certam.

348. Tandem, quamvis suspensus non prohibeatur a recipiendis sacramentis, suspensus tamen ab officio repelli dicitur a susceptione ordinum superiorum; quia ordines recipiuntur, ut functiones exerceantur: quibus autem vetitum est functiones exercere, *videtur* etiam vetitum ordines recipere. Ita sane quidam apud Bonacina l. c. p. 2. n. 15. Perpende illud *videtur:* nam res non est evidens, nec eadem est ratio ac in beneficio (n. 502.). Nam beneficium recipiens tenetur officium annexum exercere: ordinatus vero per se non tenetur in ordine suscepto ministrare. Idcirco hanc sententiam non probat Bonacina ibid.;

quia versamur in odiosis et receptio ordinum non est actus officii aut iurisdictionis.

Etsi per se suspensio totalis ab ordine comprehendat etiam ordines minores; quia tamen hodie horum functiones (excepto tertio) a laicis quoque obiri solent, suspensio in ordines minores non cadit (d'Annibale l. c. n. 379.): suspensus scilicet eas functiones exerceret ut laicus.

349. 3us Effectus suspensionis est *irregularitas*, quam eius violatores incurrunt: non tamen omnes, sed soli violantes suspensionem ab ordine, cum exercent functiones ordinis, a quo suspensi sunt. Addi solet, exercitium ordinis vetitum esse illud, quod *sollemne* dicitur, cuiusmodi non foret, puta ministerium, quod praestaret diaconus sacerdoti in Missa privata: qui idcirco irregularitatem non incurreret. Cf. dicenda *de Irregularitate.*

4us Effectus est irritatio actuum, qui per suspensionem interdicuntur. Distinguendum est tamen inter actus ordinis et actus iurisdictionis aut administrationis beneficii: tum inter suspensum publice declaratum atque suspensum toleratum, quamvis notorium. Hac in re sic breviter et clare Schmalzgr. n. 309.: « Poena haec locum dumtaxat habet in iis, quae ab Ecclesia pendent, uti est iurisdictio et beneficium: in his ergo suspensus, si beneficium administret et iurisdictionem exerceat, invalidum actum facit: modo sit denuntiatus tanquam suspensus; quia, facta denuntiatione, privatur potestate omnimoda actus illos exercendi. Ante denuntiationem, solum impeditur ab illorum exercitio, dum a fidelibus non requiritur; quando autem a fidelibus requiritur, valide et licite illos actus exercet. Ideoque necessarium est, ut iurisdictionem retineat ». Scilicet, ut iam diximus de excommunicato tolerato, iurisdictio suspenso tolerato non aufertur, sed prohibetur uti non rogatus vel citra necessitatem. Idem dic quoad administrationem beneficii.

350. Est suspensio quaedam propria Praelatorum, nimirum suspensio ab usu Pontificalium. Sicut olim erant ornamenta Triumphalia, ita nunc sunt ornamenta Pontificalia et, ut ait Ballerini: « Pontificalium nomine intelligitur usus auctoritativus insignium Pontificalium, ut mitrae, baculi pastoralis et pallii. Suspensus itaque a Pontificalibus repellitur ab actibus Ordinis Episcopalis, qui cum praedictis insignibus fieri solent. Ergo absque dispensatione non potest Confirmationis sacramentum aut Ordines conferre, nec virgines, Ecclesias etc. consecrare; quia haec Pontificalibus accensentur. Potest tamen Missam celebrare more aliorum sacerdotum, confessiones audire, baptizare, imo et censuras ferre, conferre beneficia, aliosque actus iurisdictionis exercere; quippe ad Pontificalia minime spectant ».

Episcopus exercens actus ordinis, a quibus suspensus est per suspensionem ab usu Pontificalium, peccat et irregularitatem incurrit: quid vero si Pontificalia adhibeat in celebranda Missa ex gr.? Respondet s. Alph. n. 314. d. 2. ipsum quidem certe peccare; quia Pontificalium usus est interdictus: non autem incurrere irregularitatem: quia haec celebratio non est actus proprius ordinis Episcopalis, a quo suspensus intelligitur per suspensionem ab usu Pontificalium: non ergo exercet actum ordinis, a quo est suspensus, ideoque irregularis non fit; quia irregularitas non incurritur nisi per exercitium ordinis prohibiti. Quod autem celebratio fiat cum Pontificalibus, per accidens se habet. Atque hanc sententiam dicit teneri expresse a s. Antonino.

Itaque cum Pontificalia interdicuntur, per se interdicitur usus ornamentorum Pontificalium in sacris et consequenter illud exercitium ordinis Episcopalis, quod ea postulat. Quocirca si Episcopus quaedam ordinis Episcopalis obire potest sine illo apparatu, hoc exercitium ordinis non censetur prohibitum. D'Annibale l. c. n. 381.

Plerumque suspensione partiali plectuntur Episcopi, puta a collatione ordinum. Cum directe ipse actus ordinis Episcopalis interdicitur, perinde est sive cum apparatu Pontificali sive absque illo exerceatur.

Unde resolves.

LXXVIII. 1. Solus Clericus potest suspendi.

LXXIX. 2. Suspendere possunt, qui possunt ferre censuras.

Cf. n. 339.

LXXX. 3. Ex genere suo, et nisi parvitas materiae excuset, est peccatum grave, exercere actum per suspensionem prohibitum; unde et irregularitatem inducit. Si tamen suspensus toleratus se non ingerat in tales functiones, sed ab aliis propter utilitatem requiratur, probabiliter non peccat, cum alii licite requirant. Imo, etsi nominatim sit denunciatus, non toleratus; alii tamen non tenentur sub mortali eum vitare, nisi censeantur cooperari actui, a quo suspensus est: unde audire eius Missam non erit peccatum (saltem mortale), si non inservias. Ita probabiliter Avila, Henr. Suar. Sayr. apud Bonac. d. 3. p. 4. n. 4. etiam Laym. l. c. c. 1. n. 7.

351. Iam diximus parvitatem materiae excusare a mortali, metum quoque gravem excusare, quod intelligendum est ita, ut a quavis culpa etiam excusare valeat; huiusmodi enim Ecclesiae leges seu prohibitiones non obligant cum gravi damno. Si autem suspensus non vitandus seu non publice a superiore denuntiatus, requiratur a fidelibus, non peccat iis morem gerens. Cf. dicta de excommunicatione.

Monet. A. suspensum vitandum non perinde esse ac excommunicatum vitandum; huius enim omnis communicatio in sacris interdicitur, illius non communicatio, sed cooperatio in actu vetito, vel si suspen-

sum cogas facere quod ei est vetitum. Ideoque audiens Missam suspensi vitandi non peccas, nisi ministres.

LXXXI. 4. Suspensus non toleratus invalide absolvit, quia non habet iurisdictionem.

352. Etsi enim ordinem retineat sacerdos; caret tamen iurisdictione. At toleratus, propter fidelium utilitatem, non privatur iurisdictione; valide ergo absolvit: illicite tamen ipse se ingerit absque necessitate (n. 344.).

LXXXII. 2. Resp. 2. Suspensio 1. alia fertur ad certum tempus, quo elapso, expirat: alia fertur absolute seu indefinite manetque, donec per absolutionem tollatur. 2. Alia est ab officio, sive id sit ordinis sive iurisdictionis, alia a beneficio, alia ab utroque. 3. Suspensio ab officio vel est a toto vel a parte tantum, scilicet a functione Ordinis vel iurisdictionis. Item suspensio beneficii, vel a beneficio absolute vel a quibusdam tantum functionibus, eius ratione competentibus. Laym. Bon. ll. cc.

Cf. nn. 337.-339.

LXXXIII. Resp. 3. Quantitas et qualitas suspensionis colligi debet ex verbis, quibus fertur. Quae, utpote in re odiosa, non amplius sunt extendenda, quam proprie accepta significent.

Unde resolves.

LXXXIV. 1. Suspenso absolute et in toto prohibetur omne exercitium ratione officii proveniens, tam Ordinis quam iurisdictionis et consequenter non potest celebrare nec valide excommunicare, beneficia conferre etc. Suspensus vero a parte officii determinata, v. gr. ab Ordine tantum vel iurisdictione, privatur tantum illius officii functionibus. Unde Episcopus verbi gratia a iurisdictione suspensus, etsi non possit excommunicare, absolvere, delegare etc. potest tamen exercere actus Ordinis, ut consecrare templa, ordinare etc. Bon. l. c.

353. Clara sunt ex dictis. « Suspensus ab officio, (ait d'Annibale l. c. not. 12. ad n. 380.) verius non amittit vocem in capitulo » ita Schmalzgr. (n. 298.); quia vocem habere in capitulo per se non est exercitium ordinis aut potestatis cuiusdam sacrae, cum quandoque feminae et laici conversi eam habeant. « Nec prohibetur (pergit d'Annib.) Horas canonicas in choro recitare, licet suspensus fuerit a *divinis Officiis,* dum ne officiatorem agat nec *Dominus vobiscum* sollemniter canat ». Bonacina l. c. n. 16. ait, posse eum canere in choro, dummodo non canat *ex officio*, hebdomadarium scilicet non agat nec exigat distributiones, quae debentur iis, qui ex officio praesentes sunt. Hoc alterum tamen alii negant, quos idem citat, Avila, Henriquez, Filliuccius, qui permittunt huic distributiones percipere et ipse Bonacina sententiam suam negantem habet solum ut probabiliorem. Reapse dum ille suspensus in choro canit, videtur facere satis conditioni requisitae a lege.

LXXXV. 2. Suspensus a certa functione Ordinis, v. gr. a Sacramentorum administratione, non est suspensus a sacrificio. Similiter suspensus ab Ordine potest nihilominus conferre primam tonsuram; quia non comprehenditur sub Ordine. Bonac. p. 2. n. 6.

LXXXVI. 3. Suspensus ab officio simpliciter non intelligitur suspensus a beneficio seu fructibus eius. Debet tamen per alium supplere, qui per se nequit, ut fructus percipiat. Bon. n. 10. ex Nav. Suarez, Henr. Fill. etc.

Cf. n. 344.

LXXXVII. 4. Suspensus ab Ordine non videtur suspensus a beneficio; quia beneficium non fundatur in Ordine. Bonac. tamen dicit, indirecte suspendi a fructibus eius: quia, dum non potest facere officium, non potest percipere fructus. Vide n. 5.

354. Quod suspensus ab ordine non sit suspensus a beneficio, sententia est tutissima in praxi (cf. d'Annibale n. 383. et s. Alph. n. 316. 3.) et quae diximus sub n. 344.

In c. *Cum bonae, de Act. et qual. praef.* cum quidam suspensi permanserint triennio in suspensione, interim aliud recipientes beneficium, respondit Pontifex, non licere eis retinere beneficia tum quae antea habuerant tum quae postea obtinuerunt et praecipit Episcopo, ut omnibus beneficiis eos spoliet. Non dicuntur amisisse, ipso facto suspensionis, beneficium quod habebant, nec irritam fuisse collationem alterius, sed iubentur spoliari habitis, propter insordescentiam in suspensione. Cf. n. 244.

LXXXVIII. 5. Suspensus a beneficio, etsi hoc ipso intelligatur suspensus a recipiendis fructibus eius, non tamen ab officio sive iurisdictionis, sive Ordinis, etiam quod illi ratione ipsius beneficii competit. Unde tenetur legere Horas et cetera onera beneficii praestare, licet fructibus non fruatur; hoc enim debet sibi imputare. Non tamen privatur commodo, quod provenit ex anniversariis stipendiis Missarum, nec eo, quod datur propter onus personale Clerici; quia non sunt fructus beneficii. Secus est de distributionibus quotidianis; licet ex his, vel aliis beneficii fructibus possit ali, si aliunde sustentari nequeat. Bonac. l. c. n. 12. Sayr. Suar. Filliuc. etc.

355. Cf. dicta sub n. 344. Quoad distributiones quotidianas, Auctori refragatur s. Alph. heic: « Sed contradicunt Palaus, Salmantic. Sanchez, Avila, Henriq. etc.; quia poenae non sunt extendendae, ubi non sunt in iure expressae, prout nullibi id expressum habetur ». Sane distributiones quotidianae non sunt beneficium: qui tantum a beneficio suspensus est (de quo heic est sermo) non ab officio, choro assistens et psallens conditionem perfecte explet pro obtinendo stipendio: cur ergo privabitur?

Si tamen distributiones extractae sint ex fructibus beneficii sive in ipsis distributionibus consistat reditus ecclesiae, censet Schmalzgr. n. 302. iis privari suspensum a beneficio; quia in hac hypotesi non tam sunt distributiones, quam fructus beneficii.

LXXXIX. 6. Suspensus a beneficio potest nihilominus eligere, praesentare, conferre beneficium: quia etsi haec iura competant illi ratione beneficii, illi tamen actus non sunt beneficii, praecise ut sic, sed potius officii et iurisdictionis. Ibid.

356. Quidam (apud Schmalzgr. n. 304.) censuerunt, collationem beneficii et electionem ad beneficium, quae titulo beneficii competant, venire sub nomine fructuum beneficii ideoque illos actus interdici suspenso. Sed verius ait contrarium docere Suarez aliosque idque aperte colligi ex c. *Cum in cunctis* §. fin. *de Elect.* ubi ultra suspensionem a beneficiis indicitur privatio potestatis eligendi: quod argumento est, hanc privationem nomine suspensionis a beneficio non comprehendi. Ratio autem est, quia potestas eligendi et conferendi beneficia, licet a beneficio proveniat, non est tamen usus beneficii, sed officii ex beneficio competentis.

Adverte suspensum a beneficio, si temere in illud se ingerit, eodem, ipso iure, privari c. *Statuimus* §. 2., *de Electione* etc. in 6°. Quocirca solet ei dari oeconomus, qui reditus colligat et eosdem, iussu Episcopi, piis causis applicet, reservatis suspenso alimentis necessariis. Schmalzgrueber n. 308.

XC. 7. Suspensus a beneficio, vel Ordine absolute et sine addito, intelligitur suspensus ab omni beneficio, vel Ordine, nisi aliunde aliud constet. Ibid. n. 8.

Cf. nn. 344. seq.

XCI. 8. Suspensus absolute intelligitur ab officio et beneficio. Laym. c. 1. n. 2.

357. Iam dictum est sub finem n. 344. Hinc, ait Gury n. 994. 4., Parochus ab officio suspensus nec Missam celebrare nec praedicare nec officiis praeesse nec sacramenta ministrare potest.

XCII. 9. Suspenso Capitulo vel Conventu, non censentur suspensi singuli, nisi sint in culpa, ait Sà, v. *Suspensio* et Laym. l. c. c. 2. n. 3.

358. Iam diximus (n. 339.), suspensioni subiici quoque personas morales, eas nempe quibus permissum est lege in corpus coalescere, ut sunt monasteria, capitula. Cum suspensio fertur in corpus sive coetum, puta capitulum, ea cadit solum in personam moralem eaque adimit, quae personae morali competunt, eademque a singulis, prout actus sunt communitatis, fieri nequeunt.

Haec suspensio in personam moralem lata non est censura, sed poena (s. Alph. n. 317.): ideoque singuli actiones vetitas ponentes, irregularitatem non censentur incurrere. Ibid.

At suspensio lata in aliquem clericorum coetum, ex quo persona moralis non coalescit, puta in omnes clericos dioecesis, est specialis et in singulos distributive sumptos cadit, qui nempe rei sint. D'Annibale l. c. not. 69. ad n. 388.

Potest etiam ferri suspensio in communitatem simul et singulas eius personas: tunc quoad hoc alterum, ait idem s. Doctor ibid., non afficit innocentes, sed tantum delinquentes, utique si sit poena; peccata enim auctores suos, non alios, tenere debent c. 2. *de His quae fiunt* etc. Si vero sit censura, lata ob delictum futurum (vel in futuro pendens), omnes tenet. Cf. d'Annibale n. 388.

XCIII. 10. Si praelatus solo verbo dicat Sacerdoti, *suspendo te*, v. gr. a celebratione, videtur esse simplex tantum prohibitio, non censura; quia haec licite non fertur, nisi scripto. Praelatus autem non debet praesumi velle peccare, nisi aliud constet de eius intentione; aut nisi religio habeat privilegium absque scripto ferendi censuras. Vide Bon. *de Censuris in Communi* d. 1. q. 1. p. 1.

359. Haec est doctrina communis. Suspensio scilicet non per modum censurae lata n. 341. est tantum praeceptum quoddam particulare seu particularis prohibitio, cuius transgressio non inducit irregularitatem.

Dub. II.

Quae sint suspensiones in particulari et quis ab eis possit absolvere.

XCIV. Resp. 1. Suspensiones Iuris communiores sunt sequentes:

1. Clerici ipso iure suspensi sunt: 1. Recipientes Ordines sacros ab alieno, vel a proprio in aliena dioecesi, vel sine aetate legitima, aut dimissoriis, aut titulo, vel extra tempora, aut non servatis interstitiis, vel per saltum, vel in censura, vel denique post matrimonium ratum, qui omnes suspensi sunt ab exsecutione Ordinum, nisi fecerint absque dolo et si ordine utantur, fiunt irregulares. 2. Excommunicans, suspendens, aut interdicens sine scriptura et causae expressione, est suspensus per mensem ab ingressu Ecclesiae, nisi sit Praelatus regularis. 3. Clerici scienter eligentes Episcopum vel Parochum indignum suspenduntur a beneficiis biennio. 4. Ordinans et ordinatus simoniace est suspensus ab Ordinibus. 5. Parochi iungentes sponsos alterius Parochiae sine licentia, 6. Gravantes alienis debitis Ecclesias sibi commissas. 7. Occupantes bona, vel census Ecclesiae, beneficii, vel alterius pii loci. 8. Sodomiam exercentes, simoniaci, provocantes ad duellum, vel acceptantes, raptores, vel praebentes auxilium. 9. Disputantes in alterutram partem in coetu virorum ac mulierum de Immaculata Conceptione B. Virginis. 10. Visitantes, si accipiant pecuniam vel munera; qui, si sint Episcopi, suspensi sunt ab ingressu Ecclesiae, si inferiores Episcopo, ab officio et beneficio, usque dum restituant duplum. 11. Iudex Ecclesiasticus (non Episcopus) qui facit iniuriam contra iustitiam et conscientiam parti litiganti. Vide Bonac. d. 3. p. 5.

2. Religiosi 1. Apostatae recipientes Ordines in Apostasia. 2. Admittentes ad professionem ante annum probationis peractum. 3. Non utentes habitu et vestitu, modo sibi praescripto. 4. Introducentes mulieres in monasteria.

3. Episcopus. 1. Ordinans non subditum suspensus est a Pontificalibus per annum: ordinans vero invitum suspensus est per annum a celebratione. 2. Admittens resignationes contra formam praescriptam. 3. Intrans monasteria monialium sine necessitate. Vid. Fill. t. 17. c. 5.

XCV. Resp. 2. Praeter has suspensiones aliae sunt ab homine, quae si sint graves, requirunt culpam mortalem, v. gr. ut quis suspendatur ab omnibus actibus sui officii,

vel fructibus unius anni. Potest tamen aliquis ob peccatum veniale privari uno actu, v. gr. eligendi.

XCVI. Resp. 3. Habens Episcopalem auctoritatem potest absolvere a suspensione non reservata: et communiter religiosi ex privilegiis possunt absolvere ab omni suspensione in foro conscientiae: et Episcopus potest absolvere ab omni suspensione iuris, si Sedi Apostolicae specialiter reservata non sit. Laym. c. 4. n. 2. ex Navar. Suar. etc. Imo etiam ab hac, si proveniat ex delicto occulto et non deducto ad forum contentiosum. Bon. d. 3. p. ult. ex Trid. sess. 34. c. 5.

360. * Quod spectat ad hoc postremum caput in primis docemur, suspensionem, quae sit mere poena, auferri per actum, qui *dispensatio* vocatur; quae vero sit censura, auferri per *absolutionem*: quidam DD. tamen absque distinctione, utroque in casu *absolutionem* solum memorant non tamen bene; differunt enim dispensatio et absolutio, ut iam monuimus. Idcirco non est recedendum a communi loquendi ratione. Nam, ut monet Bonacina *de Suspens.* p. 6. n. 6., discrimen est inter absolutionem et dispensationem, quod absolutio, nisi a superiore sit reservata, intelligitur permissa omnibus inferioribus; e contrario dispensatio, nisi explicite permittatur, intelligitur reservata (cf. tr. *de Legibus* Vol. I. 404. Porro cum suspensio poena est, non censura per dispensationem, ut diximus, aufertur. Quamvis nunc et quae sunt merae poenae, dicantur censurae (n. seq.).

361. Quoad facultatem itaque absolvendi a suspensione valent generales regulae, ut is absolvere possit, qui eam tulit (sive per legem aut statutum generale sive per sententiam particularem) aut eius superior aut successor, aut quem ipse delegavit.

Recolendum est praeterea, quod dictum est superius (nn. 202. seqq.), absolutionem in foro conscientiae valide datam valere quoque pro foro externo (s. Alph. n. 7. n. 90.). Quando autem censura publica sit (licet non iuridice denuntiata), ad scandalum praecavendum constare palam debet de absolutione, ut quis publice se gerat tanquam absolutum Cf. l. c.

Speciatim haec tenenda sunt. Si suspensio lata sit ad definitum tempus vel sub certa conditione, eo ipso cessat cum elapsum est tempus vel conditio impleta; quia nequit suspensio progredi ultra intentionem ferentis. Schmalzgr. n. 311. Cf. Bonacina *de Suspens.* p. 6. n. 1.

Si a iure communi lata sit et non sit reservata, ab Episcopo seu habente Episcopalem iurisdictionem remitti potest cap. *Nuper*, *de Sent. Excomm.*

Concilium Trid. sess. 24. c. 6. *Liceat. de Reform.* potestatem fecit Episcopis dispensandi vel per se ipsos vel per vicarium ad id speciaiter deputandum, in foro conscientiae, ab omnibus suspensionibus ex

delicto occulto provenientibus, exceptis deductis ad forum contentiosum: idcirco a quavis suspensione occulta sive a iure sive ab homine generaliter lata (Schmalzgr. n. 316.), sive proprie censura sit sive mera poena etiamsi reservata: quam potestatem Pius IX. Const. *Apost. Sedis* intactam servari voluit, exceptis iis, quae *speciali modo* reservarentur sanctae Sedi.

Privilegium olim concessum Confessariis e Societate Iesu aliisque quarundam Religionum, absolvendi in foro conscientiae fideles a quibuscumque censuris, sententiis ac poenis ecclesiasticis ex peccato resultantibus, indistincte se extendebat ad omnes suspensiones iuris. Laymann *de Suspens.* c. 4. n. 4., d'Annibale *Summ.* V. 1. n. 358., qui advertit, facultatem, quae nunc fiat absolvendi ab omnibus censuris Rom. Pontifici reservatis, complecti certe et suspensiones, quae sint merae poenae; eo quod in Const. Pii IX. *Apost. Sedis*, suspensiones quoque, quae sunt poenae tantum, sub nomine veniunt censurarum. *

362. Quaeritur, an simplices confessarii valeant absolvere a suspensionibus, quae sint censurae.

Si non sint reservatae, utique; eo ipso enim quod nulli reservantur, ipsis fit potestas, in foro tamen conscientiae et huc spectat formula absolutionis in Rituali Romano praescripta. Excipe suspensiones latas in communitatem; quia haec non subest foro poenitentiali.

Si riservatae sint, quaestio fit pro articulo mortis. Quidam negant; quia reapse, ut quis plenissimam remissionem obtineat peccatorum necesse haud est, ipsum absolvi a suspensione, qua teneatur, sicut ab excommunicatione. Schmalzgr. n. 316. Alii affirmant, quia Trid. sess. 14. c. 7. indiscriminatim dicit, absolvere posse *a quibusvis censuris* et, cum in re favorabili versemur, teneri certo potest haec sententia: quamvis finis decreti Tridentini suadere videatur, Patres Tridentinos non habuisse ob oculos suspensiones (a). Cf. Diana tom. 5. tr. 1. res. 205.

Formula absolutionis a suspensione, nulla est praescripta ex necessitate: ad valorem sufficit ea quae intentionem absolventis significat. Schmalzgr. n. 320. Pro foro autem interno ea profecto sufficit formula generalis, quam omnes confessarii sciunt. Pro foro externo adhibenda est ea formula sollemnis, quae habetur in Rituali Romano. Hanc solus superior vel ab eo delegatus conferre potest; actus est enim iurisdictionis.

Restat, ut suspensiones latae sententiae, quae nunc vigent, recenseamus.

(a) Sane Pius V. Const. *Rom. Pontifex* 14. Oct. 1568. §. 4. id non recipit. — E.

§. 1. *Suspensiones latae sententiae reservatae Rom. Pontifici* SPECIALI MODO.

363. Una est ex Const. Pii IX. *Romanus Pontifex* 28. Aug. 1873. Cf. in prima serie excommunicationum excomm. XIII. n. 292.

SI VERO ALIQUI EX PRAEDICTIS (cf. ibid. l. c.) EPISCOPALI CHARACTERE SINT INSIGNITI, IN POENAM SUSPENSIONIS AB EXERCITIO PONTIFICALIUM.... IPSO FACTO, ABSQUE ULLA DECLARATIONE INCIDUNT, SANCTAE SEDI PARITER (H. E. SPECIALITER) RESERVATAM.

Itaque hanc suspensionem incurrunt, qui Episcopali charactere insigniti, nominati et praesentati vel electi ad vacantes ecclesias, earum curam, regimen et administrationem suscipere audent ante exhibitas litteras Apostolicas.

Quoad usum Pontificalium cf. dicta n. 349.

§. 2. *Suspensiones* l. s. *Romano Pontifici* SIMPLICITER *reservatae, ex Const. Apost. Sedis.*

I. SUSPENSIONEM IPSO FACTO INCURRUNT A SUORUM BENEFICIORUM PERCEPTIONE, AD BENEPLACITUM S. SEDIS, CAPITULA ET CONVENTUS ECCLESIARUM ET MONASTERIORUM ALIIQUE OMNES, QUI AD ILLARUM SEU ILLORUM REGIMEN ET ADMINISTRATIONEM RECIPIUNT EPISCOPOS ALIOSVE PRAELATOS DE PRAEDICTIS ECCLESIIS SEU MONASTERIIS APUD EANDEM S. SEDEM QUOVIS MODO PROVISOS, ANTEQUAM IPSI EXIBUERINT LITTERAS APOSTOLICAS DE SUA PROMOTIONE.

364. Suspensio est in *personam moralem* cf. n. 357. Cum vero suspensio ferri queat vel in capitulum vel in singulos capituli clericos vel simul in capitulum et singulos, quaestio est, utrum heic capitula et monasteria incurrant suspensionem a solis beneficiis, quae communiter possident, ut censuit Suarez *de Cens.* disp. 31. sect. 5. n. 23. et disp. 28. sect. 3. n. 5., an et ab his, quae singuli obtinent, prout ratus est Bonacina tom. 3. disp. 3. q. 4. p. 10. n. 4. *Sententia Suarezii*, inquit Comm. Reat., *et verbis Constitutionis nostrae et regulis iuris canonici magis convenit et in dubio, cum versemur in odiosis, praeferenda est.*

Movebatur Bonacina l. c., quod in extrav. *Iniunctae, de Electione* c. 7., unde haec censura desumpta est, dicatur *et alii quicumque*, prout et in Const. nostra dicitur *aliique omnes*. At enim cum isti alii omnes ad capitulum vel monasterium non pertineant, esto plectantur privatione eorum, quae singuli obtinent, dum non aliam privationem

subeunt; Capituli vero membra seu monasterii, si insuper sic punirentur, iam duplicem prae istis aliis poenam subirent.

Suspensio haec est a beneficiis, quae sunt communitatis, quae nempe ei, ut communitas est, pertinent; etsi fructus in singulos distribuantur.

Suspensio haec a beneficiis non est totalis, sed solum a *perceptione* fructuum: administratio ergo manet.

Suspensio haec quoad capitulum et membra quae receperint, *poena* est: quoad membra quae non consenserunt receptioni, *privatio* est: quoad alios extra capitulum est *poena;* dubitatur, an pro ullo sit proprie censura; quia ad beneplacitum inferentis durat: cf. n. 358. Nec poenam hanc incurrunt, qui letaliter non peccant.

Cum actus suspensione perculsus sit receptio, non ea feriuntur, qui Praelatum iam receptum recognoscunt eique obediunt. Comm. Reat.

II. Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso iure incurrunt, aliquem ordinantes absque titulo beneficii vel patrimonii cum pacto, ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

365. Haec suspensio generatim in Episcopum fertur, qui ad sacros Ordines promoveat clericum idoneas ad sustentationem facultates aut Beneficii aut Patrimonii etc. ope non habentem. Et cum Sancta Synodus Tridentina decreverit (sess. 21. cap. 2. *de Ref.*), *ne quis deinceps clericus secularis... ad sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium ecclesiasticum* (aut patrimonium), *quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere* et iura (c. *Cum secundum* 16. *de Praebendis*) exigant, ut quisquis clericum beneficio aut patrimonio carentem ad sacros Ordines promoveat, teneatur ei sufficientia ad honestum victum suppeditare; propterea praevaricari constat Episcopum, qui destitutum titulo beneficii vel patrimonii ordinet et simul, inito pacto, se ab onere praebendi ei ad victum necessaria eximat. Et quidem eiusmodi pactis suspensionis poena inflicta cernitur inserta canonicis legibus *de Simonia* (c. *Si quis* 45.), quippe haec pacta quandam *simoniam redolent.* Hic tamen canon limitationem in Const. nostra habet; in eo enim etiam triennalis suspensionis ab ordine sic suscepto poena infligebatur ordinato: sed vi novi iuris suspensionem solum ordinantes incurrunt (vid. Avanzini Comm. n. 49. ubi fuse dubia de hac re apte solvit).

Duo ergo pro incurrenda hac suspensione requiruntur: ut ordinetur quis sine titulo et pactum illud fiat. Pactum vero utriusque consensum postulat.

Ceterum quandonam clericus in rem praesentem censendus sit necne

quovis titulo destitutus, sic paucis ac probe complectitur Comm. Reat. (§. 143.): *Ait Pontifex;* absque titulo. *Porro absque titulo ordinari intelligitur et is, qui ordinatur cum titulo falso* (quod nempe non exstat, seu praedia supposita sint, seu instrumenta, seu nomina constituentium), *vel eo, ex quo nullum ius percipiendi fructus in ordinatum transit. Non item (si quid opinor, nam versamur in odiosis), si huiusmodi ius transeat quidem, sed* 1° *titulus sufficiens non est, vel sufficiens quidem sit, sed ius percipiendi fructus constitutum sit* 2° *ex die* (v. gr. ex die ordinationis in subdiaconum) *vel* 3° *forte in diem* (v. gr. ad triennium) *tantum. Scilicet in priori casu subest aliquis titulus; in altero subest iure, in tertio subest facto et reipsa. Nec si eum ordinaverit titulo ficto* (quod scil. revera consistit, sed constitutum est dicis causa idest perfunctorie et sine intentione illud constituendi), *sed fiduciario* (quod nempe ea lege constituitur, ut ab ordinatione dein restituatur, vel ut ne ordinatus fructus percipiat), *quia valet* (ex s. Congr. Conc. 14. Maii 1671. apud Bened. XIV. Notif. 26. n. 18.), *vel obnoxio restitutioni in integrum, aut resolutioni; quia interim valet, vel iniusto* (quod nempe non servata iuris forma factum est); *quia utrum non valeat, saltem in foro conscientiae, incertum est,* ut habet s. Alphonsus lib. 3. n. 711. et 927. (cf. dicta *de Ordine* Vol. V. 951. seqq.).

III. Suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso iure incurrunt ordinantes alienum subditum etiam sub praetextu beneficii statim conferendi aut etiam collati sed minime sufficientis, absque eius Episcopi litteris dimissorialibus vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum ibi contrahere potuerit, absque Ordinarii eius loci litteris testimonialibus.

366. Alienum subditum accipere debemus eum, qui non est subditus Ordinantis, neque ratione originis neque domicilii neque beneficii neque famulatus seu familiaritatis, quamvis in huius dioecesi *fortuito* editus sit: quippe Episcopus *originis* is dicitur, in cuius Dioecesi domicilium habebat pater eius quando ordinandus in lucem prodiit, vel eiusdem mater, si spurius est (vid. *Comm. Reat.* §. 140. et heic *de Ordine* Vol. V. 915. seqq.).

Suspensionem autem heic intentatam Ordinans vitabit, si clericum ordinaverit collato prius ei beneficio; quippe ex hoc iam suus subditus esse coepit: dummodo beneficium exstet in sua Dioecesi (ex Const. *Speculatores* §. 3. Innocentii XII.) et sit *sufficiens* et ordinandus in pacifica possessione eius sit.

Dixi, *sit sufficiens* etc.: nam omnia haec caverat Innocentius XII.

(cit. *Const.* §. 3.): *Licet vero clericus* (inquit) *ratione cuiusvis Beneficii in aliena Dioecesi obtenti subiici dicatur iurisdictioni illius Episcopi, in cuius Dioecesi Beneficium situm est, eam tamen de cetero hac in re inconcusse servari volumus regulam, ut nemo eiusmodi subiectionem ad effectum suscipiendi Ordinis acquirere censeatur, nisi Beneficium praedictum eius sit reditus, ut ad congruam vitae sustentationem, sive iuxta taxam synodalem, sive, ea deficiente, iuxta morem regionis pro promovendis ad sacros Ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab Ordinando pacifice possideatur, sublata quacumque facultate supplendi quod deficeret fructibus eiusdem Beneficii cum adiectione patrimonii etiam pinguis, quod ipse Ordinandus in eadem seu alia quavis Dioecesi obtineret.*

367. *Dimissoriales* litterae dicuntur, quibus alieno Episcopo fit facultas ordinandi proprium subditum, ea cum conditione, ut nihilominus suo Episcopo remaneat subditus. Has porro litteras dare potest non modo proprius ordinandi Episcopus, sed etiam Vicarius generalis, si Episcopus *in remotis* degat: imo et Vicarius Capitularis, Sede vacante, et quidem etiam infra annum *arctatis*, idest, iis, quibus ratione beneficii aut recepti vel recipiendi opus sit aut alicuius sacri Ordinis aut tonsurae collationem non differri.

Litterae *testimoniales* seu commendatitiae appellantur, quibus Ordinarius fidem facit, clericum promovendum iis moribus ornatum esse, ut ad Ordines suscipiendos idoneus sit. *Testimoniales* porro petendae sunt ab Episcopo domicilii semper: item ab Episcopo originis et ab Episcopo eius loci, ubi quis fortuito natus sit (*Const. Speculatores* §. 4. et 5.), et insuper ubi quis moratus est aliquandiu, ubi demum tandiu moratus sit *ea aetate*, ut ibi canonicum impedimentum contrahere potuerit. Nam post *septennium* censuras et irregularitates potuit contraxisse; mora autem longior semestri testimonium status a matrimonii vinculis liberi exigendum suadet. Cf. *de Ordine* l. sup. c.

Quae dicta sunt de *testimonialibus* deque *dimissoriis* litteris, etiam ad eos pertinent, qui Piis Sodalitiis seu Congregationibus, in quibus vota simplicia voventur, nomen dederunt. Et hi igitur ad tonsuram vel ordines promoveri nequeunt sine dimissoriis et testimonialibus Episcopi originis aut domicilii (s. Congr. Epp. RR. 6. Maii 1864.). Aliud iuris est in Regularibus. His unus suus Ordinarius est superior domicilii idest coenobii, in quo degit ordinandus: *ideo non tenentur ostendere dimissorias Ordinariorum propriae originis* (s. Congr. Conc. 28. Febr. 1754.), sed Superiorum suorum Regularium, quae tamen dari nequeunt nisi ad Episcopum dioecesanum (Ben. XIV. Const. *Impositi nobis*). Et licet olim non satis convenerit, a quo dandae essent

dimissoriae Novitiis (s. Alph. lib. 6. n. 765.), hodie cautum est, eas, durante triennio post tirocinium, ante sollemnem professionem, a Superioribus Regularibus dari posse quoad tonsuram et Ordines minores tantum (s. Congr. RR. 12 Ian. 1858.). Verum si Religionem deseruerint, vel ab ea dimissi fuerint, recidunt in iurisdictionem Episcopi, cui suberant, antequam Religionem ingrederentur (S. Congr. Epp. RR. 6. Maii 1864.).

Ad haec ex Conc. Trid. 1° Qui ordinat sive suum subditum, sive alienum in Dioecesi alterius sine eius Ordinarii expressa licentia (sess. 6. *de Ref.* cap. 5.): 2° Episcopi titulares si quem ad minores Ordines vel primam tonsuram promoverint (sess. 14. *de Ref.* c. 2.): demum 3° Vicarii Capitulares, qui dimissorias ad Ordines non arctatis infra annum concesserint, incurrunt suspensionem, ille indefinite, isti per annum ab exercitio Pontificalium, hi ab officio et beneficio item per annum.

IV. Suspensionem per annum a collatione Ordinum ipso iure incurrit, qui, excepto casu legitimi privilegii, Ordinem sacrum contulerit absque titulo Beneficii vel patrimonii Clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua sollemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.

368. Quod Tridentinum statuerat de titulo necessario ad sacros ordines pro clero seculari, idipsum s. Pius V. (*Const. Rom. Pontifex* 15. Oct. 1568.) ita sanxit pro Regularibus non sollemniter professis. Incommodum, cui voluit occurrere, sic exponit (§. 2.): *Cum... nonnulli, ut moleste accepimus, certorum Ordinum Religiosi seu canonici vel clerici intra claustra monasteriorum seu domorum, more Regularium in communi viventes, qui nunquam seu nonnisi ad certum tempus professionem emittunt et ex claustro exire vel dimitti, ad seculum redire libere et licite possunt, Religionis praetextu titulo sufficientis Beneficii, nec iuxta Decreti tenorem ad sacros Ordines se promoveri praetendant et a nonnullis Episcopis passim promoveantur, atque inde plerumque illud inconveniens eveniat, ut sic promoti et e claustro exeuntes et per seculum vagantes, vel mendicare vel sordidum quaestum exercere, non sine ipsorum dedecore ac Ordinis vilipendio et quamplurimorum Christifidelium scandalo cogantur.* — Remedium autem sic s. Pius (§. 3.) apponit: « Decretum praedictum (scil. Tridentinum sess. 21. cap. 2. *de Reform.*) de Clericis secularibus loquens, ad omnes et singulos etiam cuiuscumque Ordinis Clericos Religiosos, sive seculares, more Religiosorum viventes in communi, non professos, harum serie extendimus et ampliamus, ac Religiosis et aliis praedictis non professis ad sacros Ordines promoveri, nec non omnibus... Episcopis..., Ordines ipsos huiusmodi Religiosis personis impendere, nisi observata forma

dicti Decreti..., interdicimus et prohibemus, ac contrafacientes per annum a praestatione talium Ordinum ipso iure suspendimus ».

Additur in Const. nostra: *excepto casu legitimi privilegii;* quod concessum deinde fuisse v. gr. Societati Iesu constat ex his verbis Constitutionis Gregorii XIII. successoris Pii V. (*Const. Ex Sedis Apost.* 28. Febr. 1573.): « Nec non ut ii, qui tria vota praedicta in eadem Societate emiserint, de licentia sui Praepositi Generalis ad sacros etiam presbyteratus ordines, etiam ante sollemnem professionem emissam... promoveri valeant, Instituta praedicta approbantes, tenore praesentium, auctoritate Apostolica, quatenus opus sit, de novo concedimus ».

V. Suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum ipso iure incurrunt Religiosi eiecti, extra Religionem degentes.

369. Canonica ratio, cur eiectus maneat suspensus, praeter eam, quod sit poena pro crimine, haec quoque prostat, quod qui a sua Religione eiicitur, eo ipso caret titulo suae ordinationis, imo et ecclesia, cui sit adscriptus. Ita Avanzini (*Com.* n. 53.), qui deinde inquirit, cur non eandem poenam incurrant Apostatae et fugitivi.

Nam, ut egregie Comm. Reat. habet, duobus opus est, ut Religiosi hanc suspensionem contrahant, nempe ut eiecti fuerint et extra religionem degant. Quocirca eam non incurrunt apostatae et fugitivi; neque eiecti ea amplius tenentur, si aliam Religionem, quamvis laxiorem, fuerint ingressi. Et praeterea opus est, ut iuste quis fuerit eiectus, idest ex causa iusta et servato ordine iuris; neque enim heic recedendum est ab eo iure, quod in aliis iuribus perpetuo observatur. Proinde qui iniuste eiectus est, exercitio Ordinum abstinere quidem debet, ne scandalo sit; verum si non abstinet, contra caritatem peccat, non contra censuram facit adeoque culpa ipsum tenet, non irregularitas; et ne culpa quidem, si scandalum desit, puta si celebret ubi ignoratur, ipsum eiectum fuisse, nec facile sciri potest.

Ceterum sermo est de *eiectis*, qui nempe incorrigibiles cum sint, iuxta formam ab Urbano VIII. praescriptam eiiciuntur; non de iis, qui aliter dimissi sint (cf. tr. IX. Vol. IV. n. 198. seqq. et decretum C. EE. RR. exhibitum in fine Vol. IV.).

VI. Suspensionem ab Ordine suscepto, ipso iure, incurrunt, qui eundem Ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto, nominatim denuntiatis aut ab haeretico vel schismatico notorio, eum vero, qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere Ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.

370. Qui recipit Ordines, hoc uno in casu, ut observat Comm. Reat., ex Constit. nostra suspensionem incurrit, videlicet si eos receperit ab

Episcopo nominatim excommunicato, vel suspenso, vel interdicto, aut ab haeretico vel schismaticô notorio.

Et quidem si quis ordines recipiat ab excommunicato nominatim a Summo Pontifice, insuper excommunicationem eidem Pontifici reservatam incurrit, iuxta dicta sup. sub excomm. XVII. 2^{ae} seriei.

Ceterum vi Constitutionis interest, utrum mala fide, an bona ordines quis susceperit. Si *mala,* idest *si praesumpserit,* suspensione perpetua tenebitur, a qua dispensare ad solum Rom. Pontificem spectat; si vero *bona,* non proprie suspensus dicetur, sed exercitium dumtaxat Ordinis ei interdicitur, quoad suus Episcopus cum ipso dispensaverit. « Quid si dubitavit (ut scite addit Comm. Reat.) et neglexerit inquirere ex desidia culpabili quidem, sed non lata, crassa, supina? Num dispensari nequeat ab Episcopo, quia non fuerit in bona fide? An queat, quia non praesumpsit? » Et reponit: « Quando semper id accipiendum est, quod clero est favorabilius, hoc magis puto. Ceterum, ut quis suspensionem hanc incurrat, necesse est, ut Ordinem receperit: quamobrem si invalide fuerit ordinatus, suspensio ne intelligi quidem potest ».

VII. Clerici seculares exteri, ultra quatuor menses in Urbe Roma commorantes, ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii vel absque praevio examine coram eodem peracto vel etiam a proprio Ordinario postea quam in praedicto examine reiecti fuerint necnon Clerici pertinentes ad aliquem ex sex episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium vel non praemissis ante Ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab ordinibus sic susceptis ad beneplacitum s. Sedis, ipso iure, incurrant. Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.

371. Triplex est subiectum, in quod cadit censura: *Clerici seculares exteri* Romae ultra quadrimestre commorantes: *clerici dioecesium suburbicariarum: Episcopi eos ordinantes.* Conditiones pro incurrenda suspensione clarae sunt.

Quoad primum agitur de *clericis secularibus:* non ergo huic censurae subiacent regulares, vel laici recipientes primam tonsuram: tum isti clerici dicuntur *in urbe commorantes,* qui nempe ibi degere pergunt ultra quatuor menses: si ergo post id temporis alio abirent commoraturi, non huc spectarent. *Proprius* vero *Ordinarius,* ut alibi

dictum est, ex quadruplici titulo esse potest: originis, domicilii, beneficii, familiaritatis.

372. Adde ex recenti decreto s. C. C. 25. Maii 1893. suspensionem a divinis *s. Sedi reservatam* et ipso facto incurrendam a sacerdotibus violantibus decreta lata circa collectionem eleemosynarum pro Missis a Pio IX. edita per organon s. C. C. anno 1874. quae nos retulimus in Tr. *de Eucharistia* Vol. IV. nn. 1020.-23. Clerici nondum sacerdotio initiati eandem suspensionem quoad susceptos ordines incurrunt et praeterea inhabiles fiunt ad superiores ordines recipiendos.

§. 3. *Suspensiones Tridentinae reservatae partim Episcopis partim nemini.*

I. Nulli Episcopo liceat cuiusvis privilegii praetextu pontificalia in alterius dioecesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia et in personas eidem Ordinario subiectas tantum. Si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio pontificalium et sic ordinati ab exsecutione Ordinum sint ipso iure suspensi (sess. 6. cap. 5. *de Reform.*).

373. Per hoc Decretum non excluditur, quominus clerici etiam aliarum Dioecesium ordinari possint ab Episcopo extraneo in aliena dioecesi, quando et clerici a proprio Ordinario litteras habeant dimissorias et extraneus hic Episcopus pontificalia ibi exerceat de expressa Ordinarii loci licentia.

Et ex Resol. (quae afferri solet) s. Congr. 22. Febr. 1630. Episcopus in alterius dioecesi exsistens potest, praevia praedicta illius licentia, tam subditos proprios, quam Episcopi licentiam concedentis absque incursu poenarum ordinare.

II. Qui arctati occasione beneficii recepti sive recipiendi non fuerint et, sede vacante, infra annum a die vacationis per litteras dimissorias a Capitulo acceptas fuerint ordinati, si in minoribus ordinibus sic fuerint constituti, nullo privilegio clericali praesertim in criminalibus gaudeant; in maioribus vero sic constituti ab exsecutione Ordinum ad beneplacitum futuri Praelati sint ipso iure suspensi (sess. 7. cap. 10. *de Reform.*).

374. Dimissorias post annum concedere spectat ad Vicarium capitularem, et non ad Capitulum, prout refertur decisum in s. Congr. Epp. 12. Ian. 1604.

Verum Vicarius Papae non prohibetur etiam statim post vacantem Sedem Apostolicam dimissorias litteras concedere; quippe Decretum Tridentinum minime restringit iurisdictionem Sedis Apostolicae, quamvis vacantis.

Sede autem Episcopali vacante pro suscipiendis infra annum Ordinibus, non adeundus est aut vicinior Episcopus aut Metropolitanus, sed adeunda est Sedes Apostolica.

Potest tamen Capitulum sede vacante infra annum testimonium idoneitatis, seu litteras testimoniales dare.

III. NEMO EPISCOPORUM, QUI TITULARES VOCANTUR, ETIAMSI IN LOCO DIOECESIS NULLIUS, ETIAM EXEMPTO, AUT ALIQUO MONASTERIO CUIUSVIS ORDINIS RESEDERINT AUT MORAM TRAXERINT, VIGORE CUIUSVIS PRIVILEGII SIBI DE PROMOVENDO QUOSCUMQUE AD SE VENIENTES PRO TEMPORE CANCESSI, ALTERIUS SUBDITUM, ETIAM PRAETEXTU FAMILIARITATIS, CONTINUAE COMMENSALITATIS SUAE, ABSQUE SUI PROPRII PRAELATI EXPRESSO CONSENSU AUT LITTERIS DIMISSORIIS, AD ALIQUOS SACROS AUT MINORES ORDINES, VEL PRIMAM TONSURAM PROMOVERE SEU ORDINARE VALEAT. CONTRAFACIENS AB EXERCITIO PONTIFICALIUM PER ANNUM, TALITER VERO PROMOTUS AB EXSECUTIONE ORDINUM SIC SUSCEPTORUM, DONEC SUO PRAELATO VISUM FUERIT, IPSO IURE SINT SUSPENSI (sess. 14. cap. 2. *de Reform.*).

375. Atque ita Episcopos Titulares familiaritatis ratione neminem ordinare posse sanxit Pius IV. Constitut. *Cum sicut accepimus* 12. Maii 1562.

IV. SI QUIS AB ALIO (QUAM A PROPRIO EPISCOPO) PROMOVERI PETAT, NULLATENUS ID EI, ETIAM CUIUSVIS GENERALIS AUT SPECIALIS RESCRIPTI VEL PRIVILEGII PRAETEXTU, PERMITTATUR, NISI EIUS PROBITAS AC MORES ORDINARII SUI TESTIMONIO COMMENDENTUR. SI SECUS FIAT, ORDINANS A COLLATIONE ORDINUM PER ANNUM, ET ORDINATUS A SUSCEPTORUM ORDINUM EXSECUTIONE, QUANDIU PROPRIO ORDINARIO VIDEBITUR EXPEDIRE, SIT SUSPENSUS (sess. 23. cap. 8. *de Reform.*).

376. Agitur heic de defectu dumtaxat litterarum *testimonialium*, non vero de *dimissoriarum* carentia. Et reipsa contingere potest, ut clericus accedat aut cum litteris dimissoriis, aut praetextu alicuius generalis vel specialis rescripti vel privilegii et careat testimonio sui Ordinarii, quo eius probitas ac mores commendentur.

V. ABBATES ET ALII EXEMPTI, AUT COLLEGIA VEL CAPITULA QUAECUMQUE, ETIAM ECCLESIARUM CATHEDRALIUM, LITTERAS DIMISSORIAS ALIQUIBUS CLERICIS SECULARIBUS, UT AB ALIIS ORDINENTUR, NON CONCEDANT. CONCEDENTES AUTEM DIMISSORIAS CONTRA FORMAM DECRETI, AB OFFICIO ET BENEFICIO PER ANNUM SINT IPSO IURE SUSPENSI (sess. 23. cap. 10.).

377. Intellige capitula, quae aliquo iure speciali iurisdictionem habeant in aliqua dioecesis parte: nam aliud decretum de Capitulis, sede vacante, exstat.

Abbates nimirum, intra fines cuiuspiam Dioecesis consistentes suis dumtaxat regularibus subditis tonsuram et minores Ordines conferre possunt, non vero subditis secularibus; idem autem et de concedendis litteris dimissoriis heic statutum est.

VI. Si qui Parochus vel alius sacerdos, sive regularis sive secularis sit, etiam si id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiae sponsos sine illorum Parochi licentia matrimonio coniungere aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tandiu suspensus maneat, quandiu ab Ordinario eius Parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur (Sess. 24. cap. 1. *de Reform.*).

VII. Episcopi, quod absit, si ab huiusmodi (concubinatus) crimine non abstinuerint et a Synodo Provinciali admoniti, se non emendaverint, ipso facto sint suspensi (sess. 25. cap. 14. *de Reform.*).

378. Suspensio est plena, omnia complectens.

VIII. Ne professionis monialium tempus Episcopus ignoret, ut eas explorare valeat, teneatur Praefecta monasterio eum ante mensem certiorem facere. Quod si Praefecta certiorem Episcopum non fecerit, quandiu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit.

379. Suspensio est improprie dicta et simplex poena.

Dub. III.

De depositione et degradatione.

XCVII. Subiici solent Suspensioni Depositio et Degradatio (etsi censurae non sint, ut dictum est c. 1.) ob similitudinem, quam habent cum suspensione, cum utraque sit ab Ecclesiastico Ordine, aut beneficio. Differunt autem a suspensione, quod illae auferant ipsum ius radicale et titulum beneficii idque in perpetuum: suspensio non item. Porro depositio generice accepta, alia est Verbalis, quae absolute depositio dicitur: alia Realis, quae dici solet degradatio.

XCVIII. Resp. 1. Degradatio est privatio exsecutionis officiorum beneficiorum simpliciter et in toto et absque spe restitutionis, facta cum certa sollemnitate et privatione privilegii Clericalis, tam Canonis quam Fori, ita ut seculari curiae subdatur.

Dixi, *Exsecutionis;* quia Ordo ipse non potest tolli. Interim degradatus tenetur ad votum castitatis, si fuit in sacris, et ad Horas, nisi has forte poena, ad quam damnatur, v. gr. triremes vel aliud impediat.

XCIX. Resp. 2. Depositio verbalis est similis Privatio, sed sine sollemnitate dicta et relicto utroque privilegio Canonis et Fori.

C. Resp. 3. Clerici possunt degradari a suo Episcopo, sed non ab inferioribus illo: deponi tamen possunt ab eodem per Vicarium.

Cl. Resp. 4. Depositio fieri potest in casibus iure expressis et delictis: non tamen nisi gravioribus, arbitrio iudicis. Ubi notat Laym. crimen debere esse enorme, idest unum ex maximis. Degradatio similiter fieri potest in casibus tantum gravissimis: quales sunt, v. gr. crimen haeresis manifestum, falsificatio litterarum Apostolicarum, Sodomia frequentata, gravis calumnia proprio Episcopo irrogata. Vid. Laym. hic c. 5. et Filliuc. t. 18. c. 8.

380. Depositio, quae poena est, qua clericus privatur officio et dignitate, vix a suspensione perpetua differre videtur. Differt tamen; quia suspensio *usum*, depositio ipsam rem seu *ius* aut *potestatem* (officium, beneficium), quantum fieri potest, adimit: suspensus perpetuo, si absolvatur, iam est restitutus in pristinum statum: depositus ad hunc effectum eget novo titulo. D'Annibale *Summ.* V. 1. n. 388.

Depositioni degradatio addit tum sollemnitatem tum specialem effectum: privationem nempe omnis privilegii clericalis. Hinc violentas manus iniiciens in depositum clericum incurrit excommunicationem, non vero iniiciens in degradatum, qui in laicorum ordinem est detrusus.

CAPUT IV.

DE INTERDICTO.

Dub. I.

* *Quid sit et quotuplex.* *

CII. Resp. 1. Est censura Ecclesiastica, prohibens divinorum officiorum, sacramentorum aliquorum et Ecclesiasticae sepulturae usum, quatenus talis est. Quod addo, quia excommunicatio eodem privat, quatenus est communicatio cum fidelibus; suspensio vero proprie non illum usum, sed exercitium potestatis Ecclesiasticae impedit. V. Laym. I. 1. t. 5. p. 4. c. 1. Bon. d. 5. p. 1.

CIII. Resp. 2. Interdictum dividitur 1. in Locale, quod immediate locum afficit et in Personale, quod immediate afficit personas et in Mixtum, quod immediate afficit locum et eius incolas. Differt autem locale a personali; quod in illo participatio sacrorum officiorum tum indigenis, tum alienigenis, non absolute, sed in loco tantum interdicto: in hoc vero certis personis, aut communitati prohibeatur absolute et in omni loco. 2. Interdictum tam locale, quam personale subdividitur in generale et particulare. Generale est, quo locus generalis v. gr. civitas, provincia, vel quo communitas v. gr. collegium etc. interdicitur. Particulare, quo locus, aut persona particularis, aut particulares interdicuntur.

381. Non omnes eodem pacto illud definiunt et prudentiores videntur qui ipsum describunt, recensitis singillatim bonis, quibus privat. Cl. d'Annibale *Summ.* n. 369. dicit: *interdictum ecclesiasticum est Prohibitio removens christifideles a participatione quarundam rerum sacrarum.* Ex qua tamen notione nulla potest proficisci demonstratio

certa eorum, quae ad interdictum spectant. Quod vero in hac vel simili declaratione intenditur praecipue, est id, quod vocabulo *participatione* significatur. Nimirum interdictum removet a *passiva participatione*, ab usu quoque, sed quatenus usus est quoddam utentis bonum aut decus. Atque istud esse puto, quod vult dicere A. illa reduplicativa: *quatenus talis est.*

Porro interdictum *immediate* huc spectat, ut tali participatione privet. Hinc discrimen a *suspensione*, quae privat *administratione* rerum sacrarum, utique et usu, sed quatenus usus est exercitium iuris aut potestatis ideoque suspensio solis competit clericis, interdictum omnibus fidelibus, clericis et laicis; imo interdicto *ipsa loca* feriuntur et forte hic fuit primus modus ferendi interdicti. Differt etiam interdictum ab *excommunicatione;* quia excommunicatio immediate aufert communionem fidelium unde consequens est, arceri a participatione sacrorum; interdictum per se hac participatione privat: praeterquam quod non omnium rerum sacrarum sed quarundam tantum participationem impedit.

382. Iam vero res sacrae, a quarum participatione seu usu removet interdictum, sunt 1° divina officia: 2° quaedam sacramenta: 3° sepultura ecclesiastica.

Divina officia dicuntur ea, quae ex institutione Christi vel Ecclesiae a solis clericis fieri licet et quae ad divinum cultum ordinantur. Huc ex. gr. spectat sollemnis in choro recitatio Horarum canonicarum, spectant sollemnes seu publicae processiones more ecclesiastico factae, et generatim quaecumque a ministro Ecclesiae cum superpelliceo et stola peragenda sunt, ut tot benedictiones. Non spectat autem recitatio officii B. V., qualis fieri solet in Confraternitatibus seu Congregationibus, non benedictio mensae, non adoratio Crucis in Parasceve, quae fiat absque orationibus ab Ecclesia institutis, non interesse concioni, imo nec ipsa concio, quae non ad Deum, sed ad populum instruendum ordinatur. Schmalzgr. l. c. n. 362. Cf. Bonacina, tom. 1. *de Interdicto* p. 4. nn. 1. seqq.

Sacramenta quidem non omnia interdicuntur; id enim frequenter nimis durum foret, quae autem sint prohibita et quatenus, paulo post dicemus.

Itaque quae his tribus non continentur, per interdictum non auferuntur, idcirco manet ex. gr. iurisdictio. Ideoque etsi Episcopus sit nominatim denuntiatus ut interdictus, valide et licite confert beneficia, indulgentias, condit leges, imponit censuras valideque, quamvis non licite (usus enim prohibetur), sacramentum Poenitentiae administrat. D'Annibale not. 5. ad n. 370. Bonacina p. 3. §. 3. n. 2.

383. Interdictum multipliciter dividitur, 1° In *personale* et *locale*: eo directe afficiuntur personae, hoc ipsa loca. Utrumque autem 2° vel *generale* est vel *speciale*. *Generale personale* est, quod fertur in corpus aliquod morale, quod propriis legibus gubernari potest, ut si homines alicuius provinciae, civitatis, parochiae, collegii, communitatis et probabilius etiam familiae interdicantur. *Speciale personale* est, quod in singulas personas fertur, ut si Petrus, Paulus interdicantur: vel quod a singulis contrahitur, si est a iure in personas quaslibet singillatim. *Generale locale* est, quod fertur in locum plura sub se loca continentem, ut si feratur in regnum, provinciam, dioecesim, civitatem, oppidum. *Speciale locale* est, quod in singularem locum fertur, ut si haec et illa ecclesia interdicatur.

Personale rursus 3° dividitur in *totale* et *partiale*. Illud est quod omnes comprehendit effectus interdicti, hoc quod aliquos tantum, privans scilicet tantummodo aliquibus bonis; ut si personae interdicatur celebratio Missae, ingressus Ecclesiae.

Praeter personale et locale, additur 4° *mixtum*, quod ex utroque coalescit, quatenus afficiens personam, afficit propterea et loca quaevis, quae illa ingrediatur: quod idcirco vocatur etiam *deambulatorium*. Schmalzgr. n. 323.

Iam vero ex his solum interdictum personale speciale (mixtum quoque, si vis, quatenus personam specialem afficit) censurae vim habere potest. D'Annibale n. 370. Censura enim fertur ob contumaciam et hac cessante, illa auferenda est; at in aliis interdictis vel non habetur ratio contumaciae, vel et qui eam ponunt non hoc ipso desinunt esse interdicti. Quae ex sequentibus patebunt. Itaque alia interdicta vel poenae sunt vel privationes.

384. Ut haec declaremus, tenendum in primis est, ut interdictum obliget non personaliter interdictos servare interdicti leges, oportere, interdictum esse denuntiatum: secus enim nec tenebimur vel hominem etiam personaliter interdictum vitare vel servare interdictum locale: ratio est ex concessione Martini V. Bulla *Ad evitanda*, fideles non teneri leges censurarum, quibus alii plectantur, custodire, nisi ipsae sint denuntiatae. Imo, addit Schmalzgr. n. 389., si hi, quorum causa latum est interdictum locale illud non servent, nec alios teneri; eo quod Ecclesia, observantiam non urgens, censeatur illud remittere c. *Petistis*, *de Privil.* Verum opus haud est, in generali interdicto locali omnes singillatim ecclesias etc., aut in personali generali omnes singillatim personas interdictas recensere: sed satis est in denuntiatione indicatio generalis omnia complectens. D'Annibale n. 21. ad n. 372. Hinc c. *Si sententia*, *de Sent. Excomm.* in 6° dicitur: « Cum alicuius

terrae populus interdicto nodatur, singulares ex eo personas interdictas esse constat ne sententia effectu careat ».

Causa finalis interdicti, sicut aliarum censurarum, est vindicta simul et medicina delinquentis: cum autem est simpliciter poena, illud intendit quo omnis poena spectat, punitio et emendatio rei; quamvis opus non sit et identidem non expediat, poenam remittere, emendato reo: quocirca interdictum quoque locale propter homines fertur atque eorum poena et correptio intenditur, quemadmodum et in interdicto personali, vel discrimen est quoad modum.

385. Itaque interdicto loco, directe prohibetur eo in loco peragi divina atque proinde incolae eius loci et quicumque ibi sunt, nequeunt ibi participare divina; at iidem possunt se transferre alium in locum non interdictum et ibidem cum ceteris participare divina.

Excipe eos, qui causam dederunt interdicto locali: hi enim personaliter interdicti censentur et quidem specialiter. Schmalzgr. n. 333.

Interdictum locale omnes, qui ibi sunt, servare tenentur, etiam exteri, etiam exempti (secluso speciali privilegio), etiam is qui interdictum tulit. Schmalzgr. n. 332.

Cum autem personale interdictum indicitur generale, puta in populum urbis, omnes qui ad populum spectant, interdicti sunt, etiam absentes, quia absentia non impedit quin membra sint eius civitatis: etiam innocentes, quia et ipsi pars sunt civitatis; quorum respectu interdictum est tantum privatio.

Quapropter, si quis desinat pars esse eius populi, alio translatis penatibus, desinit quoque esse interdictus. Erit autem interdictus, qui ad eum populum incipiat pertinere.

Nec tenentur externi, qui quamvis quasi domicilium ibi habeant, non sunt vere pars illius populi, ut scholares. Cf. Schmalzgr. n. 337.

Exscipiuntur ab interdicto personali generali 1° Episcopi, nisi de ipsis fiat expressa mentio, quemadmodum dictum est de suspensione, ex c. *Quia periculosum*, *de Sent. Excomm.* in 6°. 2° Infantes doli nondum capaces et amentes, quamvis et hi lege teneantur prohibente sepulturam ecclesiasticam. Scilicet tenentur ea lege interdicti, qua possunt teneri; aliarum enim non sunt capaces.

Huiusmodi personae interdictae nec ibi nec alibi possunt participare divina; quia interdictum afficit personas.

Ex his duobus interdictis neutrum infert alterum: ideoque interdicto populo, licet in eo loco celebrare divina, quae ab exteris, puta, vel privilegiatis participentur; interdicto loco, licet incolis alio abire, ut sacris participent. Hinc interdicto clero alicuius ecclesiae, non hoc ipso haec ecclesia est interdicta. Cf. Schmalzgr. n. 339.

386. Interdicta urbe, censentur interdicta quoque suburbia et continentia, ut dicitur, h. e. propinqua aedificia, quae nempe non distent ab urbe ultra mille passus: si autem ulterius absint vel, etsi infra sita, difficilem accessum habeant, non comprehenduntur. D'Annibale not. 28. ad n. 373.

Heic receditur a regula, quod odiosa stricte sint interpretanda: sed positive id statutum est, ne secus frustraneum sit interdictum c. *Si civitas, de Sent. Excomm.* in 6°. Idcirco nil refert, ea loca extra urbem, ad alium Principem vel aliam Dioecesim spectare.

Interdicta urbe, vel Dioecesi, interdicta censetur quoque ecclesia cathedralis, ne vis generalis edicti enervetur. Schmalzgr. n. 327. At interdictis omnibus urbis ecclesiis, non comprehenditur cathedralis; quia hoc interdictum reapse speciale est; cathedralis autem, nisi cum aliis ecclesiis expresse nominetur, excepta intelligitur, propter eius honorem c. *Quamvis, de Praebendis* in 6°.

Interdicta aliqua ecclesia, sunt quoque interdictae cappellae ipsius et coemeterium contiguum, tanquam accessorium: interdicto autem coemeterio non est interdicta contigua ecclesia. Porro contigua accipimus, ait d'Annibale l. c. not. 27., quorum extremitates sese contingunt.

Etiamsi cappellae vel coemeterium postea aedificentur, subsunt interdicto; quia pars sunt vel accessorium ecclesiae interdictae.

Interdicta urbe vel territorio, nullibi fas est operam dare divinis, at interdictis ecclesiis vel locis sacris, licet in privatis domesticis oratoriis sacrum facere, vel sub diu, vel in ecclesiis postea exstructis.

Quid, si quis duobus in locis domicilium habet, quorum alter sit, alter non sit interdictus? Respondet d'Annibale not. 23. ad n. 372.: « Cum ab uno discedit, nec illius onus (ceu visum nonnullis) nec huius favorem (ceu visum aliis) secum trahit: sed in illo servare debet interdictum, in hoc non item (Suarez *de Cens.* 32. 2. 16.) ».

Interdicto populo, non censetur interdictus clerus et vicissim interdicto clero, non censetur interdictus populus; quia nomine populi veniunt tantum laici seu seculares: interdicto autem clero, probabile est non comprehendi religiosos, quia versamur in odiosis et religiosi reapse a simplici clero distant. Nisi religiosi beneficium seculare habeant, vel interdictum feratur generalius in personas *ecclesiasticas*. Schmalzgr. n. 339.

Discrimen est inter interdictum *locale generale* et *locale speciale*, quod illud, non istud, admittat quaedam privilegia, de quibus in dub. seq.

387. Interdictum personale speciale est, ut diximus, vera censura, quae a iure potest esse vel ab homine. Idcirco ad illud incurrendum requiritur peccatum proprium et contumacia: tum si clericus illud violat, ordinem vetitum exercendo, fit irregularis, v. gr. si absolvat aliquem, quamvis non interdictum, a peccatis, etsi absolutio sit valida (n. 381.).

Quia tamen interdictum communionem fidelium non aufert, fidelibus licet assistere Missae, quam celebret sacerdos interdictus publice denuntiatus, quemadmodum diximus de suspenso.

Hoc interdictum haerens personae ubicumque ea sit, absolutione proprie aufertur. Cf. d'Annibale l. c. n. 371.

Unde resolves.

CIV. 1. Interdicta civitate, interdicuntur etiam suburbia et interdicta Parochia, etiam sacellum vel coemeterium contiguum; quia accessorium sequitur naturam principalis.

CV. 2. Interdicto populo, non interdicuntur ii, qui non sunt pars populi, ut studiosi, clerici, peregrini etc. Nec, interdicto Clerico, interdicuntur Religiosi; quia in favorabilibus tantum nomine Clerici comprehenduntur.

CVI. 3. Si dicatur: Cives v. gr Colonienses sunt interdicti, ii nusquam possunt interesse divinis (nisi tamen desinant esse istic cives, nec causam dederint interdicto) contra vero, si civitas interdicto subiiciatur, licet civibus aut incolis, qui causam interdicto non dederunt, alio ire et istic divinis interesse.

388. Clara sunt ex dictis et perpende, quod postremo loco dicitur et iam monuimus (n. 383.); quamvis interdictum sit locale, eos tamen, qui causam interdicto dederunt, seu propter quos latum est interdictum, teneri interdicto etiam personali speciali.

Dub. II.

* *Qui sint effectus interdicti.* *

CVII. Resp. Sunt sequentes: 1. Prohibitio divinorum officiorum. Unde etiam interdicti ob alienam culpam non possunt interesse sacro. Clerici tamen et religiosi, quando ipsi interdicti non sunt, possunt ac debent, ut ante, Missas divinaque officia celebrare: sed ianuis clausis, non pulsatis campanis (nisi ad concionem, salutationem Angelicam, vel obitum alicuius) submissa voce et exclusis interdictis. Permittitur tamen, ut in festis Natalis Domini, Paschae, Pentecostes, Assumptionis et per octavam Corporis Christi divina officia cantentur sollemniter, admissis etiam interdictis, dummodo qui causam interdicto dederunt, altari nec appropinquent nec veniant ad offertorium vel communionem. 2. Prohibitio administrationis Sacramentorum, excepto Baptismo, Confirmatione et Poenitentia, quae omnibus permittuntur, iis exceptis, qui interdicto causam dederunt, etiam auxilio, consilio vel favore; Eucharistia tamen potest dari morituris et deferri cum lumine et campana. Nec improbabile est, interdictis licere contrahere matrimonium, ut Sanch. Con. et Laym. docet, contra Suarez; quia hoc Sacramentum secundum substantiam non ab Ecclesia, sed ab ipsis contrahentibus ministratur. 3. Prohibitio

sepulturae Ecclesiasticae, etiam respectu infantium et amentium. Excipe tamen Clericos, qui in interdicto locali, si nominatim interdicti non sunt nec interdictum violarunt, possunt cum silentio sepeliri. Laym. c. 2. n. 3. 4. Clerici violantes interdictum peccant mortaliter, sicut etiam religiosi utriusque sexus; qui insuper excommunicantur de facto. Laici vero peccant quidem graviter, si contra interdictum personale recipiant Sacramenta: si vero tantum violent locale, verbi gratia audiendo divina officia, probabilius est, tantum esse veniale, dummodo ipsi personaliter interdicti non sint. Laym. c. 3. ex Sylv. Soto, Avila, etc.

389. Effectus interdicti iam summatim recensuimus n. 381. seq. Modo declarandi sunt, indicatis exceptionibus. Loquitur A. ab initio de *interdicto locali generali.* Rigor in hac re iamdudum per canones temperatus fuit. Sane 1° tali interdicto vigente, licet clericis et religiosis, dummodo ipsi quoque non sint interdicti, celebrare quotidie in ecclesiis et monasteriis divina mysteria et officia divina, dummodo id fiat ianuis clausis, submissa voce, ut extra ecclesiam non audiatur, sine campanarum sonitu etiam parvi tintinnabuli, laicis non a missis; quia privilegium est clericorum: exclusis certe excommunicatis et interdictis, iis nempe qui ut tales denuntiati fuerint. Si enim hi abire noluerint, nec extrudi possint, cessandum est a divinis; quia ubi locus interdictus est, ius facultatem non dat clericis divina celebrandi nisi hac conditione, ut interdicti excludantur. Ita Bonifacius VIII. c. *Alma Mater, de Sent. Excomm.* in 6°. Cf. et *Clementinam* 1^m^ *de Sententiis Excomm.*

2° In eodem interdicto licet diebus Nativitatis Domini, Paschae, Pentecostes, Assumptionis B. Mariae, ex decreto Bonifacii VIII. ibid., festo quoque et tota octava Corporis Christi ex concessione Martini V. (in Hispania ex concessione Leonis X. festo quoque Immaculatae Conceptionis) divina officia et Missas sollemniter celebrare, pulsatis campanis, admissis interdictis, iis quoque qui causam interdicto dederunt, dummodo hi altari nullatenus appropinquent. Bonifacius VIII. l. c. Ceteris ergo accedere licet et Eucharistiam proinde etiam accipere, quod quidem satis clare Bonifacius dicit, inquiens se huiusmodi interdictis, his diebus, permittere *participationem divinorum.*

390. Si vero *interdictum locale* sit *speciale*, non haec omnia licent, quae c. *Alma Mater* permittit, quod solum loquitur de interdicto locali generali (cf. Schmalzgr. n. 368.): sed illud licet quod Gregorius IX. c. *Permittimus, de Sent. Excomm.* permittebat ecclesiarum ministris, nimirum semel in hebdomada Missarum sollemnia celebrare in loco interdicto, voce submissa, non pulsatis campanis, ianuis clausis, excommunicatis et interdictis exclusis, *causa conficiendi Corpus Domini, quod decedentibus in poenitentia non negatur.* Deficiente ergo hac causa, nunquam ibi celebrare Missas licebit.

Si interdictum sit *personale generale* populi, cum loca non sint interdicta et clerus eo non comprehendatur, licet quotidie in ecclesiis celebrare divina, servatis conditionibus iam supra descriptis. Si tamen interdictus (utique denuntiatus; huiusmodi enim tantum vitare tenemur) nollet exire, non esset cessandum ideo a divinis; quia id solum praescribitur clericis, cum divinis operam dant in loco interdicto. Schmalzgr. n. 366.

391. Quaerit idem Schmalzgr. n. 367. quid veniat nomine ecclesiae et monasterii, quibus per c. *Alma Mater* conceditur tempore interdicti celebratio divinorum. Respondet autem, nomine ecclesiarum venire etiam hospitalia auctoritate Episcopi erecta: nomine monasteriorum venire quoque conventus feminarum. Ratio est, quia privilegia, ea potissimum, quae in corpore iuris inserta sunt, late sunt interpretanda.

Utrum autem intelligantur quoque oratoria privata, controverti ait et probabilius quidem censet ipse negandum, alios tamen id probabiliter asserere concedit. S. Alph. heic id disserte negat de oratoriis privatis *secularibus*. Voluit forte dicere, quod si oratoria sint in domibus religiosorum vel Seminariis, haec sub nomine monasteriorum vel ecclesiarum merito censentur.

392. Alter effectus est *prohibitio participationis sacramentorum*, quae plures nacta est limitationes. Sane 1° *baptismus* tempore cuiuslibet interdicti administrari semper potest et debet, ob eius necessitatem, tum infantis tum adulti et quidem sollemniter, portis ecclesiae patentibus, non tamen a ministro specialiter interdicto, nisi in casu necessitatis, h. e. ceteris, qui ministrare sollemniter possint, deficientibus. Schmalzgr. n. 351.

2° Idem dicendum *de Confirmatione*, eo quod sit sacramentum Baptismo accessorium eiusque veluti complementum. Idem n. 352.

Et quia, cum licet finis, licent et media ad illum ordinata, pari iure licet confectio chrismatis. c. 19. *De Sent. Excomm.* in 6°.

3° Sacramentum *Poenitentiae*, ex c. *Alma Mater*, conceditur omnibus, duplici apposita conditione, 1ª est, ne interdictus sit etiam excommunicatus (excommunicatione utique reservata), cui, de more, tantum in mortis articulo sacramentum conceditur, 2ª est, ut si absolvendus sit qui causam culpabiliter interdicto dedit, is prius satisfactionem condignam exhibeat, vel praestet cautionem idoneam de satisfaciendo aut saltem iuret se, cum poterit, satisfacturum. Sacramentum hoc et in loco interdicto administrari potest et a persona generaliter interdicta, non vero, extra casum necessitatis, a persona specialiter interdicta, cui omnis sacramenti administratio est prohibita.

4° Ad *Eucharistiam* quod spectat, extra mortis articulum (in

quo sunt etiam damnati poena capitali et censentur esse qui difficilem navigationem sunt suscepturi vel praelium inituri) nequit hoc sacramentum recipi in loco interdicto ab ipsis innocentibus neque ab iisdem qui subsint interdicto personali generali. Plures tamen obtinent speciale privilegium, cuiusmodi fere sunt religiosi et moniales. In mortis autem articulo a poenitentibus suscipi potest et deferendum est cum consueta praescripta sollemnitate. Quo in casu licet sacerdoti benedictionem cum sacramento adstantibus impertiri. Schmalzgr. n. 354.

5° *Extrema Unctio,* ex constanti omnium sententia, ait Schmalzgruber n. 355., in nullo interdicto locali aut personali ministrari potest, neque iis diebus, quibus, ut dictum est, licet celebrare divina, neque iis, quibus alias permissum est tempore interdicti eadem celebrare. Quod conferenti dicta de Confirmatione mirum forte videbitur; cum se habere videatur Extrema Unctio ad Poenitentiam, sicut Confirmatio ad Baptismum. At heic quoque privilegium locum habet religiosis mendicantibus concessum.

Ceterum, si infirmo sacramentum Poenitentiae non potuit administrari, aut dubia sit administratio, Extrema Unctio licite ei administratur; quia praesumitur nolle Ecclesiam tantum praesidium negare fidelibus et in his angustiis, puto, suprema lex semper erit salus morientis.

6° De *Ordine* certum est per se quod in loco interdicto atque personis specialiter interdictis nullo modo conferri potest: bene vero personis generaliter interdictis in loco non interdicto. Dictum est *per se;* quia ecce si in loco interdicto tanta sit penuria Sacerdotum, ut non sufficiant administrando sacramento Poenitentiae, quod semper licet aut deferendae Eucharistiae morituris, aut eidem consecrandae, prout saltem singulis hebdomadis in ecclesiis loci interdicti semper licet; cum permisso fine permittenda sint et media, licere tunc per accidens in loco interdicto ordinationem, facile doctores concedunt. Qui tamen advertunt, casum rarum fore; nam potest Episcopus ordinandos suos mittere ad Episcopum viciniorem loci non interdicti. Schmalzgr. n. 356.

7° *Matrimonium* semper et ubique iniri potest, etiam a specialiter interdictis, dummodo, ut par est, suorum peccatorum eos poeniteat. Id tanquam probabilius docet s. Alph. heic: cum autem in hac re probabilitas sufficiat, ut tutus quis sit in praxi; ideo simpliciter affirmamus id licere. Rationem afferunt, quia matrimonium non ab ipsa Ecclesia vel suis ministris, sed ab ipsis contrahentibus administratur.

Non tamen licita est benedictio nuptialis; quae necessaria non est et identidem ob alias causas negatur et spectat ad *Officia divina.* Hactenus de sacramentis.

393. Tertius effectus interdicti est *negatio sepulturae ecclesiasticae.* Haec autem iuris dispositio ita se habet. 1° Si interdictum est gene-

rale illudque locale, quandiu durat, nequeunt fideles in loco interdicto donari sepultura ecclesiastica, quicumque sint, infantes quoque et amentes. At sublato interdicto, exhumanda sunt, si fieri potest corpora defunctorum et in loco sacro sepelienda.

Exceptio est pro clericis omnibusque, qui in favorabilibus veniunt nomine clericorum; nam, sub tali interdicto, his, dummodo non teneantur ipsi interdicto speciali aut causam culpabilem non dederint interdicto generali, sepultura conceditur ecclesiastica, non tamen sollemniter peracta, ideoque absque campanarum sonitu divinisque officiis more ecclestiastico recitatis. Humani vero honores non prohibentur.

2° Si interdictum locale sit *speciale*, valet eadem regula pro loco interdicto quoad fideles. Quidam vero censuerunt, privilegium clericorum in hoc casu cessare: sed res certa haud est et quandiu res est in ambiguo, non est, cur privilegium minuatur.

3° Si interdictum est personale generale, quicumque ei subsunt, etiamsi innocentes, privantur sepultura ecclesiastica.

Si interdictum personale est speciale, vel si quis causam culpabilem interdicto dedit (nam huiusmodi homines interdicto plectuntur speciali), perinde est; imo in hac hypothesi nullus favor clerico conceditur.

Quia vero oportet interdictum denuntiari, ut ceteri fideles teneantur legibus interdicti, ideo necesse est, eos, qui personaliter sive generali modo sive speciali sunt interdicti, denuntiatos esse (n. 383.); nam post Const. Martini V. *Ad evitanda*, nemini neganda est ecclesiastica sepultura, vi alicuius interdicti, nisi prius fuerit ea persona vel sententia denuntiata. Schmalzgr. nn. 369.-377.

Si autem interdictus in loco sacro sepeliatur contra interdicti legem, non ideo est exhumandus; quia hoc de interdictis nullibi in iure cavetur, quemadmodum fit de excommunicatis.

Si interdictus denuntiatus nominatim decedat nullo dato poenitentiae signo aut sine ulla probabili opinione relicta suae poenitentiae, non est sepeliendus in loco sacro. Secus, intercedente absolutione ab interdicto, poterit ei dari ecclesiastica sepultura.

Ceterum cum haec prohibitio ecclesiasticae sepulturae lex sit ecclesiastica, quae, seposita ratione contemptus, non obligat cum gravi incommodo; satius erit in singulis casibus, quid faciendum sit consulere Episcopum.

394. Interdictum personale speciale et partiale est interdictum *ab ingressu ecclesiae*, quod vera censura est et tum a iure est tum ab homine. Porro definitur: *censura, qua quis prohibetur tum participatione divinorum in ecclesia tum ecclesiastica sepultura.*

Itaque nequit hic *in ecclesia* interesse divinis, celebrare aut audire

Missam, sacramenta administrare, sollemni Psalmodiae adsistere. Schmalz. n. 379. Porro ecclesia intelligitur locus auctoritate Episcopi deputatus ad sacra facienda. Probabilius est, licere huiusmodi interdicto orare privatim et privatim sacramenta recipere in ecclesia. D'Annibale n. 377. Schmalzgr. 387. ibique concioni interesse potest.

Extra ecclesiam vero perinde habetur talis interdictus, ac si nulla huiusmodi censura teneretur: idcirco extra ecclesiam potest recipere et administrare sacramenta, in privatisque oratoriis celebrare, etiam in coemeteriis contiguis ecclesiae. Suarez *de Cens.* disp. 35. sect. 4. Schmalzgr. n. 381. Sepulturae autem prohibitio tum ipsam ecclesiam tum coemeterium complectitur, nisi poenitens decesserit, ut statuitur c. *Is cui, de Sent. Excomm.* in 6°.

Ibidemque dicitur, eum fieri irregularem, si in ecclesia divinis se ingerat, in suo agens officio sicut prius, nempe, ut ait argumentum canonis, si in ea celebret divina, clarius, si exerceat actum ordinis sibi vetiti.

395. A. in fine disserit de gravitate culpae violantium interdictum. Res est per se gravis, ideoque violatio haec gravis per se est. Parvitatem tamen materiae excusare docet s. Alphonsus heic, exemplum ponens in clericis, qui functiones exerceant, quas et laici possunt, vel si brevi tempore, dum divina peragunt in loco interdicto, ostium apertum relinquant. Idem s. Doctor nullatenus reprobans quod ultimo loco dicit A. de laicis, videtur illud probare. Certe ibi parvitas materiae locum habere videtur.

Advertendum, quod spectat ad poenas violatoribus inflictas, clericos nedum incurrere irregularitatem cum personaliter interdicti exercent actum ordinis sibi prohibiti, sed et cum scienter quodvis divinum officium celebrant in loco interdicto, ut habetur c. *Is qui* §. 1. *de Sent. Excomm.* in 6° *iuxta omnium expositionem*, ait ex Suarez d'Annibale not. 46. ad n. 375. Idem pariter fit ineligibilis, ut ibid. dicitur. Non vero incurrit irregularitatem clericus, eo quod sacramenta ministret interdicto: quia id nullo iure statuitur.

S. Alph. l. 6. n. 361. meminit ex c. *Episcoporum, de Privil.* in 6° interdicti ingressus ecclesiae iis, qui celebrant in locis interdictis. Cf. infra Interdictum 3^{m} R. P. reservatum.

De poena suspensionis ab ordine suscepto inflicta ei, qui praesumpsit eundem ordinem suscipere ab interdicto nominatim denuntiato, cf. sup. inter suspensiones Const. *Apost. Sedis* n. 6.

Excommunicatio, cuius A. meminit, contra violatores interdicti, antiquata est: restat ea, quae in cit. Const. prima exstat inter non reservatas.

Interdicta Const. *Apost. Sedis* paulo post subiiciemus.

Dub. III.

* *Quis Interdictum ferre et quis tollere possit.* *

CVIII. Resp. 1. Interdicere possunt iidem, qui excommunicare et suspendere. Et quidem, ut determinata persona interdicatur, videtur requiri culpa mortalis: ut autem feratur interdictum locale, vel generale in communitatem, requiritur peccatum valde grave cum contumacia commissum a capite, vel praecipuis membris, licet reliqui culpa vacent.

396. Causa gravis utique esse debet; quia poena gravis est: sufficit autem pro interdicto generali tum locali tum personali, delictum maioris partis populi, ordinis, coetus, imo etiam unius ex praestantioribus, puta Regis, cum de populo vel regno interdicendo agitur. Constat ex veteri Ecclesiae praxi, quam supponit c. *Si sententia, de Sententia Excomm.* in 6°. Scopus est emendatio criminis, quod in publicam perniciem vergit, quae emendatio facilius obtinetur, si potentes videant suam ob culpam affici subditos privatione, quam ipsi aegre ferant. Quapropter si huiusmodi privationis nullam aut parvam rationem haberent subditi, non expediret hac poena in criminosum animadvertere.

CIX. Resp. 2. Interdicta localia et personalia generalia, quae iure communi sunt imposita nec reservata, possunt tolli ab Episcopo, vel alio habente iurisdictionem in communitatem interdictam, non tamen a Religiosis privilegiatis; quia locus et communitas foro poenitentiae non subiiciuntur.

Clara est doctrina.

CX. Resp. 3. Ab interdicto iuris personali particulari, si reservatum non est, quivis approbatus potest absolvere. Denique per privilegium absolvendi ab omnibus censuris, non intelligitur potestas tollendi interdictum locale aut personale communitatis.

397. Sane haec interdicta non sunt censurae.

Interdicta latae sententiae Romano Pontifici reservata ex duplici Const. Pii IX.

398. Duo sunt *speciali modo* Romano Pontifici reservata. Alterum est ex Const. Pii IX. *Romanus Pontifex* iam superius citata (in 1ª serie Excomm. n. XIII.) atque ita habet:

I. Si vero aliqui ex praedictis *(nominatis, praesentatis vel electis ad vacantes ecclesias)* episcopali charactere sint insigniti, in poenam (eo quod scilicet *earum ecclesiarum curam, regimen et administrationem suscipere ausi fuerint*) interdicti ab ingressu ecclesiae ipso facto, absque ulla declaratione, incidunt, s. Sedi pariter (h. e. *specialiter*) reservatam.

Cf. l. sup. cit. Quae sequuntur duo, sunt ex Const. *Apost. Sedis.*

II. INTERDICTUM ROMANO PONTIFICI SPECIALI MODO RESERVATUM IPSO IURE INCURRUNT UNIVERSITATES, COLLEGIA ET CAPITULA, QUOCUMQUE NOMINE NUNCUPENTUR, AB ORDINATIONIBUS SEU MANDATIS EIUSDEM ROMANI PONTIFICIS PRO TEMPORE EXSISTENTIS AD UNIVERSALE FUTURUM CONCILIUM APPELLANTIA.

399. Differt hoc interdictum ab excommunicatione item contra appellantes ad futurum Concilium, de qua sup. sub excomm. IV. 1ae ser.; quippe ibi in singulas personas animadvertitur, heic in personas morales. Nihilominus singula harum membra interdictum tenet; alias foret inutile (c. 16. *de Sent. Excomm.* in 6°).

Ceterum cum interdictum huiusmodi non habeat vim censurae, clerici, qui ei causam non dederunt, si ordinem exercendo illud violaverint, non contrahunt irregularitatem.

Quaeritur, an incurrentes hoc interdictum etiam excommunicationem contrahant, quartam scilicet specialiter R. P. reservatam? Non puto (inquit *Comm. Reat.*); maxime quod ibi de singulis, heic de personis moralibus agitur. Ex quo praeterea licet intelligere, eos, qui moralibus hisce personis auxilium, consilium, vel favorem praestant, neque hoc interdictum incurrere; quia Const. nostra eos praeterit: sed neque illam excommunicationem hos incurrere; quia non singulis, de quibus ibi, haec praestant, sed personae morali. Vid. cit. *Comm. Reat.* n. 158.

Interdictum reservatum alteri.

III. SCIENTER CELEBRANTES VEL CELEBRARI FACIENTES DIVINA IN LOCIS AB ORDINARIO, VEL DELEGATO IUDICE, VEL A IURE INTERDICTIS, AUT NOMINATIM EXCOMMUNICATOS AD DIVINA OFFICIA SEU ECCLESIASTICA SACRAMENTA VEL ECCLESIASTICAM SEPULTURAM ADMITTENTES, INTERDICTUM AB INGRESSU ECCLESIAE IPSO IURE INCURRUNT, DONEC AD ARBITRIUM EIUS, CUIUS SENTENTIAM CONTEMPSERUNT, COMPETENTER SATISFECERINT.

400. Haec poena (inquit *Comm. Reat.*), uti antea, ita et hodie solos clericos tenet: ait enim Pontifex, *celebrari facientes... admittentes;* atqui haec eorum sunt, qui in locis sacris potestatem habent.

Duas autem partes habet hic articulus. Prima ad eos pertinet, qui celebrant vel celebrari faciunt divina in locis interdictis. *Divina* autem, ut alias (sup. n. sub excomm. XVII. 2. ser. et heic n. 381.), ea accipimus, quae solis Ecclesiae ministris fas est obire. *Celebrare* autem etc. nefas esse intelligendum est, ut in veteri iure, exceptis diebus et locis, et non servatis conditionibus, quibus tunc licuit. Porro veteri iure licet

in Ecclesia interdicta, si interdictum speciale est, sacrum facere semel in hebdomada ad renovandam Eucharistiam, ne desit morituris et in Conventualibus Ecclesiis licet legere horas canonicas binis et binis, vel tribus. Sin est *generale*, licet quotidie sacrum facere, et alia divina officia obire; sed non pulsatis campanis, ianuis clausis, exclusis interdictis et ita ut ab his, qui foris sunt, nihil exaudiri possit, videri nihil (vid. *Comm. Reat.* n. 160.).

Altera pars articuli ad eos pertinet, qui admittunt excommunicatos nominatim ad divina officia vel ad sacramenta, nempe excepta poenitentia et Viatico in articulo mortis. Verbum *admittentes*, indicat eos, ad quorum curam spectat prohibere vel admittere aliquem ad huiusmodi actum, idest ad eos spectat, qui regimen habent ecclesiae vel coemeterii. Ergo hi tantum interdicto tenentur, non vero alii clerici, qui more laicorum divinis adsunt, vel funus comitantur, neque qui consilium admittentibus vel favorem praestant.

Admittentes autem non quivis metus aut coactio excusat, sed gravis tantum; non enim heic additum est *sponte*, ut alias (sup. l. c.), nec id inconsulto omissum fuisse credendum est. Ceterum praeter interdictum aliae poenae canonicae, de quibus cap. 8. *de Privileg.* in 6°, eos non tenent.

In Const. *Apost. Sedis* ea quoque interdicta integra servantur, quae lata sunt et hactenus (cum ea Const. ederetur) vigebant sive pro Rom. Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcunque ordinum etc. collegiorum, locorum piorum etc. Cf. n. 337.

401. Item integra manere decernit ibidem Pius IX. interdicta decreta a Tridentina Synodo. Ea porro sunt sequentia.

Interdicta lata a Synodo Tridentina.

I. Non liceat Capitulis Ecclesiarum, sede vacante, infra annum a die vacationis, ordinandi licentiam aut litteras dimissorias alicui, qui beneficii ecclesiastici recepti sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere. Si secus fiat, Capitulum contraveniens ecclesiastico subiaceat interdicto. Sess. 7. c. 10. *de Reform.*

II. Crescente contumacia *(Episcopi nimirum absentis ultra secundum semestre tempus)*, Metropolitanus Episcopos absentes, Metropolitanum vero absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens sub poena interdicti ingressus Ecclesiae eo ipso incurrenda, infra tres menses per litteras seu nuntium Romano Pontifici denuntiare teneatur. Sess. 6. c. 1. *de Reform.*

CAPUT V.

* DE IRREGULARITATE. *

I. Etsi irregularitas non sit censura, propter similitudinem tamen, quam cum ea habet, communiter eidem annectitur: quapropter et hîc subiungo.

Recte monet A., tractationem de Irregularitate non huc proprie spectare: locus enim eius proprius, ut iam monuisse meminimus, est in tractatu de Ordine. Quemadmodum enim de impedimentis matrimonii agitur ubi de matrimonio, ita de Impedimentis Ordinis (irregularitates enim non sunt nisi impedimenta quaedam) agendum esset, cum de Sacramento Ordinis agitur. At difficile est, a via trita deflectere et non raro rationi praevalet consuetudo, utut minus rationalis. Cui occasionem forte dedit similitudo, quae intercedere visa est inter censuras et irregularitates praesertim cum ex his quaedam sint poenae. Nec nullum est emolumentum huius methodi; nam ex collatione facta cum censuris notio Irregularitatis clarior se prodit et plenior.

Dub. I.

Quid et quotuplex sit Irregularitas.

II. Resp. 1. Est impedimentum Canonicum susceptionem Ordinum sacrorum et susceptorum usum impediens. Unde sequitur non esse censuram, sed quasi inhabilitatem: etsi enim interdictum imponatur per modum poenae; proprie tamen poena non est. Laym. l. 1. tr. 5. p. 5. c. 1. Bonac. d. 7. q. 1. p. 1.

402. Suarez *de Censuris* disp. 40. sess. 1. n. 2. sic definit Irregularitatem: *est impedimentum canonicum ex se directe ac primario impediens acceptionem Ordinum ecclesiasticorum et consequenter usum etiam eorum.* Discrimen huius definitionis ab ea, quam A. tradit, in eo praesertim est, quod A. utrumque, nempe susceptionem Ordinum et eorum usum, *eodem pacto* impediri significat ab Irregularitate: Suarez nonnisi ex consequenti usum impediri dicit, per se vero Irregularitatem eo spectare, ut *susceptionem Ordinum* impediat et propterea, eo quod Ordines suscipere non licuit, impediat ab eorum exercitio. « Dolendum est, ait cl. d'Annibale V. 1. n. 399. not. 2., multos ex recentioribus in tradenda definitione Irregularitatis, ad Suaresianam definitionem, quae omnium accuratior est et a gravioribus Theologis recepta fuit, parum respexisse ». Sed et in eo peccat definitio Auctoris, quod addit *sacrorum*, ac si Irregularitas ab Ordinibus sacris h. e. maioribus tantum arceret; arcet enim per se a clero ideoque et a prima tonsura, ut idem A. ait in dub. seq.

403. Itaque cum non omnium sit status clericalis, sed conditiones quaedam requirantur pro eodem vel valide vel honeste saltem suscipiendo; sponte consequitur, impedimenta quaedam esse, quae arceant a clero. Et quidem aliqua sunt impedimenta iuris divini aut naturalis: sic mulier, sic non baptizatus, sunt iure divino inhabiles, sic pueri, illiterati, amentes prohibentur a sacerdotio. Huiusmodi inhabilitas sive ad valide sive ad honeste saltem suscipiendos Ordines, quam ipsum ius divinum vel naturale statuit, potest vocari irregularitas; sed, nisi accedat lex positiva Ecclesiae, nondum est ea Irregularitas, de qua loquimur. Haec est enim impedimentum lege ecclesiastica constitutum, ut idcirco dicatur *impedimentum canonicum.* Quo spectat principium certum in hac materia; *nullam esse irregularitatem, quae non sit in iure expressa* c. 18. *de Sent. Excomm.* in 6° (a).

Quapropter, qui iure tantum divino aut naturali arcentur a clero, erunt vel *inhabiles* vel *indigni: irregulares* vero ii proprie dicuntur, quos ius canonicum prohibet.

Impedimentum iure canonico inductum non est *irritans*, sed *prohibens;* non enim facit invalidam susceptionem Ordinum (quemadmodum habes impedimenta irritantia in matrimonio), sed solum illicitam. Suarez l. c. sect. 2. n. 1. Et quamvis, ait Schmalzgr. l. 5. tit. 37. n. 90., posset Ecclesia irritare susceptionem primae Tonsurae (idem dic de Ordinibus minoribus), nullo tamen iure constat id esse factum.

Quando ergo Irregularitas vocatur *inhabilitas*, haec ita est accipienda, ut sit inhabilitas non ad valide, sed ad honeste Ordines suscipiendos.

Effectus Irregularitatis est *privatio* quaedam, non mera negatio; ut eas personas afficiat, quae per se capaces forent et idoneae suscipiendis Ordinibus, sed propter legem Ecclesiae impedientem extorres fiunt e clero. Unde feminae non sunt proprie irregulares nec infideles et huiusmodi.

Neque omnis inhabilitas ad licitam susceptionem Ordinum est irregularitas, sed ea tantum, ut diximus, quam ius canonicum invexit. Sic qui in statu peccati est, illicite sacerdotium suscipit, sed haec indignitas non est irregularitas.

(a) At quid sit *esse expressum in iure*, dubitatur. Haec phrasis vim suam obtinet in iure *scripto*, in quo aliquid vere exprimitur clareque discernitur, in iure autem non scripto seu consuetudinario, quandiu scripturae non sit commissum, cum ipsum quadam caligine obvolvatur et incertitudine laboret, nihil est proprie expressum. Aiunt, Bonifacium VIII., cuius est axioma allatum, agnovisse in c. 1. *de Filiis presbyt.* in 6° irregularitatem iam vigentem, etsi nondum in iure scriptam, defectum nempe natalium quoad ordines minores, cum in iure decretalium l. 1. tit. 17. c. 1. haec irregularitas solum statuta esset quoad ordines sacros. Scilicet Bonifacius exprimendo illam in iure, sua auctoritate effecit, ut talis defectus certa esset irregularitas.

404. Irregularitates constituens Ecclesia, neque poenam intendit infligere neque medicinam adhibere, sed reverentiam spectat et dignitatem divini ministerii, ut ab eo repellat, quos iudicat ineptos vel indignos. Haec est ratio propria Irregularitatis, ut idcirco si quis ob aliam causam removeatur a suscipiendis Ordinibus, talis remotio non sit irregularitas. Sic lex vetans coniugatum recipere Ordines, invita uxore, lex vetans Ordines recipere ab alieno Episcopo, aliis ducuntur rationibus, nec sunt leges condentes irregularitatem.

Quia vero et a crimine oriri indignitas ad Ordines solet, sunt etiam irregularitates ab Ecclesia constitutae propter delicta quaedam, quae irregularitates, cum propter culpam ferantur, se habent ad instar poenarum, ut idcirco absente culpa et ipsae absint: at nihilominus etiam in his, quod primo et per se a lege intenditur, est reverentia debita divino ministerio, non punitio delinquentis, quae frequenter sane nullum effectum sortitur, cum delinquens non postulat ingressum in clerum.

Irregularitas ergo per se spectata nec censura est nec poena sed quaedam inhabilitas (eo pacto, quo explicavimus) vel, ut loqui amat cl. d'Annibale l. c. *macula*, secutus Catechism. Rom., qui ita Irregularitatem vocat *de Baptismo* n. 57.

405. Irregularitatis *effectus directus* est prohibitio a susceptione Ordinum, unde consequitur, ut et impediat usum eorundem et, cum forte afficit eos, qui Ordines iam susceperunt, prohibitione tantum usus contineatur. Scilicet Irregularitas per se arcet a clero et, si id non potest, arcet saltem ab exercitio ministerii clericalis, ut reiectus non sit in clero vel saltem non se gerat ut clericum. Primum vero quod intenditur, est remotio a statu clericali. Sane directa prohibitio usus Ordinum propria est suspensionis, quae tum censura est tum mera poena et solis proinde clericis competit. At oportebat esse legem, quae ipsam admissionem in clerum moderaretur, arcens eos, quos ad ordines suscipere non deceret; haec autem lex arcens seu prohibens a clero, est lex constitutiva Irregularitatum.

Quocirca Irregularitas capacitatem seu idoneitatem ad ingressum in clerum respicit eamque aufert quantum potest; suspensio, quod spectat ad Ordines, refertur tantum ad eorum exercitium illudque impedit. Suarez l. c. sect. 1.

Suspensio et ab Ordine est et a iurisdictione et a beneficio atque directe ab horum usu vel universim vel singillatim removet: Irregularitas autem nec beneficium tollit nec eiusdem fruitionem neque iurisdictionem: Suarez l. e. sect. 2. nn. 15. 20. 42. *Per accidens* vero et *ex consequenti* arcet a iurisdictione et beneficio, quatenus haec Ordinem supponunt et ipsa Ordinis impedit consecutionem.

406. Quaestio est, an Irregularitas inhabilem faciat recipiendo beneficio, ita ut eius collatio facta irregulari sit ipso iure nulla.

S. Alph. l. 7. n. 343. distinguit primum inter beneficia. Nam si beneficium sit simplex, nec habeat sibi iniunctum officium sive exercitium Ordinis sacri, sed tantum recitationem Horarum aut aliquid aliud, quod etiam laici possunt exercere, facile convenit inter DD., valide suscipi etsi illicite hoc beneficium ab irregulari. At si beneficium requirat exercitium Ordinis sacri, duplex, ait, est sententia. Et quidem sententiam affirmantem, collationem esse ipso iure nullam, vocat *communiorem* aitque sibi *probabiliorem videri* tum propter textus aliquos iuris et Trid. sess. 22. c. 7. *de Reform.*, tum quia beneficium datur propter officium.

At simul *probabilem satis* esse dicit sententiam negantem, pro qua non paucos affert DD. eamque probabilem habet Suarez, qui alteram solum ut probabiliorem tuetur l. c. sect. 2. n. 36.

Ratio est, quia non sunt imponendae poenae nisi in iure sint expressae: nullibi autem habetur expressum, quod Irregularitas reddat hominem incapacem beneficio et canones, qui opponuntur, probant quidem collationem beneficii irregulari esse illicitam, non tamen clare probant, eandem esse invalidam. Quocirca irregularis acceptando tale beneficium graviter peccat, sicut et qui illud ipsi confert, et illicite retinet, nisi dispensationem obtineat; attamen si suppleat per aliud munia beneficii, non tenetur fructus restituere. D'Annibale l. c. n. 401. not. 17.

Porro eo modo, quo de beneficio, disserendum est de ordinaria iurisdictione beneficio annexa (Suarez l. c. sect. 2. n. 42.). Imo et iurisdictio delegata irregulari censenda est valide delegata; quia nullo iure irritatur et est quid minus iurisdictione ordinaria. Suarez ibid.

Ex dictis sequitur, quod cum irregularitas privet quidem usu Ordinis, non tamen iurisdictione, absolutio data a confessario irregulari valida est, etsi illicita. Suarez ibid. n. 45., d'Annibale l. c. n. 401. not. 18.

407. Irregularitas arcens laicum a suscipiendis Ordinibus est individua, h. e. omnes Ordines prohibet ipsamque primam tonsuram; quia arcet a clero, per tonsuram autem fit ingressus in clerum et frustra ad Ordines praeparatur, qui ab Ordinibus prohibetur. D'Annibale l. c. n. 39.

Irregularitas autem superveniens clerico vel impedit quodlibet exercitium Ordinum susceptorum et ascensum ad superiores vel aliquod exercitium tantum. Si prius, adhuc censetur vera irregularitas; arcetur enim aliquis, quantum fieri potest, a clero, quemadmodum

excommunicatus ab Ecclesia: si alterum, ut cum presbyter in solo sacerdotali officio ministrare prohibetur, potius praeceptum quoddam est et prohibitio quam irregularitas. D'Annibale n. 10. ad n. 399. Sic enim adhuc aliquis est in clero et se gerit ut clericum. Cf. n. 613.

Irregularitas omnis est perpetua, h. e. sola dispensatione aufertur. Suarez l. c. sect. 1. n. 7.

Quocirca impedimentum, quod absque dispensatione ipso facto desinit, non est proprie Irregularitas. Nemo sane vulgo irregularem eum vocat, qui aetatem canonicam nondum est adeptus aut nondum potitur scientia cuique Ordini conveniente. Eodem pacto, quae per poenitentiam deletur, irregularitas non est. D'Annibale l. c.

Irregularitas nulla est ab homine, sed vi solius iuris et quidem (verius) solius scripti (c. 18. *de Sent. Excomm.* in 6° cf. d'Annibale l. c. n. 404. n. 3.). Ea ipso iure contrahitur, licet exprimatur in iure verbis futuri temporis; nullam sane sententiam hominis vel declaratoriam desiderat (Suarez l. c. sect. 4. n. 8.), ideoque statim contrahitur, licet sit occultissima. Trid. sess. 24. *de Reform.* c. 6.

Hinc quod requirit officium iudicis vel sententiam declaratoriam, Irregularitas non est. Non ergo Irregularitas continetur his verbis c. 1. dist. 48. *Convictus duobus vel tribus testibus cesset a clero.*

Qui irregularitatem violat, peccat et per se graviter, frangens Ecclesiae prohibitionem in re gravi: sed nullam hac violatione novam incurrit Irregularitatem (Navarrus *Consil.* l. 1. *cons.* 39. n. 2.) aut aliquam censuram. Iura enim in hac re silent.

408. Distinguenda est ergo Irregularitas a censuris, depositione aut degradatione atque a suspensione. Et quidem a primis absque difficultate secernitur: facile quoque a depositione aut degradatione, quae clericum iam supponunt et officium iudicis requirunt. Difficultas est identidem quoad suspensionem aut alias poenas, quae proprio carent nomine et tamen necesse est certo tenere, quoad eius fieri potest utrum hoc aut illud impedimentum sit necne irregularitas. Nam si est irregularitas, quam ius statuit, ea adhuc viget: si est suspensio, nisi ex iis sit, quas retinuit Const. *Apost. Sedis*, ea desiit (d'Annibale l. c. n. 407.). Loquimur de suspensionibus latae sententiae; nam suspensiones ferendae sententiae facillime ab Irregularitatibus secernuntur (n. praec.).

Itaque normas quasdam statuit cl. d'Annibale n. 403. Scilicet 1° inspicienda est ipsa *materia* legis. Si enim arcetur homo dumtaxat a beneficiis, a dignitatibus ecclesiasticis, si a solo usu eoque partiali Ordinum, non habetur Irregularitatis impedimentum: quamvis in postremo casu soleat Irregularitas vocari; sed est late dicta et minus

proprie. Item si ratio prohibitionis non est reverentia debita divinis ministeriis, sed ex alia ducta consideratione, puta quia coniugi ius quaesitum servandum est, impedimentum removens coniugatum a clero, invita altera parte, non est Irregularitas.

2° Inspicienda sunt *verba* legis. Nisi enim palam et manifeste verba arceant a clero, non habetur Irregularitas saltem certa: at Irregularitas dubia perinde est ac nulla; neque enim talis dici potest *expressa* in iure. Porro advertit idem A., Irregularitates in iure solere his formulis enuntiari: *Non fiat Clericus* (can. apost. 78.), *Non admittatur ad Clerum* (c. 13. dist. 34.), *Non ordinetur* (c. 1. *de Cler. non ord.*), *Ad sacros Ordines non adspiret* (c. 9. dist. 34.) vel *adspirare non audeat* (c. 4. dist. 55.), *Ad suscipiendum munus Clericatus impedit* (c. 4. caus. 1. q. 4.). Suspensiones vero his formulis efferuntur: *Exsecutionem officii* vel *Ordinis non habebit* (c. 1. *de Ordin. ad Episc. qui.*), *Careat Ordine* (c. 9. dist. 50.), *cesset a Clero* (c. 1. dist. 48.), *Irrita habeatur* vel *sit ordinatio* (c. 108. caus. 1. q. 1.), *Honore acquisito careat* (c. 15. caus. 1. q. 3.). Agit de his Berardi *Comm. in Ius Eccl. Univ.*, in 5^m^ Decretal. p. 2. diss. 4. c. 2.

3° Inspiciendae sunt *notae* seu *proprietates* Irregularitatis. Sane ut irregularitas sit, oportet, eam ipso iure contrahi absque ulla iudicis sententia, non deleri poenitentiâ, perpetuam esse, etiam sine ullo crimine contrahi, non tolli absolutione sed dispensatione; quamvis identidem in iure irregularitas praesertim ex delicto, dicatur improprie absolutione tolli. Cf. Berardi l. c.

409. Irregularitas, ut iam diximus, nulla est, nisi sit *expressa* in iure. Et, ut advertit cl. d'Annibale n. 404. n. 2., omnes Irregularitates continentur in Decretalibus, nulla in Extravagantibus, in Conc. Trid. in Constitutionibus Pontificum.

Quia vero *expressa* debet esse in iure, hinc principii loco colligitur irregularitatem dubiam seu de qua controvertitur, an sit in iure, nullam reapse esse seu pro nulla habendam esse.

Eodemque pacto nullus effectus irregularitatis admittendus est, qui in iure non sit expressus; absurdum quippe est, ait cl. d'Annibale l. c. not. 7., *certum* effectum causae *incertae* tribuere.

Pariter nunquam irregularitates producendae sunt ad casus similes etiam graviores; quia in odiosis versamur et semper verum est, eos casus non esse expressos in iure. Suarez, disp. 40. sect. 4. n. 15. s. Alp. l. 7. n. 347.

III. Resp. 2. Dividitur 1. in eam, quae est ex delicto et quae est ex defectu. 2. in totalem, seu proprie dictam, quae omni Ordine suscipiendo et suscepti exercitio privat, v. gr. homicidium, bigamia et in partialem, quae aliquo tantum Ordinis ministerio

privat, vel solo ascensu ad Ordinem superiorem: v. gr. oculis, vel palma Sacerdos carens inhabilis est ad Missam, non tamen ad confessiones audiendas, et Diaconus sinistro oculo carens inhabilis est ad Sacerdotium, in suo tamen Ordine ministrare potest.

410. Quamvis ratio Irregularitatis *ex delicto* sit, sicut et in alia, reverentia debita ecclesiastico ministerio, quia tamen illa propter delictum statuitur, induit quoque rationem poenae et idcirco, utrum nec ne sit contracta, iis regulis iudicandum est, quae valent in poenis. Cf. d'Annibale n. 409., qui non simpliciter poenam eam dicit, sed *instar poenae*. Cf. dicenda sub §. VIII.

Est qui ex his duobus membris: *ex delicto* et *ex defectu*, tria veluti faciat, secernens irregularitates ortas ex delictis, quibus cohaeret infamia, quae irregularitates utrum ex delicto proprie sint an ex defectu, (famae nempe) non satis constat.

A. meminit Irregularitatis quoque *partialis*. Placet magis distinctio, quam suggerit cl. d'Annibale n. 400. not. 11., ut alia sit irregularitas proprie dicta, alia lata significatione et minus propria, cuiusmodi haec est, quae partialis dicitur; quandiu enim quis a clero non arcetur neque ab ministerio clericali, nequit vere dici irregularis: nequit scilicet partim esse in clero partim extra clerum, sed vel non est, vel est in clero, quamvis non omnia ministeria cleri exerceat. Neque enim irregularem presbyterum dices, eo quod nequeat exercere ministerium episcopale. Porro irregularitas proprie arcet a clero vel saltem ab omni exercitio ministerii clericalis. Haec ergo, quae Irregularitas partialis dicitur, potius poena quaedam est aut privatio; quae cum nomine suo careat, dicta est, sed improprie, irregularitas. Etiam A. solam totalem dicit esse *proprie* Irregularitatem.

Dub. II.

Quinam effectus Irregularitatis.

IV. Resp. Sunt sequentes: 1. Inhabilitare ad Ordines suscipiendos, etiam primam Tonsuram et impedire exercitium Ordinum susceptorum. Unde Sacerdos irregularis, etsi valide, illicite tamen absolvit. Bonac. l. c. n. 4. et p. 4. 2. Quod collatio beneficii, ad cuius functiones inhabilis est, facta irregulari invalida sit, secundum sententiam communiorem et tutiorem: etsi non improbabiliter quidam dicant, eam non ipso facto irritam esse, sed merito irritandam. Laym. l. c. c. 1. n. 2. et 3. Sylv. etc. Bonac. p. 4. Secundum quam sententiam probabilem.

Resolves.

V. 1. Is, qui beneficium impetravit in Irregularitate, potest, obtenta huius dispensatione, illud in foro conscientiae licite retinere, sine nova collatione, etiamsi in dispensationis impetratione non sit facta mentio beneficii. Item, si postea beneficio privetur, non tenetur fructus restituere.

VI. 2. Graviter peccat, qui in Irregularitate exercet actum Ordinis, aut suscipit; licet Ordines ei collati sint validi.

411. Haec iam in praecedentibus declarare oportuit, ut haberetur notio Irregularitatis.

Quod A. ait de collatione beneficii cf. cum dictis v. 406. Illud autem tenendum est, a quo A. non abhorret. Irregularitatem versari per se et directe circa Ordines tantum vel suscipiendos vel exercendos. Cf. n. 405.

Dub. III.

Quomodo incurratur et tollatur Irregularitas.

VII. Resp. 1. Cum ab homine non feratur, nulla incurritur, nisi in iure expresse habeatur (cap. *Is qui, de Sentent. excomm. in* 6°). Unde in dubio sive facti, sive iuris, tenere potes, quod non sis irregularis; quia melior est conditio possidentis. Bon. q. 1. p. 5. ex Suar. Fill. etc. Excipe tamen, si dubites de homicidio saltem iniusto a te commisso; ut patet ex c. *Significasti,* et ex c. *ad Audientium,* 2. *de Hom.* Vid. Bonac. l. c.

412. In dubio *iuris* nullam censendam esse irregularitatem iam diximus. Verum et ipsum factum certum sit oportet, unde irregularitas oritur; quia ablata certitudine facti, iam ipsa irregularitas non est certa: si autem certa non est, ratio vetat, ne propter eam certae quis subiiciatur poenae vel damno; in dubiis enim favendum est reo qui heic esset ille, de cuius Irregularitate agitur. Atque perinde est, sive dubium sit negativum, sive positivum; nam tandem ratio eadem militat.

Nihilominus, quod ex conditione dubii positivi procedit, si dubium positivum adest, res prius accurate exploranda est, ut dubium, si fieri potest, exuatur; nisi forte ex mora inquisitionis grave damnum sit metuendum, si ex. gr. dum expenditur dubium, occasio suscipiendi Ordinem, nanciscendi beneficium praeteriret. D'Annibale n. 404., Suarez disp. 4. sect. 5. nn. 13. 14. Extra hunc casum, manente dubio positivo gravi, quoniam in his casibus dispensare Episcopus potest, consultius est, ait d'Annibale ibid., dispensationem ab eo petere, ne irregularitas obsit, si forte postea apparuerit, vere contractam esse. Neque enim proderit defectus scientiae praecedens, si deinde constet veritas facti, quo posito, iam ipso iure contracta fuit certe Irregularitas.

413. Excipitur dubium *facti* in casu *homicidii:* illud enim, ex speciali dispositione iuris, sufficit ad irregularitatem. Non tamen qualecumque dubium facti ad id est satis; sed requiritur, ut quis certus quidem sit de homicidio secuto, dubitet autem an ipse actione sua,

quam exercuit fuerit illius causa. S. Alph. n. 347. Colligitur haec exceptio ex claris textibus iuris: cf. cc. *Significasti*, *Ad Audiendum*, *Sicut ex litterarum*, *Petitio tua*, *de Homicidio*. At dubito sane, an heic de Irregularitate sermo sit et probabilius de suspensione tantum agitur. Nam agitur de poena infligenda per sententiam iudicis (cf. Gonzales ad c. *Ad Audientiam*): omnis autem irregularitas ipso iure contrahitur (n. 406.); tum poena optime accipi potest suspensionis et irregularitas non est expressa.

Porro adverte cum s. Alphonso n. 347. dub. 3., irregularitatem (si quidem irregularitas est), quae his canonibus statuitur propter dubium homicidii, 1° esse eam, quae vocatur *partialis*, contentam abstinentia a ministerio altaris seu celebratione Missae (cf. c. *Ad Audientiam* coll. c. *Significasti*): agitur sane in canonibus citatis semper de presbytero: 2° eam proinde afficere tantum clericos (reapse sacerdotes) non laicos clerum ingressuros. Quocirca potius mera quaedam poena est vel privatio, quam proprie dicta irregularitas. Ratio est scandalum seu offensio populi, qui celebrare videat, quem reum homicidii suspicatur (c. *Significasti* cit.).

Monet propterea idem s. Doctor, hanc irregularitatem eum tantum effectum habere, ut ministerio altaris privet, nisi dispensetur: in ceteris sacerdotem perinde se gerere posse ac prius.

Haec autem valent solum in dubio homicidii, non mutilationis, de qua iura non loquuntur. Cf. Suarez disp. 40. sect. 6.

VIII. Resp. 2. Ut incurratur irregularitas ex delicto, requiritur actus externus consummatus et mortalis, ut habet communis contra Caiet. Ratio est, quia est gravis poena et difficulter relaxatur.

414. Eadem ratio est ac in censuris. Hinc infert s. Alph. n. 348., quod si quis, quacumque ex causa, excusetur a mortali, immunis est quoque ab hac Irregularitate. Collige exinde per transennam, cum eodem s. Doctore, quod praeceptum latum sub poena Irregularitatis, censendum sit obligare sub mortali.

Quemadmodum vero dictum est de censuris, peccatum grave esse debet quoad actum tum internum tum externum: d'Annibale n. 409.

Ab hac Irregularitate ex delicto incurrenda excusat gravis metus, sicut est de censuris et eadem est ratio.

Quaestionem esse dicit idem Doctor n. 349. inter Theologos, an Irregularitas contrahatur, si crimen externum quidem sit et consummatum, attamen prorsus occultum, ut soli delinquenti sit notum. Etsi quidam universim negent, quidam id in solo homicidio valere velint: sententia tamen affirmans, quam *veriorem* dicit s. Alph., tenenda est. Nam nimis manifestus est Ecclesiae sensus, quae dum Episcopis

potestatem facit dispensandi in Irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, reservato Pontifici occulto homicidio (Trid. Syn. sess. 24. c. 6.), ponit hoc ipso Irregularitatem contrahi, etsi crimen sit occultum. Occultum autem comprehendit formaliter et illud, quod est *prorsus* vel *omnino* occultum; imo hoc est verissime occultum. Cum ergo Ecclesia possit et ea soleat crimina externa etiam occultissima punire, ut patet ex. gr. in excommunicatione propter haeresim occultam, heic vero doceat propter occulta quoque crimina contrahi Irregularitatem: arbitraria prorsus censenda est hac in re distinctio inter *occultum* et *prorsus occultum:* nisi Auctores primae sententiae, qui negant in iure Irregularitatem haberi propter crimen *omnino occultum*, demonstrent sub nomine *occulti* apud Trid. Syn. non venire quoque *omnino occultum.*

415. Restat duplex quaestio: 1° an ad incurrendam Irregularitatem ex delicto requiratur scientia legis ecclesiasticae prohibentis delictum: 2° an requiratur scientia ipsius poenae impositae, nempe Irregularitatis.

1° In priore quaestione sententia communior et s. Alphonso probabilior illud idem affirmat de Irregularitate, quod affirmari solet de censuris, nimirum requiri notitiam legis ecclesiasticae prohibentis delictum. Per se id non foret necessarium; quia non agitur de punienda contumacia contra Ecclesiam, sed de indecentia quadam removenda, quam crimen certe habere potest, etsi sit tantum contra legem naturalem, quae est ratio, qua motus est Suarez disp. 40. sect. 5. n. 10. ad negandum, requiri scientiam legis Ecclesiae. Nihilominus et ipse censet, affirmantem sententiam esse probabilem.

Ratio sententiae affirmantis colligitur ex ipso Ecclesiae sensu, quae significavit, se hoc pacto Irregularitatem statuisse. Nam c. *Postulasti* 2° dist. 82. Innocentius I. (epist. 3ª ad Exsuperium), de incontinentibus clericis interrogatus, refert primo legem praedecessoris sui Siricii, quae incontinentes non admittebat ad ecclesiasticum ministerium et clericos incontinentes omni honore privabat: ubi habes Irregularitatem constitutam. Deinde vero, quia clerici illi incontinentes de quibus quaerebatur, legem Siriciii ignoraverant, negat eos Innocentius esse ita puniendos, ut ab officiis clericalibus abstinere cogantur, subituri deinceps hanc poenam, si post notitiam habitam legis Siricii, contra eam peccaverint.

Sane poena haec Irregularitatis incurritur vi solius legis ecclesiasticae; lex autem poenam inferens per se non operatur nisi in trasgressorem suum; ut vero quis sit transgressor legis, debet eam nosse; ergo ignorans legem Ecclesiae punientis quoddam crimen poena irre-

gularitatis, etsi crimen illud admittat, poenam eam non contrahit, quia non transgreditur Ecclesiae legem. Haec ratio, ait Suarez, videtur probabilis: s. Alphonso autem l. c. videtur certa.

2° In altera quaestione, an requiratur notitia ipsius poenae nempe Irregularitatis, s. Alph. n. 350. sententiam negantem vocat *valde probabilem*; affirmantem, *satis probabilem*.

Ratio huius patet ex dictis in tr. I. Vol. 1. 57. ad 5m poenas nempe extraordinarias non incurri, si ignorentur: haec autem est certe poena extraordinaria. Id, quod Suarezio probabile tantum fuit, modo *instar regulae* est, poenas extraordinarias ab ignorantibus non incurri: ait d'Annibale V. 1. n. 312. not. 75. Atque ita loquitur Schmalzgr. lib. 5. tit. 37. n. 109. hanc ipsam versans quaestionem.

Docet idem Schmalzgr. n. 91. Irregularitatem *ex delicto*, supervenientem Ordini iam suscepto, praestare omnem effectum, quem potest, h. e. privare quolibet exercitio Ordinis suscepti et impedire progressum ad superiores.

IX. Resp. 3. Irregularitas non tollitur per absolutionem, sed per dispensationem, hac vel simili forma: *Dispenso tecum in Irregularitate, quam vel quas, ob hanc* vel *illam causam, incurristi*. Et, si quidem dispensans intendat tollere omnes idque possit, omnes tollit: sin minus, eam tantum tollit, quam potest et vult. Etsi vero haec dispensatio ad Pontificem spectet; ex iure tamen novo Trid. ubi est receptum, potest Episcopus dispensare in irregularitatibus provenientibus ex delicto et non deducto ad forum contentiosum, nisi tamen sit homicidium directe et in se volitum. Bonac. q. 5. p. 1. n. 3. ex Trid. sess. 24. c. 6. Suar. Sanch. Filliuc. etc. Laym. c. 9. n. 4.

416. Discrimen inter dispensationem et absolutionem dedimus superius n. 9. Irregularitatis ablatio, cum gratia sit, dispensatione fit. Dispensationi aequivalet privilegium concessum professioni religiosae, de qua in seq. Resp. Alios quidem modos recenset cum aliis s. Alph. n. 352. quibus desinit Irregularitas: sed praestat dicere, eas, quae aliter quam per dispensationem aut professionem auferuntur, non esse proprie Irregularitates.

Primus modus, ait s. Alph. l. c., est, cum causa Irregularitatis cessat, ut Irregularitas, quae est ex defectu aetatis, scientiae, paupertatis: at quaenam macula est, carere aetate, scientia requisita ad Ordines, ad Episcopatum, carere patrimonio?

Alter modus, ait idem, est per baptismum, ut si quis ante baptismum patravit homicidium, suscepto baptismo non manet irregularis. Verum nec antea fuit irregularis, tum quia Irregularitas supponit subiectum capax Ordinum et talis non est infidelis, tum quia haec Irregularitas est poena, qua nequit Ecclesia plectere infidelem.

Tertius et quartus modus recensiti a s. Alph. ii sunt, quos memorat A.

Dispensatione ergo tollitur Irregularitas: est autem legislatoris proprium dispensare.

Atque Irregularitates ex defectu Papa solus dispensat (quadam excepta, de qua infra). In iis, quae sunt ex delicto, distinguendum est. Nam in Irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto concessum est a Trid. Syn. sess. 24. c. 6. *de Reform.* (oportet ergo Trid. Syn. esse receptam) Episcopis dispensare, *excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario et exceptis aliis* (utique ex delicto) *deductis ad forum contentiosum* (cf. interim iam dicta *de Censuris* n. 147. seqq.). ideoque et in Irregularitate ex haeresi occulta, si ponas per eam contrahi Irregularitatem (v. infra sub infamia).

417. Itaque 1° haec potestas facta a iure Episcopis dispensandi est ordinaria et potest ab ipsis delegari.

2° Sermo est de *Episcopis*, non simpliciter de *Ordinariis:* inferiores ergo Episcopis habentes iurisdictionem ordinariam et quasi episcopalem, non comprehenduntur hoc privilegio. Suarez disp. 41. sect. 1. n. 7. ex declaratione s. C. C.

3° Si nequeat homicidium dici absolute voluntarium, ut si quis in sui defensione excedat moderamen inculpatae tutelae et occidat aggressorem, potest Episcopus dispensare. S. Alph. n. 395. Etsi *Multum* excedat moderamen, ait d'Annibale not. 14. ad n. 429.

Item homicidium ex impetu, in rixa non censetur absolute voluntarium: d'Annibale ibid. et contrariam opinionem s. Alph. n. 349. vocat tantum probabiliorem. Scilicet *voluntarium* illud presse intelligitur, quod *sponte et ex proposito fit.* D'Annibale ibid.

4° Synodus opponit delictum *occultum* et delictum *deductum ad forum contentiosum:* quandiu ergo delictum deductum non fuerit ad forum contentiosum vel si deductum fuit, non ibi probatum, dispensare Episcopus potest; adhuc enim consetur occultum, iuxta oppositionem institutam ab ipsa Synodo. Suarez disp. 41. sect. 1. n. 6. (cf. *de Censuris* nn. 249. seqq.).

Excipe tamen delictum homicidii voluntarii, nam hoc per se excipitur a Synodo, quamvis sit occultum. Atque de hoc crimine iam eadem Synodus sess. 14. c. 7. *de Reform.* statuerat: *Qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id nec ordine iudiciario probatum nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit.*

Solus ergo Papa in hac re dispensare potest.

5° Verum si delictum occultum, etiam homicidium et exinde orta irregularitas, nequit sine gravi periculo manifestari, non eget dispensatione. D'Annibale not. 19. ad n. 406. Cf. heic n. 7. 4°., nec dissentit cl. Michael Lega Praelect. in textum I. C. vol. 3. n. 257.

6° Exceptio Irregularitatis ex homicidio non comprehendit eam quae est ex mutilatione; a qua proinde occulta licet Episcopis dispensare.

418. Non licet ergo Episcopis dispensare in Irregularitate tum ex defectu (prout dictum est), tum ex delicto non occulto, tum ex homicidio quoque occulto: verum in his etiam duplex admittitur exceptio. Nam primo dispensare possunt in omnibus irregularitatibus dubiis; Cf. d'Annibale n. 406. et s. Alph. n. 400. Idcirco quoties probabiliter disputatur, utrum aliqua Irregularitas sit ex defectu an ex delicto, si id occultum sit, dispensare Episcopus potest.

Secundo, si causa gravis et urgens instet, nec pateat aditus ad Papam, dispensare potest Episcopus is scilicet qui ordinare potest, ad suscipiendos Ordines, in Irregularitatibus ex defectu, etiam ex homicidio occulto. D'Annibale ibid. s. Alph. n. 391. *Ad suscipiendos*, inquit d'Annibale, nam ad *exercendos* susceptos, putat dispensari talem ab Episcopo posse sub ea conditione, ut is, qui Irregularitate laborat, recurrat quam primum ad Sedem Apostolicam. Sane ad exercitium quod spectat, difficile admodum erit, causam gravem et urgentem habere locum.

Tandem si Episcopus ipse in Irregularitatem incidat, a qua alios dispensare potest, licet ei delegare alteri facultatem ipsum dispensandi. (Suarez disp. 41. sect. 2. n. 9.) vel secum ipse immediate dispensare. Cf. tr. III. Vol. I. 417. seqq.

An Episcopus, qui haereticum abiurantem in foro externo absolvit a peccato et censura, potest ipsum absolvere ab Irregularitate? Cum sit Irregularitas *ex infamia* solus dispensat Papa, nec consequens est tolli Irregularitatem eo quod per absolutionem deletum sit peccatum. Irregularitas enim non exigit subiectum in statu peccati atque perseverare valet cessante causa. Cf. Lugo *de Fide* disp. 23. sect. 4. Albizzi de *Inconst. in Fide* c. 25. n. 41. seqq.

Opus tamen non est advertere id, quod in omni dispensatione facta ab inferiori valet, eam nempe validam non esse, nisi ex iusta causa fiat.

X. Praeterea Irregularitas ex defectu natalium tolli etiam potest per professionem in religione approbata, sed quoad Ordines tantum, non quoad Praelaturas, c. 1. *de Filiis Presbyterorum*. Bon. p. 2. Laym. c. 9. n. 6. Suar. Sanchez, Less. contra Villal. qui apud Dian. p. 4. t. 2. r. 65. dicit tolli quoad omnia solita gubernari per Fratres illius Ordinis, ut Prioratus, Praeposituratus, Rectoratus et cetera munia. Circa quae Praelatos saltem posse cum iis dispensare, in Capitulo tamen Generali vel Provinciali, notat Dian. . c. ex Barbos.

419. Textus iuris est c. 1. *De filiis presbyt.* « Ut filii presbyterorum et ceteri ex fornicatione nati ad sacros Ordines non promoveantur nisi aut monachi fiant, vel in congregatione canonica regulariter viventes (al. vivant). Praelationem vero nullatenus habeant ».

Huius ergo canonis vi professio religiosa non omnem Irregularitatem, sed eam tantum, quae est ex defectu natalium, aufert. Et cum in iure nullus alius effectus quoad hoc professioni asseratur, illo tantum contenta esse debet. Sanchez *de Matr.* l. 6. disp. 86. n. 4.

Quia vero praelaturas prohibetur talis professus obtinere, is certe non potest, absque ulteriore dispensatione, ad Episcopatum promoveri.

An ad ordinarias praelaturas sui Ordinis promoveri possit, quidam affirmant; sed aliud est, per solam professionem iam ad eas reddi habilem, non obstante defectu natalium, aliud posse, sive ex privilegio sive ex consuetudine, praelatos Ordinis vel generale Capitulum dispensare, ut A. refert; qua de re potissimum sunt consulenda cuiusque Ordinis privilegia. Ceterum haec inhabilitas, si qua sit, non est Irregularitas; ideoque opus non est de ea heic disputare.

Unde resolves.

XI. 1. Solus Papa et qui ab eo accepit privilegium, potest dispensare in irregularitatibus ex defectu.

420. Per se solus legislator dispensare a sua lege potest, nisi aliis conferat facultatem dispensandi: porro facta est a iure aliis h. e. Episcopis facultas dispensandi in Irregularitate ex delictis et quidem occultis, quemadmodum dictum est, non vero in Irregularitate ex defectu (quandam exceptionem dabimus suo loco): ergo. Quae cum dicimus, praescindimus a privilegiis, quae forte Regularibus concessa sint.

XII. 2. Confessarius in nullis irregularitatibus potest dispensare, nisi habeat speciale privilegium a Papa.

421. Irregularitas ad forum externum spectat neque impedit ne sacramentalis absolutio recipiatur. Opus ergo non est, ut confessarius polleat potestate in hac re dispensandi et sane eadem caret, citra privilegium.

Quaerere heic licet, quo privilegio in hac re gaudeant Regulares.

S. Alph. n. 469. affirmat Praelatos regulares privilegium habere universim dispensandi *suos subditos* in omnibus irregularitatibus, excepta proveniente ex homicidio voluntario. Tale sane privilegium concessit Pius V. Const. *Ad immarcescibilem* 6. Febr. 1567. §. 16. Patribus Theatinis erga quoslibet religionem ingredientes.

Amplius forte privilegium concessit idem Pius V. Congregationi Cassinensium Const. *Dum ad Congregationem* 15. Iun. 1571. §§. 1. et 2. nimirum dispensandi quoque ab irregularitate contracta ob crimina sive publica sive occulta homicidii voluntarii seu mutilationis membri, sed in foro conscientiae tantum, *suos subditos*, etiam novitios,

dummodo haec duo crimina commissa non fuerint post ingressum in Religionem.

Advertendum nihilominus in tali concessione haud comprehendi homicidium *per industriam et per insidias patratum* neque homicidium *ex procuratione abortus foetus animati.*

Obstat scilicet decretum Trid. sess. 14. c. 7. superius recitatum et Const. Sixti V. *Effraenatam* 29. Nov. 1588. et Const. Gregorii XIV. *Sedes Apostolica* 31. Maii 1591.

Externos vero seu seculares poenitentes possunt Confessarii Regulares, secundum Conc. Trid. approbati et a superioribus ad audiendas confessiones externorum deputati, dispensare, pro foro conscientiae, super irregularitatibus provenientibus *ex delicto occulto*, dummodo contractae non sint ex homicidio voluntario, mutilatione membrorum et bigamia. Concessit id Sixtus IV. Ordini Minimorum Const. *Sedes Apostolica* 29. Maii 1474. §. 7. quam concessionem in specie confirmavit Iulius II. Const. *Dum ad sacrum* 28. Iul. 1506. §. 24.

Praeterea Patribus Congregationis a Passione D. N. I. Ch. concessit Pius VI. Rescripto 27. Maii 1789., ut dum sacris missionibus vel publicis Exercitiis tradendis incumbunt, dispensare possint, pro foro conscientiae et in actu sacramentalis confessionis tantum, poenitentes ab omnibus irregularitatibus occultis, etiam *specialem, expressam et individuam mentionem* alias *exigentibus.*

422. Quaerit Suarez disp. 41. sect. 2. n. 14. an Collegium Cardinalium dispensare ab Irregularitate posset eum, qui esset in Pontificem eligendus. Vel ipsum Collegium, quod omnia potest necessaria et convenientia electioni, dispensat, vel iam ipsa lex, quae methodum statuit electionis, antecedenter dispensavit, si idoneus reperiatur, vel nulla est opus dispensatione. Nam Irregularitas est respectu Ordinum. Papatus autem non est Ordo: simul vero ac quis Papa est creatus, exuitur qualibet macula Irregularitatis, cuius lege non amplius tenetur et sic, si episcopalem characterem nondum habet, consecrari potest in Episcopum.

Dub. IV.

De Irregularitatibus ex delicto.

XIII. Resp. Prima est ob iteratum Baptismum serio et scienter estque irregularis am baptizans, quam baptizatus; etsi in baptizante irregularitas tantum sit partialis, ne Clericus ad altiorem Ordinem possit ascendere, neque incurratur, si rebaptizatio sit occulta. Covar. Tolet. M. Leo p. 3. f. 358. V. Bon. d. 7. q. 3. p. 3. Laym. l. 1. t. 5. p. 5. c. 2.

423. Cf. primum dicta nn. 414. seqq. Irregularitates omnes ex delicto quae adhuc vigent, complectitur versiculus:

Fonte reus, sacris, censura, crimine, leto.

Nunc de prima. Attendendae sunt omnes conditiones, quas A. recenset. Oportet 1° veram esse (tentatam utique) iterationem baptismi, ideoque adesse materiam et formam atque intentionem conferendi baptismi: 2° iteratio debet esse *scienter* facta: 3° *serio*, cuiusmodi non esset si deesset intentio, vel si conferretur sub conditione (etsi id temere et culpabiliter fieret s. Alph. n. 356. cf. dicta *de Baptismo* Vol. IV. 742.). 4° *Publica* rebaptizatio esse debet: notoria proinde, imo et *sollemnis:* nam hoc pacto quidam nec immerito accipiunt publicum vel requirunt ad publicum: ut ergo minimum teneamus, dicamus rebaptizationem debere esse sollemnem et notoriam. D'Annibale n. 410. Ut autem notoria sit, constare debet uterque baptismus, datus nempe et iteratus et ut sit iteratio sollemnis, utrumque oportet sollemniter esse administratum.

Irregularitas haec tenet tum rebaptizatum tum rebaptizantem ac proxime ad rebaptizationem concurrentes: quia vero poena est delictum supponens h. e. contemptum sacramenti, non afficit rebaptizatum infantem aut inconscium iterationis.

Canones, qui huc faciunt, hi sunt. C. 65. dist. 50. qui est ex Concilio quodam Carthaginiensi: *Nunquam permittendum, ut rebaptizati ad Clericatus gradum promoveantur.* Canon hic, etiam a Gratiano relatus, vim non habet legis pro universa Ecclesia et si is solus afferatur, nescio, quî verum sit, hanc Irregularitatem ex passiva iteratione baptismi esse expressam in *Iure*, in iure, inquam, quod Ecclesiam obliget. At exstat et decretum Felicis III. quod afferemus sub n. seq.

Alter canon est *Ex litterarum, de Apostatis:* sermo est de Acolytho, qui rebaptizanti ministravit: cui haec poena statuitur: *quod ad superiores Ordines promoveri, si publicum est quod proponitur, non valebit, nisi ad religionem transire voluerit, ut favore religionis ipsius circa eum valeat dispensari. Si vero occultum est, promoveri poterit et excessum suum dignis poenitentiae fructibus expiare.* Obiter perpende, religionis ingressum non abstergere Irregularitatem, sed faciliorem reddere eius dispensationem.

Porro heic de acolytho tantum seu ministro sermo est non de ipso rebaptizante: at adeo ridicula foret et absurda interpretatio, ut acolythus quidem irregularis esset, non vero baptizans, si saltem et ipse clericus sit, ut omnium DD. consensu, nemine dempto, intelligatur haec poena vi huius canonis ad ipsum clericum rebaptizantem extensa. Nam certe et ipse concurrit, imo est causa principalis rebaptizationis.

Rebaptizans et cooperans proxime actui rebaptizationis prohibentur ad *superiores Ordines* promoveri: est ergo horum Irregularitas ad alios suscipiendos Ordines, non ad exercendos iam susceptos. D'Annibale l. c. ideoque partialis, minus proprie dicta: cf. n. 410.

424. Notat s. Alph. ibid. Irregularitatem ratione baptismi contrahi ab iis quoque, qui, absque ulla necessitate, baptizantur ab haeretico (utique declarato), qui scilicet adulti cum sint, sponte ab haereticis baptismum suscipiunt. Nam infantes baptizatos ab haereticis in secta haeretica non excludi a Clero, constat ex c. *Placuit,* q. 4. caus. 1. et c. seq. Illud colligitur ex decreto Innocentii I. relato caus. 1. q. 1. c. 18. *Ventum est.* Ita sane se habet sententia Pontificis: « Nostrae lex est Ecclesiae, ait, venientibus ab haeresi, qui tamen illic baptizati sunt, per manus impositionem, laicam tantum tribuere communionem nec ex his ad Clericatus honorem vel exiguum subrogare ». Duas conditiones Pontifex requirit, nempe ut quis e secta haereticorum veniat atque in ea baptizatus fuerit (frequenter enim tunc baptizati in catholica ad sectam haereticam deflectebant). Qui autem sponte ab haeretico denuntiato baptismum suscipit is videtur eius sectae, si quam habet, se adiungere. Clarior res fit, puto, alio decreto: *Qui in qualibet aetate alibi quam in Ecclesia catholica baptizati aut rebaptizati sunt* (hoc est alterum, puto, delictum distinctum a praecedente), *ad ecclesiasticam militiam prorsus non permittantur accedere*, ait Felix. III. c. 10. q. 7. causa 1. *In qualibet aetate* intellige *adulta,* iuxta canones 3^{m} et 4^{m} q. 4. caus. 1. et responsum s. C. C. ann. 1718. (thes. resol. tom. 1. p. 60.). Porro qui ab haeretico eoque denuntiato sponte baptizatur, is non baptizatur in Ecclesia catholica. Is ergo, sicut et baptizatus in secta aliena ab Ecclesia, arcetur a clero.

Cum haec Irregularitas poena sit, ab ea necessitas excusat, quae contemptum Ecclesiae veraeque fidei excludit. Qui ergo, instante, puta, mortis periculo, baptismum ab haeretico suscipit, ne pereat, is neque in foro externo irregularis habetur.

Eadem vero ratio, quod nempe sit poena, excusare ab hac Irregularitate debet etiam *bona fides*, qua quis hoc pacto baptismum suscipit et certe in foro interno excusat. At in foro externo, si quis in secta haeretica baptismum accepit, bona quidem fide, quia censebat eam esse veram Ecclesiam, irregularis habebitur, nisi bona fides demonstretur.

Si baptismus in secta haeretica acceptus dubius sit, ut idcirco redeuntes ad catholicam fuerint sub conditione baptizati, Irregularitas quoque, quatenus ex baptismo est, dubia erit, ideoque practice nulla.

Haec Irregularitas Ordinum omnium susceptionem impedit et ex consequenti exercitium.

425. S. Alph. l. c. meminit etiam Irregularitatis, quam contrahit, qui differt baptizari usque ad mortis periculum et citat c. unicum dist. 57. qui negat fieri debere presbyterum (ut fert ipse titulus) eum, qui in aegritudine constitutus baptismo est ablutus. Sed haec potius

ex defectu Irregularitas, si qua est, censenda erit, ut infra dicetur. Neque enim in huiusmodi clinicis, ut veteres loquebantur, opus est crimen aliquod reperire.

Porro ex iteratione aliorum sacramentorum nempe Confirmationis et Ordinis, nulla Irregularitas incurritur, secus ac censuerint quidam veteres; quia nullo iure est expressa.

XIV. Secunda ex violatione censurae, v. gr. si ea innodatus actum aliquem Ordinis sollemniter exerceat, nisi invincibilis ignorantia excuset. Laym. c. 3.

XV. Tertia, ob peccatum, quo Clericus serio et scienter actum Ordinis sacri, quem non habet, sollemniter exercet. Bonac. l. c. p. 6. Laym. l. c. c. 3.

426. Utraque sita est in exercitio indebito Ordinis sacri, quatenus exercetur vel Ordo, qui non habetur (cc. 1. 9. *de Clerico non ordinato*) vel exercetur, obstante censura, qua vel ipse exercens innodatus est, vel percussus est locus (interdictum) in quo celebrat. Quod sacrum ministerium exercens *suspensus* aut *personaliter interdictus,* vel qui scienter celebrat *in loco interdicto*, fiant irregulares, constat ex cc. 1. 18. 20. *de Sent. Excomm.* in 6°. Cf. Suarez disp. 27. sect. 2. n. 3. Quoad *excommunicatos*, mirum est in toto Titulo *de Clerico excommunicato ministrante* nunquam id disserte dici ac solum indirecte ex ultimo canone colligi. Cf. Suarez disp. 11. sect. 3. n. 2. Dicitur quidem satis id significari c. *Si quis Episcopus in Concilio* 7. causs. 11. q. 1., qui canon est tamen Concilii particularis, in quo Episcopus, presbyter, diaconus excommunicati, si post excommunicationem praesumpserint facere oblationem vel matutinum aut vespertinum sacrificium quasi in officio suo agere sicut prius, privantur *spe reconciliationis:* quibus in verbis nequit dici aperte expressa Irregularitas. Unde tandem Suarez l. c. n. 3. confugit ad canones, quibus suspensus administrans irregularis fieri dicitur, ut par sit ratio in excommunicato idque consensu DD. munit: quae tamen conclusio non satis cohaeret cum principiis communiter statutis de Irregularitate, ut ea sola sit, quam iura aperte exprimunt et non valeat a simili collectio etiam ad aliquid gravius. Quidquid sit, haec est sententia communis et in ea acquiescimus.

Utraque Irregularitas 1° afficit clericum, non laicum; de altera res per se est evidens, sed et de tertia; quod colligitur ex ipso *titulo,* cui subsunt capita citata: *De clerico*, dicitur, *non ordinato ministrante.* Ministratio proinde baptismi, de qua in 1° canone ibid. sermo est, intelligenda est sollemnis, quae diaconum saltem requirit.

2° Ordo, qui exercetur, debet esse sacer; nam minores, ex inducta consuetudine, a laicis quoque exerceri possunt et quidem eodem pacto ac a clericis. Porro cum sacramenta administrantur, ad quae per Ordinem potestas datur, Ordo exercetur: sic sacerdos absolvens, Episcopus ordinans exercent Ordinem acceptum.

3° Quocirca oportet, ad incurrendam irregularitatem, ut Ordo exerceatur sollemniter, fiat scilicet tanquam ex proprio officio. Porro ut dignoscatur, an Ordo exerceatur necne sollemniter, adverte cum d'Annibale n. 411. not. 30., quod si actus est huiusmodi, ut ab iis solis exerceri possit, qui talem Ordinem habent, is semper sollemniter exerceri dicitur: talis est absolutio a peccatis, extrema Unctio, quae a solo presbytero, Confirmatio, quae a solo Episcopo vel presbytero instructo commissione Pontificis, administrari possunt. Si autem actio et ab aliis sine Ordine exerceri potest, tunc sollemniter peragi dicitur, cum ea forma peragitur, quae propria est Ordinis. Quocirca si clericus minor subdiaconum agat absque manipulo, aut ad lotionem pedum in Coena Domini Evangelium canat sine stola, irregularis non fit. Suarez disp. 42. sect. 5. n. 1. At si quis clericus inferior Diaconum agat assistendo in Missa presbytero vel Episcopo, functiones proprias Diaconi exercendo, irregularis fiet, puto, etsi careat stola.

Ceterum cum Ordo sollemniter exercetur, nihil refert, actum, propter defectum iurisdictionis, forte irritum esse, ex. gr. si vitandus absolvat a peccatis; quia revera exercet Ordinem: quae est communissima sententia, ait idem auctor l. c. et constat ex c. 2. *de Clerico non ordinato*, ubi irregularis decernitur Diaconus, qui, non ordinatus presbyter, Missam celebravit, in qua profecto confecit nihil. Cf. *de Cens.* n. 257.

4° Exercitium indebitum ordinis debet *temere* fieri c. 1. tit. cit. Ideoque *scienter*. Cf. et c. *Is qui*, *de Sentent. Excomm.* in 6°.

5° Debet etiam *serio* fieri: hoc est non *per iocum*, nempe ad modum cuiusdam repraesentationis: ita ut actio externa ludicra appareat, scilicet appareat fieri non ad exercendum Ordinem, sed a repraesentandum tantum. Sic enim nullatenus Ordo exercetur et quamvis peccari possit (etiam graviter si ex contemptu fiat), non ideo contrahitur Irregularitas, de qua ius silet.

Quid vero si *ficte* tantum fiat, h. e. actio quidem exterior tota serio ponatur, sed sine intentione exercendi Ordinem? Advertit Suarez disp. 42. sect. 4. n. 17. quod clericus non presbyter, si celebret, cum sciat (excepto crassissimo errore, qui non praesumitur) se conficere non posse ullo modo sacramentum et sacrificium, neque potest habere intentionem conficiendi et nihilominus si serio totam externam functionem peragit, is irregularis fit ex c. 2. tit. cit. Ergo intentio peragendi vere ritum seu exercendi actum proprium Ordinis non est necessaria ad incurrendam irregularitatem.

Requiritur scilicet intentio serio exercendi totum externum ritum tanquam ex proprio munere seu officio; quamvis, si impossibile sit verum actum Ordinis exercere, huius intentio desit.

427. 6° Ut propter violationem censurae contrahatur Irregularitas in exercitio Ordinis, censura iam debet esse inflicta vel clerico exercenti vel loco (in interdicto locali). Tunc enim censura violatur, cum obstante impedimento censurae, quae prohibet exercitium Ordinis, hic nihilominus exercetur. Aliud est scilicet *censuram contrahere,* quod contingit cum id fit, quod sub censura est vetitum: aliud *censuram violare,* quod censuram iam contractam supponit. Hinc cum quis censuram (suspensionis) contrahit, suscipiens Ordinem ab excommunicato, is eo quod et simul cum illo celebrat, non dicitur violare censuram, quae posterior est ipsa susceptione Ordinis, cuius ritus pars quaedam est ipsa celebratio. D'Annibale l. c. Suarez disp. 31. sect. 1. n. 71.

7° Ut actus Ordinis dicatur exerceri, opus non est conferre Sacramentum: sunt enim et alii actus proprii Ordinum. Sic sollemnitas ceremoniarum baptismi, quae adhibeantur etiam iam privatim baptizato, actus est proprius sacerdotis vel diaconi: sic collatio Ordinum minorum imo et primae tonsurae actus est proprius Ordinis Episcopalis: sic agere hebdomadarium in choro, sollemniter dicendo orationem cum *dominus vobiscum*, actus est sacerdotis vel diaconi: s. Alph. n. 358.

8° Ut Irregularitas propter violationem censurae contrahatur, oportet esse veram censuram, quae violatur. Est sententia communis, non enim in iure propter violationem aliarum poenarum imponitur Irregularitas, sed solum censurarum, ut earum contemptus puniatur (cc. 1. 10. 18. *de Sent. Excomm.* in 6° cc. 9. 10. *de Cler. Excomm.* etc.). Idcirco cum suspensio et interdictum non sunt censura sed mera poena vel privatio, propter earum violationem non deberet quis irregularis fieri.

Nihilominus ad id probandum afferuntur canones e. g. c. 1. *de Sent. et re iudic.* in 6°, ubi irregularis dicitur violator suspensionis, quae *ad annum* inflicta fuerat, quae idcirco vera censura non erat. De hac re iam egimus, tractantes de Suspensione n. 338.

428. Itaque per violationem censurae Irregularitas contrahitur exercendo sollemniter actum Ordinis: an vero contrahatur suscipiendo Ordinem, dum obstat censura, dicemus in seq. Resol. Ceterum, si nunc paulisper Ordinem seponamus, tenendum est, quod quantumcumque prohibibita sit susceptio alicuius sacramenti, susceptio haec non inducit Irregularitatem. Suarez disp. 42. sect. 2. n. 1. d'Annibale n. 411. nota 24.

Excommunicatus excommunicatione maiore, suspensus, interdictus personaliter, ministrantes in Ordine sicut prius, fiunt irregulares.

Iidem autem exercentes iurisdictionem tantum, utut vetitam, non fiunt irregulares, quia hoc exercitium non est actus Ordinis.

Qui ministrat in Ordine superiori, quem non suscepit, irregularis fit quoad illius susceptionem, impeditur scilicet, ne eum suscipiat: ab exercitio autem Ordinis praecipui, quem habet, suspenditur per biennium aut triennium ad arbitrium Episcopi: c. 2. *de Clerico non ordin. ministr.* Suarez disp. 42. sect. 4. n. 4.

429. Is, in cuius sacra ordinatione defectus aliquis accidentalis contigit, si in eo Ordine ministrat ante quam suppleatur defectus, licet peccet, quia non censetur absolute data potestas exsequendi, nisi ordinatio perfecta sit (quod peccatum ex levitate materiae potest esse leve): non tamen Irregularitatem contrahit, quia nullo iure est expressa. Suarez l. c. n. 12.

Quid si dubitet, an interfuerit defectus substantialis, dubio inquam positivo? Is profecto graviter peccat ministrando; sed affirmari cum certitudine nequit, eum exercere Ordinem, quem non habet, quod requiri videtur ad contrahendam Irregularitatem.

Addunt, irregularem fieri Episcopum aut alium sacerdotem excommunicatum, qui cogant alium coram se celebrare. S. Alph. n. 358. not. 2. qui id colligit ex c. *Illud* 5. *de Clerico excomm. ministr.* atque haec est sententia veterum, quos recentiores communius sequuntur, ait d'Annibale not. 26. ad n. 411.

Verum, ut hic recte monet, nihil ex eo capite eruitur quod huic valeat; habes enim reprehendi Episcopum, qui excommunicatus fecit ante se celebrari et communioni fidelium se ingessit affirmarique, poenam a canonibus esse statutam contra eos, qui post excommunicationem divina praesumpserint officia celebrare vel se celebrationi ingesserint divinorum. At non dicitur quod perinde sit se ingerere communioni fidelium atque facere coram se celebrare, nec dicitur quod poena pro hoc crimine sit Irregularitas.

Itaque hanc Irregularitatem negat Gonzalez in hunc locum.

XVI. Quarta, ob delictum, quo quis male suscepit Ordines v. gr. in excommunicatione, suspensione, vel ab Episcopo non habente iurisdictionem, vel per saltum (licet hunc suspensum tantum esse, quandiu non ministrat in Ordine per saltum suscepto satis probabiliter docent Avila, Navar. Bonac.) vel ante legitimam aetatem, vel sine dimissoriis, vel furtive (Episcopo nesciente nec approbante) et non examinatus. V. Bonac. d. 7. q. 5. p. 4.

430. De his agit late Suarez disp. 42. sect. 3. disp. 31. sect. 1., qui omnium primus, ut ait d'Annibale not. 43. ad n. 412., accurate distinguens inter suspensiones et Irregularitates, haec fere omnia ad suspensiones reiecit. Nec minimum est discrimen; nam si Irregularitates sunt, adhuc manent: si suspensiones, quoniam latae sententiae sunt, nisi Const. *Apostolicae Sedis* eas retinuerit, cessarunt. Ipse A. quasdam

heic memoratas Irregularitates, antea inter suspensiones recensuit, *de Suspens.* dub. 2.

Itaque agitur de iis qui *male promoti* sunt ad Ordines. 1° A. primo loco ponit eos, qui excommunicationis (maioris) vinculo obstricti Ordines susceperunt. Hanc esse proprie suspensionem, non Irregularitatem, docet Suarez disp. 31. sect. 1. n. 57. (cf. n. 245.) et quidem ab Ordinibus sic susceptis (c. *Cum illorum, de Sent. Excomm.*), nisi sit depositio, ibid. cf. Benedictum XIV. *de Syn.* l. 12. c. 3. n. 7., qui negat irregulares fieri eos qui censura innodati ad superiores Ordines ascendunt. Interdictis quoque interdicto personali prohibita certe est Ordinum susceptio. Et quandiu suspensi (ab ordine) aut interdicti manent, nequeunt et in indebite susceptis ministrare. Suar. disp. 12. sect. 3. n. 2.

2° Secundo loco ii recensentur, qui Ordines accipiunt ab Episcopo non habente iurisdictionem, nempe ab eo, qui Episcopatui, non quidem loco tantum, sed et dignitati renuntiavit c. unic. *de Ordinatis* etc. Hanc quoque suspensionem esse ab Ordinibus sic susceptis probat Suarez ibid. nn. 2. seqq.; dicuntur enim privati *exsecutione officii.*

3° Succedunt qui per saltum Ordines accipiunt, clerici nempe, qui praetermisso aliquo inferiore, ad superiorem Ordinem se faciunt promoveri c. unic. *de Clerico per saltum* etc. Taliter ordinatis prohibetur *Ordinis suscepti exercitium* et suspensionem hanc esse probat Suarez (ibid. nn. 44.-48.). Hanc suspensionem supposuit Trid. Syn. sess. 23. c. 14. *de Reform.*

4° Sequuntur illi qui ordinantur in sacris ante legitimam aetatem. Eos obnoxios esse suspensioni ferendae sententiae statuit c. 14. *de Tempor. Ordin.:* suspensioni latae sententiae subiecit Pius II. Const. *Cum ex sacrorum.*

5° Quinto loco recensentur illi, qui sine dimissoriis sui Episcopi ab alieno ordinantur, quibus interdicitur *Ordinis sic suscepti exsecutio* c. 11. *de Tempor. ordinat.*, quam proinde suspensionem esse probat Suarez l. c. nn. 13. 14. et constat ex cit. Const. Pii II., qua sic Ordinatos in sacris suspendit et hos, sicut et praecedentes, irregularitatem vult incurrere, si in susceptis Ordinibus ministrent.

6° Sexto loco recenset A. eos, qui furtive ordinantur. *Furtive* ordinatus is dicitur, qui sine examine vel reiectus ab Ordinario vel ab eo non vocatus obrepsit ad Ordines (d'Annibale not. 49. ad n. 412. 14.). Hi exsecutione Ordinum sic susceptorum prohibentur (cc. 2. et 3. *de Eo qui furtive* etc.): ideo suspensionem hanc esse dicit Suarez l. c. n. 57. at disp. 42. sect. 3. n. 5. censet esse Irregularitatem; quia c. 1. eod. tit. dicitur sic ordinatus non posse ad superiorem Ordinem ascendere. Sed ibi specialiter sermo est de eo, qui ab Episcopo sub poena ana-

thematis interdictus fuerat a susceptione Ordinis. Bonacina, (*de Irregularitate* disp. 7. q. 3. p. 4. 6.) anceps quodammodo est hac in re. Res dubia est ait d'Annibale l. c.

7° Septimo loco addi possunt, qui sine titulo (beneficii vel patrimonii) ordinantur in sacris. Si ab Ordinante id sciente fiat, poena tenet Ordinantem ipsum, qui cogitur alere sic ordinatum, donec ei provideatur (c. 16. *de Praebendis*, Trid. Syn. sess. 21. *de Reform.* c. 2.). Si vero Ordinatus adhibito dolo confictoque titulo Ordinatorem deceperit, eum esse ipso iure suspensum et carere Ordinis exercitio declaravit s. C. C. 27. Nov. 1610. d'Annibale l. c. not. 42.

8° Octavo loco ab aliis recensetur, qui uno eodemque die *quatuor minores Ordines et subdiaconatum* vel *duos maiores Ordines* recipit. Horum autem poena est suspensio ab exercitio Ordinis, qui suscipitur, c. 13. *de Temporibus Ordin.* et c. *Cum lator*, *de Eo qui furtive* etc. Suarez disp. 31. sect. 1. n. 41. dubitat, an haec suspensio sit latae an ferendae sententiae. Pro iis vero, qui duos maiores Ordines duobus distinctis diebus continuis suscipiunt, nulla est poena statuta in iure. Suarez ibid. n. 42.

Tandem quidam censuere irregulares eos, qui quemlibet Ordinem recipiunt ab Episcopo nominatim excommunicato, suspenso, interdicto. Sed haec est suspensio, ut constat ex Const. *Apostolicae Sedis* inter suspensiones n. 6.

Porro cum enumeratae poenae ab Auctore propter indebitam susceptionem Ordinum et similes ab aliis enumeratae, sint potius suspensiones vel non certum sit esse Irregularitates; eae autem suspensiones modo cessaverint, excepta ultima ex Const. *Apost. Sedis*, vides plures Irregularitates vel poenas a veteribus inductas eliminandas esse.

431. Nihilominus addenda est alia susceptio indebita Ordinum, de qua merito dubitatur, an Irregularitatem inducat. Ea est, cum quis post matrimonium contractum, etsi non consummatum, suscipit Ordinem sacrum. De huiusmodi re sic statuit Ioannes XXII. in Extrav. un. *de Voto*. Primo ait, Ordine sacro sic suscepto non dissolvi matrimonium vel solum ratum: deinde prohibet, ne quis, durante matrimonio, praesumat ordinari in sacris, nisi prout canones permittunt. Tum qui secus fecerint, decernit, nec in Ordine sic suscepto posse ministrare nec ad superiores Ordines provehi nec ad aliquod beneficium vel officium ecclesiasticum promoveri. Quatenus provectio ad superiores Ordines prohibetur, Irregularitas esse censetur. Sed en quid hac in re censeat d'Annibale not. 38. ad n. 412.: « Haec utrum sit irregularitas an suspensio, Nostris satis incertum est. Bonacina *de Suspensione*

disp. 3. p. 5. n. 13. suspensionem (a), *de Irregularitate* q. 3. p. 4. n. 9. irregularitatem appellat. Suarez disp. 31. sect. 1. n. 54. verbis cit. Extrav. *nec ad superiores Ordines provehi* putat illum manere irregularem et nihilominus suspensionem eam vocat iterum et saepius. Mihi, quia piget *sacramentum magnum* MACULIS accensere et quia in cit. Extrav. suspensione gravius aliquid continetur, eam neque irregularitatem neque suspensionem esse, puto, sed poenam. Utcumque cum res dubia sit, non est inter Irregularitates accensenda ». Cf. n. 408. 1.

XVII. Quinta, propter enormia crimina, si sint notoria et publica, v. gr. quae a iure habent annexam infamiam, ut adulterium, raptus, incestus, periurium in iudicio.

432. Haec Irregularitas potius quam ex delicto dicenda est esse ex defectu, *famae* nempe: quod et A. innuit, monens, requiri ad Irregularitatem contrahendam, *notorietatem* criminis.

Atque ita s. Alph. n. 362. Quidam utique gravesque DD. censuerunt Irregularitatem esse ex delicto, ita ut, quamvis non vulgato delicto adhuc reus non censeatur irregularis, cognito tamen publice delicto, retrotrahatur Irregularitas ad tempus patrati delicti et idcirco iam ab eo tempore iis, quantum fieri potuit, debuerit abstinere, a quibus propter Irregularitatem arcebatur. Ita Suarez disp. 48. sect. 1. n. 15., vult infamiam quandam iuris esse, quam ipso facto (patrato delicto) lex infligat ante infamiam facti et eam quae ex sententia iudicis declaratoria oritur.

Verum haec non est communis sententia; plures enim DD. tenent, Irregularitatem haerere non proprie delicto sed infamiae, sive delicto quatenus est infamans nec infamiam agnoscunt, quae praevertat notitiam facti (Reiffenst. l. 5. tit. 37. n. 57.): ipse scilicet conceptus *infamiae* nequit componi cum *occulto*. Foret ergo irregularitas dubia, quae Suarez principiis inniteretur: at plus vice simplici dictum est, dubiae Irregularitatis non habendam esse rationem.

433. Videndum 1° quotuplex sit infamia: 2° quaenam delicta infamiam gignentia: 3° qualis sit Irregularitas ex iis orta.

Infamia est privatio vel diminutio (bonae) famae. Haec eo redit, ut sit *Illaesae dignitatis status legibus et moribus comprobatus* (l. *Cognitionem* ff. *De variis et extraord. crim.*). Hinc infamia erit: *laesae dignitatis status legibus et moribus reprobatus*, d'Annibale, V. 1. n. 121.

A Canonistis triplex distinguitur infamia: *infamia facti*, *infamia iuris*, *infamia aliena*. Ea est existimatio gravis cuiuscumque delicti

(a) Verum et heic addit, hunc dici posse irregularem, ut postea ostendet.

de aliquo habita a communitate, sive vera existimatio sit sive falsa. Notorietatem in re nostra ipsa requirit, qua scilicet nulla possit delictum tergiversatione celari. S. Alph. n. 363. d'Annibale not. 3. ad n. 430. Ea ex quolibet delicto, quod moribus honestis adversetur et a quo honesti homines abhorreant, oriri potest.

Infamia *iuris* est ea, quam ius ipsum decernit, quod triplici modo fit. Nam vel ipsa lex notam infamiae certis criminibus per se decernit, (infamia latae sententiae) vel vult per sententiam iudicis infamiam gigni (infamia ferendae sententiae) vel ipsa poena irrogata a iudice affert secum infamiam (Schmalzgr. l. 5. tit. 37. n. 165.).

Porro infamia haec legalis imposita antecedenter certis criminibus, ex duplici fonte prodit, hoc est ex iure non solum canonico, sed et *civili*, prout a iure canonico vel civili constituta est. Infamia scilicet a iure civili imposita, quam ius canonicum non sustulit, infamia quoque canonica censetur. *Omnes infames esse dicimus, quos leges seculi infames appellant*, ait Adrianus Papa c. 2. caus. 6. q. 1. Nisi tamen lex canonica obsistat, ut in casu feminae transeuntis intra annum viduitatis ad secundas nuptias, quam lex civilis voluit infamem, et canones eam infamiam abrogarunt.

Ceterum quae de infamia civili diximus, valebant quidem vigente iure civili Romanorum; substitutis vero aliis iuribus, quae nulla gaudent ecclesiastica probatione, an valeant, dubitare profecto licet; ideoque Irregularitas incerta foret ac proinde in praxi nulla. Verum infamia orta ex praescriptione modernarum legum, quas Ecclesia nondum probavit, esset infamia facti potius dicenda quam iuris: exstaret scilicet infamia absque ope iuris. In codice italico poenali infamiae poena non occurrit.

434. Infamia *ex sententia* oritur ex sententia iudiciali lata post accusationem delictorum publicorum, quorum scilicet accusatio cuilibet de populo est permissa. Supponit proinde delicta publica et praeterea processum per accusationem (vol. IV. 552.). Imo sententia transire debet in rem iudicatam (Schmalzgr. l. c. n. 167.). Non ergo sufficit confessio rei. Nec sufficit interlocutoria sententia (l. *Verbum* C. *Ex quibus causis*, etc.). Cum ergo accusationis methodus ex usu excesserit, haec infamia desiisse dicenda est.

Infamia ex *genere poenae* ea est, quam inducit poena quae ignominiae causa irrogatur, puta exautorato militia, degradato a statu clericali: vel quae ex lege certis poenis inhaeret, ut in iure Romano iustae fustigationi (Schmalzgr. l. c. n. 168.).

Tertium infamiae genus additur, ea nimirum quae oritur ex crimine infami *alieno:* sic infames sunt nati ex reis laesae maiestatis, ex haereticis etc. S. Alph. l.. c.

435. Ut de infamia iuris loquamur, non omnia delicta, ut iam advertimus, iuridica seu legali infamia laborant nec quaelibet delicta ordine iudiciario comprobata infamiam iuris gignunt. Itaque Canonistae docebunt, quibus criminibus infamiae notam ius inussa (cf. Schmalz. Reiffenst. cl. cc.). A s. Alphonso n. 363. haec distincte enumerantur: homicidium, periurium in iudicio, haeresis, simonia, sodomia, laesa maiestas, adulterium, rapina, lenocinium, usurarum exercitium, duellum, raptus mulierum, exercitium histrionicae artis cum turpibus repraesentationibus ita ut mortalis sit turpitudo, crimen falsae monetae. Lege c. 17. caus. 6. q. 1. D'Annibale n. 430. crimina, quibus infamia adhaeret, illa esse dicit, quae digna sunt (in cleciris) depositione aut perpetua suspensione. Ea ex iure plura sunt: « praxis tamen, ait Reiffenst. l. 5. tit. 37. n. 30., et consuetudo in plerisque locis iam obtinuit, quod poena depositionis nonnisi propter crimina valde enormia et publice valde scandalosa, prudenti iudicis arbitrio dignoscenda, infligatur... cuiusmodi foret homicidium praemeditatum, adulterium et stuprum violentum, furtum sacrilegum rei pretiosae, continuata post factas monitiones ». Clarissimus Fr. Xav. Werrez (*Iur. Can.* tom. 2. tit. 7. n. 130.) quinque tantum enumerat, quibus in iure annexa est infamia, nempe *haeresim*, *simoniam realem*, *duellum*, *raptum mulieris matrimonii causa* et *damnatos ad triremes*.

Cl. Michael Lega l. infra c. n. 258. haec crimina enumerat, quibus *ipso iure* infamia est decreta 1. In *duellantes* eorumque *patrinos* (Conc. Trid. l. 25. c. 19. Refor.). 2. in *raptores mulierum*, matrimonii causa ac omnes illis consilium, auxilium, favorem praebentes (Conc. Trid. l. 24. c. 6. Ref.). 3. *In bigamos*, qui duas simul uxores habent (c. 4. de Bigamis). 4. *in committentes simoniam realem* (arg. can. 15. c. 1°. q. 4. et c. 1. *de Simonia* inter comm. extrav.). 5. in eum *qui s. R. C. Cardinalem insecutus est*, percussit aut cepit (c. 5. *de Poenis* in 6°.) tum in *socios criminis*, consiliarios, mandantes defensores, receptatores (ibid.) 6. *in haereticos*, credentes, receptatores, fautores, haereticorum filios, ut postea dicetur n. 438. seq. (c. 15. *De haereticis* in 6° et c. 13. ibid.).

436. Iam vero quos ius canonicum infames agnoscit, eosdem a clero repellit, seu irregulares esse decernit: quae lex iuri divino et naturali manifeste innititur. Cf. 1. tom. III. 7. Sententia est communis colligiturque ex c. 17. caus. 6. q. 1. qui Stephano Papae tribuitur, quo omnes infames prohibentur ad sacros gradus provehi et ex reg. 87. iuris in 6°. *Infamibus portae non pateant dignitatum* vel, ut dicitur c. 11., *de Excessibus Prael. Personis vilibus et indignis portae dignitatis patere non debent.*

Qui infames sint tantum infamia populari, quam Canonistae vocant

simpliciter *infamiam facti* n. 433., ii proprie irregulares non sunt, sed simpliciter indigni; non enim dispensatione opus habent, sed sola poenitentia impedimentum quodlibet removetur, modo per triennium aut biennium (arg. c. 2. *de Cler. ordinato*) emendatio perseveret s. Alph. n. 364. Suarez l. c. n. 6.

Quando vero infamia est *ferendae sententiae,* ea, ante latam sententiam, redit ad praecedentem et poenitentia aboleri potest: d'Annibale l. c., post sententiam eget dispensatione *C. ult. de Tempor. Ord.* « Quaesitum est de sacerdotibus vel aliis clericis, qui per reatum adulterii, periurii, homicidii vel falsi testimonii bonum conscientiae rectae perdiderunt. Respondemus, quod si proposita crimina ordine iudiciario vel alias notoria non fuerint, non debent hi praeter reos homicidii post poenitentiam in iam susceptis vel suscipiendis Ordinibus impediri ». Ita Gregorius IX.

Si vero sit infamia, quam lex imponit *ipso facto* subeundam, ipsa non aboletur poenitentia, sed opus habet dispensatione atque ex ea est nunc proprie dicta Irregularitas. Suarez l. c. n. 7. Nihilominus infamia iuris, quae ipso facto incurrenda statuitur, ut actu contrahatur, requirit iuxta plures sententiam iudicis *declaratoriam.* Infamia haec (ait Schmalzgr. l. v. t. 7. n. 124. loquens de haereticis) « incurritur ipso iure, ut tamen afficiat actu ipso delinquentes, opus est sententia declaratoria *criminis.* Ita Azor, Sanchez, Laymann, Barbosa, Wiestner et hoc teste communiter Doctores. Ex quo sequitur, infamiam iuris ab haeretico non contrahi perfecte ipso in haeresim externam lapso: sed si quidem lapsus iste notorius sit notorietate facti, contrahetur infamia facti, iuris vero tantum quando per sententiam omnibus innotescit (crimen haeresis). Inter quas infamiae species hoc est discrimen, quod infamia quidem facti tollatur per poenitentiam et emendationem, iuris vero solum per sententiam sicut per sententiam inducta est ». Alii, quos refert Sanchez (*in Decal.* l. 2. c. 26. n. 1.) censebant infamiam iuris incurri ante iudicis sententiam, tum quia infamia ipso iure irrogatur, tum quia haec poena in privatione non in actione consistit. Priorem sententiam esse modo receptam ait d'Annibale n. 122.

Alteri sententiae favet decisio Cong. Conc. in Wratislaviensi 9. Augusti 1890. Agebatur de duellis frequentibus in Germania inter alumnos Universitatum, qui, ludi potissimum aut recreationis causa, parvo cultro instructi congrediuntur, ut incisionem soleant inferre non graviora vulnera. Propositum est dubium: *An, a quibus et ex quonam titulo irregularitas contrahatur, quando duellum ea ratione committitur, quae his temporibus inter Germaniae alumnos fieri solet in casu.* Responsum est; *Affirmative, a duellantibus, eorumque patrinis, ex*

infamia iuris. Advertit cl. Michael Lega *Praelectiones in textum Iuris Can.* l. 2. vol. 3. n. 257. nullibi actum esse de necessitate sententiae declaratoriae, nec definitum esse, irregularitatem oriri tantum ex duello publico et noto. Sed notorietatem saltem requirere videtur ipsa ratio infamiae, et superius heic audivimus sententiam iudicis et notorietatem facti aequiparari a Pontifice.

437. Quaeritur an ex infamia criminis Irregularis fiat, qui hunc effectum criminis vel infamiae ignorabat. Cum Irregularitas ab infamia et haec a sententia iudicis condemnatoria vel declaratoria reique notorietate pendeat et haec vere exsistat, quamvis reus forte poenam infamiae ignoraverit, sequitur, ad contraendam hanc Irregularitatem referre nihil, utrum reus eam cognoverit necne.

Cum falsa quoque existimatio et iniusta (iniustitia latente) sententia infamiam gignant non secus ac vera et iusta, quoniam ipsi infamiae Indignitas vel Irregularitas adhaeret, sequitur et huiusmodi miseros homines, quandiu infamia durat, esse irregulares (infamia iuris) vel indignos (infamia facti).

438. Ad infames potissimum spectant haeretici (idem dic de apostatis). Haereticos irregulares esse, certa et communis sententia est. Non eodem pacto convenit inter omnes, utrum Irregularitas ex iure crimini, an ipsi infamiae adhaereat. Et quamvis egregii doctores censeant, ex ipso crimine haeresis promanare Irregularitatem iuris, ut Suarez disp. 43. sect. 1. n. 4. Reiffenst. l. 5. tit 7. n. 254. aliique: certum tamen est, nullum canonem afferri posse, quo id clare edicatur haereticos, qua tales, esse irregulares. Lugo *de Fide* disp. 23. n. 121. Canon sane, cui potissimum innixa videtur sententia id affirmans, *Saluberrimum* ex q. 7. caus. 1. sumptus ex quadam epistola Leonis Magni, ut hac sola animadversione contenti simus, loquitur de clericis haereticis manifestis, idcirco manifestum haud est, an *ademptio spei promotionis* sit propter solam culpam, an propter culpam manifestam seu infamiam. Et idem in ceteris canonibus occurrit, ubi semper sermo est de haereticis notis, publicis. Ergo certa non est in iure Irregularitas soli crimini haeresis adhaerens et rem valde dubiam dicit Sanchez *Decal.* lib. 2. c. 25. n. 18.: ideoque in praxi non est admittenda. Albitius quoque (*de Inconst. in Fide* c. 19. n. 12.) fatetur haereticos ante sententiam iudicis saltem declaratoriam laborare infamia facti, non iuris.

Quocirca haereticus occultus non est habendus irregularis. Haereticus etiam notorius, ante sententiam declaratoriam iudicis, potest infamiam abstergere abiuratione et poenitentia (n. 436.: tantum post declarationem aut condemnationem iudicis vel, quod puto perinde esse,

si publice nomen dederit sectae iam damnatae, vere irregularis est, ut, etiamsi resipiscat, dispensatione egeat pro ingressu in clerum: d'Annibale n. 431.

Porro praeter haereticos, sunt infames *credentes* (cf. dicta sub 1. excomm. R. P. specialiter reservata) *receptatores, defensores* et *fautores* haereticorum, qui, postquam excommunicati fuerint, satisfacere intra annum contempserint. Ita in Conc. Gener. Innocentius III. c. 13. §. 5. *de Haereticis.*

439. Filios quoque haereticorum, credentium, fautorum, defensorum et receptatorum eorundem irregulares esse, communis est sententia. Filii quidem primi gradus, si ex matre, primi et secundi, si ex patre contrahant infamiam.

Ita post Alexandrum IV. c. 2. §. 2. *de Haereticis* in 6° rem pressius definiens Bonifacius VIII. c. 15. eod. tit., qui tum distinxit inter haeresim maternam et paternam, tum subdidit: « Hoc sane de filiis et nepotibus haereticorum, credentium et aliorum huiusmodi, qui tales esse vel tales etiam decessisse probantur, intelligendum esse videtur, non autem illorum, quos emendatos esse constiterit et reincorporatos Ecclesiae unitati ».

Ergo si parens eiuravit haeresim, etsi is adhuc irregularis maneat, desinit Irregularitas filiorum et nepotum. Imo s. Alph. n. 643. requirit ad Irregularitatem filiorum, ut hi nati sint postquam parentes lapsi sunt in haeresim: « quae sententia (ait d'Annibale not. 18. ad. n. 432.) licet verbis ss. Canonum non bene cohaereat (vid. Suarez disp. 43. sect. 3. n. 2.) (a), nihilominus tuta est propter auctoritatem s. Doctoris ». Sed et Suarez l. c. hanc ipsam sententiam dicit defendi a multis.

Intelligimus autem filios naturales, seu legitimos seu illegitimos, qui non debent esse melioris conditionis, eo quod turpius nati sunt, nec lex distinguit; non vero adoptivos, qui proprie filii non sunt. Suarez l. c., d'Annibale n. 184. not. 15.

440. Quod vero caput est, Irregularitas huiusmodi filiorum et nepotum videtur non voluntate iuris, sed potius interpretum iuris inducta esse. Nam in nullo canone ipsa proprie expressa habetur: citati autem canones solum prohibent, ne iis beneficia et officia ecclesiastica conferantur. Aiunt utique, Ordines ipsos esse officia ecclesiastica: sed potius dicendum videtur, officia ecclesiastica consequi ad Ordines, qui tamen sine iis esse possunt, ut ex. gr. in Episcopo titulari. Verum quia

---

(a) In iure Romano concepti ex patre ordinis senatorii, etsi is ordine motus fuerit antequam filius nasceretur, ad ordinem spectant senatorium. Voet l. 1. tit. 5. n. 5.

generatim Ordines conferuntur propter officia; qui ad haec promoveri nequeunt, et ab iis arceri censentur atque ex receptis moribus nunc certe non licet eos ad Ordines promovere, inconsulta Apostolica Sede, ait d'Annibale not. 20. ad n. 432.

Ceterum oportet, ut filii sint eorum haereticorum, qui tales sententia iudicis declarati sint vel qui sectae iam damnatae nomen manifeste dederint, ne in peiore conditione sint iis, qui deliquerunt.

An filii haereticorum in Germania, Anglia similibusque locis, sint irregulares, dubitant docti viri (Sanguineti *Iur. Eccl.* n. 221.); eo quod ibi parentes nulla laborent infamia. Hos tamen irregulares censuit C. s. O. responso 28. Nov. 1663. id decernens de filiis haereticorum, qui in Collegiis Pontificiis Romae educantur. (Acta s. Sedis, Vol. XXV. p. 578.).

Atque idem s. O. respondit Archiep. Coloniensi 14. Dec. 1890. « Haereticos ad fidem catholicam conversos ac filios haereticorum, qui in haeresi persistunt vel mortui sunt, ad primum et secundum gradum per lineam paternam, per maternam vero ad primum dumtaxat, esse irregulares, etiam in Germania et in aliis locis, de quibus petitur (*istis in regionibus*, aiebant Episcopi Fuldae congregati) ideoque dispensatione indigere, ut ad tonsuram et Ordines promoveantur ».

441. Quid autem, si filio iam, puta, in presbyterum ordinato, pater haeresim profiteatur? An removendus est filius ab exercitio Ordinum, quemadmodum (in sententia alia ab ea, quam s. Alph. tenet) removeretur a suscipiendis, si nondum esset ordinatus?

Respondent, heic iura iuribus obstare: agitur enim de iure iam quaesito et absurdum est, quod *aliquis privetur, quo fungitur, gradu, quem propria culpa ab illo non deiicit,* ut ait s. Gregorius M. Epistt. l. 10. epist. 8. Quocirca l. c. Suarez concedit, probabile esse, in hoc casu filium non privari usu Ordinum. Et sane, ut ipse Suarez advertit, in canonibus citt. Bonifacii VIII. et Alexandri IV. prohibetur quidem, ne huiusmodi filii *admittantur* ad officia ecclesiastica, non vero praecipitur, ut *deiiciantur* ab iis, quae forte obtineant: quae est ratio satis idonea; agitur enim de poenis. De baptizatis ab haereticis locuti sumus n. 424.

442. Quis ab hac Irregularitate dispensare potest? *directe* solus Papa, quia publica est ex crimine notorio: directe inquam, quatenus ipsa abstergatur irregularitatis nota et simul infamia aboleatur; nam absurdum foret, aliquem manentem infamem promoveri. Indirecte et alii possunt, qui nempe infamiam saltem abolere possunt, infamiam, inquam, iuris, a qua sola est irregularitas. Et quidem ab infamia canonica solus Papa dispensat: sed si infamia ex iure civili, remissa per

Principis indulgentiam infamia, desinet Irregularitas. Sic quamvis solus Papa, ut diximus, ab infamia canonica dispenset (regulariter); quia tamen Episcopus potest restituere clericum depositum, qui est infamis, facta restitutione ab Episcopo, cessabit infamia haec. Reiffenstuel l. c. n. 29.

Praeterea si infamia, a qua est Irregularitas, sit ex sententia iudicis, ait s. Alph. n. 364., poterit idem iudex vel idem tribunal, retractata causa, per aliam oppositam sententiam restituere famam et sic auferre causam Irregularitatis. Quia vero, quemadmodum vidimus, ut infamia iuris contrahatur, sententia saltem declaratoria criminis requiritur, hinc qui sententiam contrariam proferre potest, poterit indirecte auferre Irregularitatem. Docet s. Alph. ibid. quod, si crimina sint minora adulterio, potest Episcopus, cum reus poenitentiam egerit, dispensare, non quidem, ut ad sacros Ordines ascendat, sed ut in susceptis ministret. At cl. d'Annibale dubitat, an propter talia crimina contrahatur nunc infamia not. 4. ad n. 430. cf. n. 434.

Addit s. Doctor, infamiam ob crimen parentum tolli per ingressum in religionem vel praelatos regulares posse cum suis subditis in hac dispensare (cf. n. 421.).

De infamia, quae oriri dicitur ex officio vili et ignominioso loquemur infra cum Auctore.

XVIII. Sexta oritur ex iniusta mutilatione, vel homicidio, etiam indirecte tantum voluntario. extenditurque ad omnes, qui ad alterutrum, sive in bello iniusto sive extra illud, iniuste concurrunt, consulendo, mandando. Mutilatio autem hic intelligitur, quando a corpore separatur membrum aliquod principale, id est, pars corporis, quae officium per se distinctum habet, v. g. pes, manus, oculus, auris etc. M. Leo *in Praxi* p. 3. f. 317. ex Covarr. Navarr. *de Cens.* n. 206. Vide Bonac. p. 8.

443. *Homicidium*, praecisione facta a moralitate actus, est occisio seu exanimatio hominis (facta *ab homine*, ait Schmalzgr. l. 5. tit. 12. n. 1. quia facta a fera dicitur *pauperies* in iure Romano), qua nempe ei vita adimitur, quocumque in stadio vitae is sit et quodcumque sit spatium vitae ademptum: idcirco et abortus foetus (animati) homicidium est et qui causa est, cur mors adhuc victuro citius inferatur, homicida est. Nec interest quomodo mors inferatur sive veneno, sive fame sive ferro sive igne etc.

Mutilatio est abscissio membri, membrum autem heic ex iure intelligitur, quod in corpore propriam functionem habet. Cum *abscissio* sit h. e. separatio a corpore, sola laesio membri vel deformatio ita ut etiam prorsus inutile membrum reddatur, mutilatio non est. Idcirco mutilatio erit si alicui oculos effodias, non erit si excaecaveris. Non refert, par fortè peccatum esse; nam effectus non est idem quoad deformitatem et integritatem totius.

Cum sit abscissio *membri,* amputatio partis membri mutilatio non censetur: quocirca mutilatio non est abscissio auriculae aut digiti alicuius, qui pars est manus aut pedis.

Haec clara videntur et sunt, dum in abstractis versamur; at cum ad regulae applicationem accedimus, non pauca obscura fiunt. Quid enim si unum oculum effodias, si nares evellas, si membrum paralysi factum prorsus inutile abscindas, si dentes omnes excutias?

Caietanus 2. 2. q. 65. a. 1. aliter definivit membrum; membra scilicet corporis ea esse dixit, ex quibus consurgit integritas corporis organici: sic avulsio unius digiti foret mutilatio. Haec regula communiter non admittitur, cum de mutilatione agitur inducente Irregularitatem: nam oportet, quantum fieri potest et ius permittit, cohibere terminos Irregularitatis, quos ea regula omnino amplificat.

Praestat regula data, membrum dici, quod propriam functionem seu officium in corpore habet, iuxta dictum Apostoli Rom. XIII. 4. *In uno corpore multa membra habemus; omnia autem membra non eumdem actum habent.* Et ita DD. generatim censent.

444. Quid ergo? unus oculus habetne functionem *propriam?* nonne eandem praestat alter oculus manens, quamvis perfecte minus, si solus sit?

Et sane s. Alph. n. 379. hanc regulam secutus, negat incurrere irregularitatem, qui amputaret auriculam, *quia ea ablata non tollitur omne officium audiendi*: atqui nec ablato uno oculo tollitur omne officium videndi.

Scilicet omnia membra corporis reapse duplicia sunt, sive seorsim posita, ut oculi, aures, brachia, pedes, pulmones etc. sive invicem compacta, ut ex duobus fiat unum, quemadmodum nares, costae et quae interius gerimus plura membra. Nihilominus quia significatio vocis *membrum* a legibus usurpatae pendet ex communi et vulgari acceptione, non distinguimus membra, nisi quae scorsim sunt posita; sic enim in communi existimatione accipiuntur. Ita nobis videtur abscindi membrum si oculus evellatur: si vero nares ex una tantum parte abstrahantur, dicimus partem membri h. e. nasi abscindi.

Rursus quamvis quaedam membra paria ad unam specie eandem functionem concurrant et singula, minus quidem perfecte, praestare valeant quod ambo (diximus *quaedam:* nam profecto unum crus non praestat quod duo): certum tamen est, singula habere proprium officium et primo quidem comparata cum ceteris membris alterius generis, deinde vero comparata etiam cum simili; nam maior saltem gradus in perficienda functione a singulis pendet. Quod satis est, ut dicantur membra propriam functionem habentia. S. Alph. autem negans per

abscissionem auriculae tolli omne officium audiendi, rationem habet illius ipsius auris, cuius externum instrumentum non essentiale aufertur.

445. Itaque retenta definitione data, dicimus effossionem unius oculi esse abscissionem membri ideoque mutilationem nec ullum video de hac re dubitare; omnes enim exemplum mutilationis ponunt in *oculi* effossione.

Quod amputationem narium, sunt qui negent esse mutilationem, quia, aiut, cartilago haec non est membrum, sed ornatus membri nempe nasi, nec per eam exercetur sensatio olfactus. Schmalzgr. l. 5. tit. 12. n. 20. Si verum est, sensationem olfactus sine naribus haberi, dabimus hanc non esse mutilationem: si secus, detractio organi necessarii ad unam ex quinque sensationibus habendam, nequit non dici detractio membri.

Si manus tantum debilitata abscindatur, nemo dubitat, mutilationem haberi; si vero abscindatur manus prorsus arida, videtur quibusdam non esse mutilatio; quia non est abscissio membri, eo quod ea manus non amplius sit membrum nisi specie tenus, cum non amplius anima informetur et sic desierit reapse pars esse corporis. Suarez disp. 44. sect. 2. n. 11. Quam rationem non probat d'Annibale not. 8. ad n. 421.; quia si ita esset, brevi haec pars corporis tabesceret. Cum in hac re diversae sint sententiae, ita quaestionem solvit idem d'Annibale ibid. « Si personae sunt diversae, idest si Titius membrum fecit inutile et Caius abscidit, neutrum irregularem fieri puto (eo quod res incerta sit); secus si eadem persona inutilem fecit et postea abscidit ». Sane nihil ei deesse videtur, ut mutilator vere dici possit.

Dentium excussio non censetur mutilatio; quia dentes, ait s. Alph. l. c., non sunt membra sed instrumenta maxillarum ad cibos mandendos. Nescio, an cunctis senibus idem videatur. Certe functionem propriam dentium, quae adeo utilis est in secando et comminuendo cibo, maxillae non exercent. Sed saltem in communi existimatione non censetur homo carere membro, qui dentibus caret.

Multo ergo minus mutilatio erit avulsio unguium, barbae, capillorum. Ibidem.

446. Dissident quoque DD. quoad digiti vel digitorum abscissionem, ut videre est apud s. Alph. l. c. Negant plures; quia digiti sunt pars unius membri, manus scilicet; quae ratio valeret, etiamsi omnes digiti utriusque manus imo et utriusque pedis abscinderentur. Sed DD. in singulari loquuntur, digitum nominantes. Schmalzgr. l. c. d'Annibale not. 5. ad n. 421. Et s. Alph. l. c. dicit, irregularem non esse, qui aufert alteri digitum, quisque sit. At certe 1° discrimen aliquod inter digitos est; nam pollex nimium quantum praestat ceteris singulis,

propter quem nostra manus a manu simiarum differt et sine quo nullae artes manuales ortae forent. 2° Abscissio omnium digitorum vel ceterorum, relicto pollice solo, privat hominem organo necessario ad plures functiones. Quid quod manus sine digitis inutilis prorsus est, ut, ratione habita eius finis, nec manus amplius vocari possit? probabilius ergo censeø, amputationem pollicis vel ceterorum omnium digitorum, esse veram mutilationem. Nec simile est quod innuitur c. 2. *de Cler. aegrot.*, ubi per abscissionem duorum digitorum cum medietate palmae (intellige partem iis digitis respondentem) dicitur quis debilitatus.

Quaerit s. Alph. n. 380. an vera mutilatio sit abscissio testiculorum. Porro tanquam probabilius affirmat; quia habent propriam functionem, ministrandi nempe semen viro. Idemqne affirmat de mamillis feminae, quae propriam certe functionem habent. At si unus testiculus abscindatur, negat dari veram mutilationem; quia unus non habet officium ab altero diversum, cum uterque ad eandem operationem concurrat. Quae ratio cur non valet et in oculo?

Verum quoad mamillas, vel unius abscissionem mutilationem censet idem s. Doctor: quia unaquaeque mamilla proprium officium habet: altera scilicet independenter ab altera et turgescit et effundit lac.

Adde veram mutilationem esse ablationem uteri et ovarii.

447. His positis, homicidium et mutilatio perpetrari possunt tum actu privato, tum publico h. e. in bello, tum ex auctoritate, ut fit a iudice. In tertio modo defectus occurrit lenitatis, de quo in seq. dubio: in altero tum delictum tum defectus esse potest: in primo delictum, unde Irregularitas ex delicto, de qua nunc. Et primum dicemus de homicidio aut mutilatione privato actu perpetratis et speciatim primo de homicidio.

Aiunt quidem DD. (Schmalzgr. l. c. n. 153. s. Alph. n. 366.), in quibus casibus Irregularitas contrahitur ex homicidio, utique certo, iisdem ex mutilatione induci. At idem Schmalzgr. n. 191. cum Suarez disp. 44. sect. 2. n. 3. monet homicidium et mutilationem aequiparari quidem in iure, non vero identificari, ut non valeat in mutilatione, quidquid valet in homicidio; se habent enim ut imperfectum et perfectum. Quocirca suis locis satius erit indicare quaenam mutilationi non conveniant.

448. In primis tenendum est, homicidium etiam occultum inducere Irregularitatem ipso iure. Constat ex Trid. c. *Liceat* 6° sess. 24. Itaque homicidium Canonistae duplex distinguunt, *voluntarium* et *casuale*. Voluntarium est, cum ipsum homicidium intenditur, quod fit ponendo causam idoneam in hunc finem, ut mors sequatur.

Casuale est quod accidit praeter intentionem: quod dupliciter fieri

potest; vel enim vacat omni culpa occidentis, vel mixtum est cum eius culpa, quatenus non adhibuit debitam diligentiam ad cavendum homicidium. Ut autem defectus diligentiae in culpa sit, oportet eum praevidisse aliquo modo periculum occisionis alicuius.

Homicidium voluntarium potest esse *iustum*, quod nempe fit vel cum necessarium est in defensionem sui vel cum fit ex legitima auctoritate: vel *iniustum*, cui alterutra ex his rationibus non suffragatur.

Hoc alterum vel *simplex* est, animo quidem occidendi patratum sed absque praevertente deliberatione continuo admissum ut in rixa subito coorta: vel *praemeditatum*, animo antea conceptum et statutum, opportuno tempore patrandum.

Hoc autem fit vel *ex insidiis* vel *proditorie*, vel *veneno praestito*, vel *submissis sicariis*. Schmalzgr. l. 5. tit. 12. nn. 3.-9.

Ut per homicidium contrahatur Irregularitas, oportet mortem reipsa actu sequi: poenae enim in Iure decretae non incurruntur nisi delicto consummato, cum in poenis mitior sit facienda interpretatio et proprietati verborum prorsus inhaerendum. Ita communiter. Neque obstat c. 1. *de Homicidio* in 6. ubi mandantes occidi per assassinos gravissimis poenis puniuntur, *etsi forte mors non sequatur*. Nam ibi speciale crimen plectitur, quod non est solum mandatum occidendi, sed mandatum occidendi adhibitis *Assassinis*, qui erant nequissima gens, potens et terribilis, qua in perniciem aliorum quidam abutebantur. Quo in casu Pontifex disserte declarans poenas incurri, etiamsi effectus non sequatur, significavit, in aliis casibus, ubi id non exprimitur, id non valere. Suarez disp. 44. sect. 2. n. 2.

Oportet praeterea, ut iam dictum est n. 414., culpam homicidii esse mortalem in ipso actu externo. S. Alph. n. 382. 4.

449. Porro certum est 1° omnes, qui *propria actione* hominem *iniuste* occidunt aut mutilant, irregulares esse (Trid. Syn. sess. 14. c. 7.), etiamsi homicidium sit occultum (Trid. Syn. sess. 24. c. 6., in Clem. c. un. *de Homicidio*).

Qua in re duas quaestiones proponit s. Alph. Prior est n. 368. an si quem poeniteat positae causae, antequam mors sequatur, causa autem auferri amplius nequeat, is, secuta morte, contrahat Irregularitatem. Salmanticenses c. 8. n. 4. negant, iuxta ea, quae in tr. praeced. *de Censuris*, n. 95. ex ipsorum doctrina allata sunt et quae sunt reprobata. Hinc ipse s. Doctor verius affirmari dicit; quia secuta morte, verum est te causam eius libere posuisse, quod sufficit ad contrahendam irregularitatem, neque poenitentia sequens illud tollit.

Altera quaestio est, an Irregularitatem incurrat, qui primus aliquem letaliter percussit, quem deinceps alii confecerunt. Affirmat Schmalzgr.

l. c. n. 152. quia is iam sufficientem mortis causam dedit. Et sane si vulnus letale fuit, negari nequit, ipsi imputandam esse mortem; secus eadem ratione nec imputabitur aliis et sic nulli, quod est absurdum.

Atque id videtur satis colligi ex c. *Significasti, de Homicidio*, ubi proposito casu presbyteri, qui sacrilegum hominem percusserat, quem mox alii penitus interemerunt, dubitabat vero, an percussio sua fuerit letalis; respondit Pontifex, quod si constet, presbyterum non inflixisse percussionem letalem, is irregularis non sit habendus: quin ad excusandum hominem ab Irregularitate putet habendam rationem facti, quod alii postea sacrilegum illum confecerunt. Si vero, subdit, presbyter percussit eum hominem cum ligone in capite, cùm excesserit moderamen inculpatae tutelae, ait Pontifex, non videtur idem presbyter a poena homicidii penitus excusari *tum ratione instrumenti, quocum ipse percussit, quod cum grave sit, non solet levem plagam inferre, tum ratione partis, in qua fuit ille percussus, in qua de modico ictu quis letaliter laedi solet.* Ex quo apparet, rationem dubitandi (*videtur*, ait) ex eo fuisse quod non satis constaret certe, vulnus a presbytero inflictum fuisse letale: quo proinde constito, in ea ipsa hypothesi quod alii iam percussum postea peremerint, declaratus fuisset ille presbyter irregularis.

450. Non ille autem solum qui actione sua hominem occidit, fit irregularis, sed etiam qui *efficaciter* occidi *mandat*: c. 3. *de Homicidio* in 6. Schmalzgr. n. 154. s. Alph. n. 370. Quia mandator caedis pro homicida habetur 1. *Interest.* 15. ff. ad *Legem Cornel. de Sic.* Oportet sane mandatum esse cum efficacia; secus nequit secutum homicidium imputari mandanti.

Quod ergo, si dubitetur, an mandatum vel consilium fuerit necne efficax causa homicidii? Qui dubie homicidium commisit, hunc irregularem esse iam diximus n. 413. Sed haec est specialis dispositio iuris, quae ad alios casus non est trahenda: porro iura de mandante, cuius dubius fuerit influxus in homicidium, non loquuntur: s. Alph. n. 371. Atque l. c. iam advertimus, dispositionem eam specialem quoad homicidium dubium, non valere pro casu mutilationis. Ceterum in foro externo, ubi mandatum datum constiterit, mandantis erit probare, mandatum suum efficax haud fuisse.

451. Quaeritur, an mandans mutilari sit irregularis? Non solent DD. hanc specialem instituere quaestionem, contenti dicere: quod de homicidio dicitur, usurpandum esse quoque de mutilatione, iisdem regulis adhibitis. Cf. Sanguineti *Iur. eccl. Inst.* n. 215.

Verum constat, non omnia prorsus, quae in homicidio valent, valere et in mutilatione. Porro DD. aiunt (cf. s. Alph. n. 371.), quod non incurreret Irregularitatem mandans homicidium, nisi in iure esset

expressum; quia nulla Irregularitas nisi expressa in iure nec extensio facienda est a casu ad casum quantumvis similem: atqui de mandante mutilationem nullus canon loquitur; ergo cur is est irregularis? Cl. d'Annibale ait not. 24. ad n. 424., eum qui mutilationi causam praebuit, fieri irregularem, nullo iure expressum est. Id nimium videtur. Nam c. ult. *de Homicidio* in 6° qui aliquem verberari mandavit, si ex negligentia sua fuit causa cur ille mutilaretur, dicitur irregularis effectus. Citat cl. Card. in hanc rem s. Alphonsum n. 417. qui tamen ita pressius loquitur: *nullibi habetur, quod ille, qui abscissioni causam dedit et sine suo consensu abscissus est, fiat irregularis.* Loquitur de eo qui occasionem dedit suae abscissioni, sed citra suum consensum aut praevisionem puta cum aliquis accedendo ad coniugatam, dat causam, ut a marito virilia sibi abscindantur. E contrario si mandans verberari, ex secuta mutilatione, quam debuit praevidere, efficitur irregularis; iam videtur ipso iure statutum, mandantem mutilationem, ea secuta, esse irregularem. Rem in medio relinquimus.

Verius qui homicidium aut mutilationem suo nomine gestam habet ratam, non contrahit Irregularitatem. Quia quamvis ex reg. 10. iuris in 6° *ratihabitio retrotrahatur et mandato comparetur*, haec tamen regula non valet quoad ea quae formale mandatum requirunt: id autem postulari in hac re videtur; oportet enim verum esse, aliquem mandasse occidi, quod in fictione iuris non vere obtinet; semper enim verum erit, ratihabentem nec occidisse nec mandasse occidi neque aliquo modo operatum esse ad occisionem.

452. Quod de mandante homicidium dicitur, dici generatim solet de *consulente* efficaciter homicidium. S. Alph. n. 370. De Angelis l. 5. tit. 12. §. 1. Schmalzgr. l. c. n. 155. Colligitur ex. c. *Si quis viduam*, ubi a clero arcetur si quis homicidii aut *facto* aut *praecepto* aut *consilio* aut *defensione* (al. et rectius *assensione*) post baptismum conscius fuerit. Sed hic canon, qui a Gratiano asseritur Martino Papae, est quoddam ex capitulis collectis a Martino Bracarensi Episcopo.

Melius provocatur ad c. 2. *de Clericis pugn.*, qui est Caelestini III... ubi prohibetur sacris Ordinibus ministrare sacerdos, qui pugilem sibi substituerat duello pugnaturum pro se cum fure, qui a pugile usque adeo ictibus percussus est, ut coactus fuerit mori. Tum canon concludit verbis iisdem ac precedens cit. canon: *Homicidium autem tam facto, quam praecepto sive consilio aut defensione (assensione?) non est dubium perpetrari.*

Ait d'Annibale l. c. se huic sententiae non adhaerere, cuius contraria visa est probabilis Lugo *de Iust.* disp. 19. n. 40. Verum non hac in re negantem sententiam Lugo probabilem dicit, sed in peculiari hypo-

thesi, quae ad homicidium casuale spectat. Nimirum quaerit quid dicendum, si consuluisti alicui duellum vel homicidium et *is cui consilium dedisti* occisus fuit. Refert Suarez, Navarrum aliosque censere hunc esse irregularem: ipse, citans Turrianum, Hurtadum, Praepositum, probabilem iudicat sententiam negantem; quia ait, *Irregularitas ex consilio homicidii non est in iure inflicta, nisi quando consilium directe tendit ad ipsam occisionem.* Itaque affirmans sententia tenenda est.

Advertit de Angelis l. V. tit. 12. §. 1. discrimen intercedere inter mandantem et consulentem, quod mandans, revocato tempore utili mandato, non incurrat Irregularitatem: consulens autem, revocato etiam consilio, incurrit; quia consulens adhuc censetur causa moralis homicidii. Pro hac sententia citat s. Alphonsus n. 373. Navarrum, Bonacina, Azor, alios. Verum subdit, communem cum Suarez aliam esse, nimirum, si revocatio consilii efficax fuit, ut moralem influxum praecedentis consilii deleverit, ut idcirco consiliarius ex se solo deinde moveatur, cum perinde sit ac si consilium datum non fuerit, consulentem non incurrere Irregularitatem, eo quod non influat in homicidium. Ipse autem s. Doctor sic quaestionem solvit: « si consilium fuerit dumtaxat falsum vel datum auctoritativo modo, revocans illud, non fit irregularis: secus si consulens insinuavit motivum vel modum occidendi: tunc enim probabilius incurrit Irregularitatem; quia motivum aut modus semper influere pergunt ». Cf. dicta tr. VIII. Vol. III. 361. seqq. Subdit tamen ibid. s. Doctor: « Hoc tamen non obstante, secundam sententiam (quae nempe et in hoc casu consulentem liberat, si, quatenus in se erat, vim prioris consilii abstulit) non puto improbabilem ».

Generalis occurrit formula c. 11. *de Homic.* « diaconus, qui in homicidio *causam dedisse* videtur, non videtur ad sacerdotium promovendus ». Sed lex est specialis pro clericis in sacris et partialis Irregularitas.

453. Eos quoque, qui *proxime cooperantur* (quin actione sua occidant) ad homicidium, irregulares esse, communissima sententia est, ait d'Annibale l. c. (a) et iuxta s. Alph. n. 374. communis sententia est.

Hinc, ait hic, fiunt irregulares omnes, qui ad homicidium se excitant, quamvis unus solus occidat. Et iure prorsus, ait d'Annibale l. c. not. 30., quippe instar mandantium (potius consulentium) habendi sunt. Sed

---

(a) Qui tamen addit, id sine certo iure affirmari. Nam qui citantur canones vel legem non continent, qua Ecclesia obligatur, vel aliam poenam continent, quam Irregularitatis, vel ad solos spectant Sacerdotes. Et profecto mirari subit, postquam tam aperte professi sunt DD., Irregularitatem nullam esse nisi in iure expressam et nullam licere extensionem a casu ad casum, adeo eosdem pronos esse ad multiplicandas Irregularitates.

praeterea propter communem excitationem quisque fit audacior et id molitur quod solus non faceret. *Proxime* sane cooperari intelligimus, sine quorum ope causa principalis eundem ipsum effectum non ederet.

Sic qui vi aut dolo facit, ne alius se defendere possit et ita occidatur, irregularis est; proxime enim cooperatur.

454. Quaerit s. Alph. n. 372., an incurrat Irregularitatem, qui movet homicidam iam determinatum ad occisionem, ut citius eam exsequatur. Hic est certe causa, cur certum spatium vitae homini auferatur (n. 443.), sive huius homicidii, quod nunc patratur, et ipse causa est: idcirco communiter et recte Irregularitatem eius affirmari dicit s. Doctor. Quocirca, qui causa est, cur celerius quis occidatur, irregularem esse dicit n. 374.

Porro quae diximus de mandante quoad mutilationem, ea censemus dicenda de consulente et cooperante.

Quid vero de eo, qui valens homicidium impedire, culpabiliter non impedit (a). Sunt qui distinguant inter culpam et culpam sive inter obligationem et obligationem, cuius violatio culpa est. Si enim ille ex caritate tantum etiam sub gravi tenetur impedire, negant incurrere Irregularitatem, quamvis ex odio id omittat; quia neque vere dici is potest homicida seu causa mortis.

Id certum est apud omnes, ait s. Doctor. Si vero ex iustitia impedire tenetur ex. gr. medicus stipendio conductus, advocatus, qui debet reum tueri, custos viarum, maritus qui tenetur alimenta praestare uxori, pater filio: tunc, aiunt, Irregularitatem incurrit; quia is censetur verus homicida. Idque colligunt ex eo, quod canones (cf. n. 452.) irregularem dicunt qui *assensione* causa est homicidii.

Alii, sive ex caritate sive ex iustitia quis teneatur impedire, si negative solum se habeat, negant eum irregularem fieri. Ita plures, quos citat s. Alph. quibus accedit d'Annibale l. c.

Ratio est, quia haec Irregularitas non est, saltem certe, expressa in iure. Propterea s. Alph., hanc sententiam non minus probabilem habet, quam alteram. Imo si ea ratio valet, habenda est, ut practice certa, haec sententia.

455. Qui ob sui defensionem vel defensionem eorum, quos vel quae nece quoque invasoris tueri fas est, alium occidit aut mutilavit, servato moderamine inculpatae tutelae, nullam Irregularitatem contrahit; quia nullum peccatum admittit. Si tamen modum excessit, ut graviter peccaverit contra legem servandi moderaminis, non est immunis ab Irregularitate; quia voluntarium homicidium est absque necessitate:

(a) Hoc vere foret voluntarium indirectum, iuxta definitiones datas Tr. I. Vol. I. n. 18.

argum. c. un. *de Homic.* in *Clem.* et c. *Significasti* in fine. Quocirca si quis sine dedecore (cf. tr. VI. sect. 5. n. 60.), aliove periculo fugere potest et nihilominus occidit aut mutilat, cum graviter peccet contra iusti moderaminis praeceptum, Irregularitati fit obnoxius.

Quid vero, ait d'Annibale n. 423., si ut ipse aliquem verbis vel factis ad iram provocaveris, qua commotus deinde ille te invadat et tu, ut te defendas, occidas eum aut mutiles? Certe si non praevideris periculum, cum ius te defendendi habeas, nullum peccatum admittis occidendo aut mutilando, quando aliter evadere non possis: ideoque immunis es ab Irregularitate. Si tamen periculum illud praevidisti, quaestio haec spectat ad *Homicidium casuale*, de quo paulo post.

456. Qui in bello iniusto praeliantur (praesupposito semper peccato gravi), tum irregularis est qui occidit: tum si vel unus mutilatus aut occisus ex hostibus fuerit, Irregularitatem ex delicto homicidii contrahunt *omnes*, ait Suarez disp. 47. sect. 5. n. 1., *quotquot* ex adverso, eo cornu dimicant, si *se mutuo excitaverint*, ait d'Annibale n. 427. Ratio Suarez est, quia omnes cooperantur ad illud homicidium. Sed nimis remota est cooperatio. Necesse est scilicet, ut operam suam praestent occidenti aut mutilanti: « porro vicinioribus et circumstantibus id tribui potest, non vero illis, qui remota in parte exercitus consistunt » ait e recentiorum sententia Benedictus XIV. *Instit.* 101. n. 8. Vicinioribus autem id tribuitur, quia sua praesentia saltem se mutuo excitant.

Quaelibet alia Irregularitas ratione belli vel ex homicidio causali est vel ex defectu lenitatis. Adverte, procurantes abortum foetus (animati anima rationali, quod praesumendum est) ab ipso iure inter homicidas recenseri; reapse enim tales sunt et poenis homicidarum plectuntur. Schmalzgr. t. V. tit. 10. n. 31.

Hactenus de Irregularitate *ex homicidio voluntario iniusto*. Nunc de homicidio casuali.

457. Homicidium *casuale* illud esse diximus, a quo intentio homicidii prorsus abest: dupliciter autem contingit, vel absque culpa vel cum culpa, in hoc sita quod potuerit et debuerit casus praevideri, omissa autem sit debita diligentia: quae quidem omissio, iuxta diversas eventuum conditiones, quae modo maiorem, modo minorem diligentiam postulant, sit culpa lata et grave peccatum. Istud censetur quoddam *voluntarium indirectum;* eo quod voluntarie omissa sit debita diligentia ad praecavendum homicidium vel mutilationem.

Hinc 1° ubi nulla culpa intercessit, homicidium casu factum nullam gignit Irregularitatem. Constat ex cc. *Lator*, *Dilectus*, *Ioannes*, *Quidam*, *de Homicidio*, et c. un. tit. eod. in *Clem.*

2° Si culpa negligentiae intercessit, sive rei illicitae operam quis daret sive licitae, Irregularitas contrahitur. Diximus: *sive licitae;* in hac enim re nihil interest, utrum res licita sit et illicita; cum ex causa negligentiae Irregularitas contrahitur; nam et in actione licita ex. gr. venatione locus esse potest negligentiae culpabili in removendo periculo homicidii, quae est ratio, cur Irregularitas contrahatur. Suar. disp. 45. sect. 2. n. 1. Colligitur ex cc. *Presbyterum* et *Continebatur, de Homicidio.*

3° Etsi quis operam det rei illicitae, si illicita non sit propter periculum homicidii aut mutilationis, quod continet et nulla interfuerit negligentia, homicidium, quod forte sequatur, nullam inducit Irregularitatem. Ita communiter, ait s. Alph. n. 383. Et ratio patet; quia homicidium est illi omnino involuntarium. Sic si adulter deprehensus, causa est cur a marito adultera occidatur, non potuerit autem homicidium praevideri; immunis ille est ab Irregularitate.

4° Si vero actio quae exercetur, illicita est propter periculum, quod continet, homicidii, quamvis omnis diligentia adhibita sit ad hoc cavendum; si tamen sequatur, communiter censetur, contrahi Irregularitatem, non quidem eo quod voluntas quaedam indirecta homicidii reipsa intercesserit, sed quia a iure praesumitur. Schmalzgr. n. 248. Et affertur doctrina s. Thomae 2. 2. q. 64. a. 8. testantis hanc esse sententiam canonum: sed doctrina s. Thomae amplior est et spectat potius ad casum praecedentem cuiuscumque operis illiciti. « *Secundum iura*, ait, si aliquis det operam rei licitae, debitam diligentiam adhibens et ex hoc homicidium sequatur, non incurrit homicidii reatum. Si vero det operam rei illicitae, vel etiam det operam rei licitae, non adhibens diligentiam debitam (omissio debitae diligentiae nectitur tantum cum hac altera hypothesi, cf. textum seq.) non evadit homicidii reatum (poenam scilicet), si ex eius opera mors hominis consequatur ». Et ad 3^{m} « *Secundum canones* imponitur poena his, qui casualiter occidunt, dantes operam rei illicitae vel non adhibentes diligentiam debitam ». Ubi tamen nihil disserte de Irregularitate.

458. Haec doctrina, quod contrahitur Irregularitas, si exerceatur actio, quae sit illicita propter periculum homicidii, quaecumque diligentia adhibeatur, colligitur iuxta s. Alph. n. 383., ex cc. 49. 50. 51. dist. 50. et ex cc. *Dilectus*, *Ioannes, de Homicidio* et ex c. ult. eod. tit. in 6°. Verum canones in Decreto id tantum dicunt: si nulla habuit locum negligentia, homicidium casualiter secutum nullam inducit Irregularitatem: si negligentia intercessit, Irregularitas consequitur; quae est doctrina communis superius tradita. Canones vero ex Decretalibus Gregorii IX. absolvunt eum, ex cuius actione mediate casuale

homicidium secutum fuerat; « quia nec voluntate nec actu homicidium perpetravit, *nec dedit operam illicitae rei* »: unde a sensu contrario colligendum esset, quod si illicitae rei operam dedisset, non fuisset immunis ab Irrregularitate. Utique interpretantur Theologi de actione illicita propter periculum homicidii, quae interpretatio probabilis est: sed si verbis iuris insistere velimus, Irregularitas ex quovis opere illicito affirmanda foret; ius enim non distinguit, sicut nec distinguit s. Thomas. Cum ergo hoc alterum communiter negetur, sequitur saltem Irregularitatem in hoc casu incertam esse.

Canon tandem ult. *de Homicidio* in 6° ait: Is, qui mandat aliquem verberari, licet expresse inhibeat, ne occidatur nullatenus vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, si mandatarius, fines mandati excedens, mutilet vel occidat. Cum mandando in culpa fuerit et hoc evenire posse debuerit cogitare ».

Ratio non est tantum, quod actio fuerit illicita (*cum mandando in culpa fuerit*); sed quia omissa est debita diligentia (*quia hoc evenire posse debuit cogitare*). In idem enim redit dicere: *hoc evenire posse debuit cogitare* et dicere: *omisit debitam diligentiam.* Non est ergo, cur credamus, dantem operam rei cuilibet illicitae, quanquam diligentiam debitam adhibeat, ne mors aut mutilatio sequatur, irregularem fieri, si forte deinde illud consequatur. (Cf. cl. Sanguineti *Iuris Eccles.* n. 214. 6.). Manet ergo, quod culpa requiritur, ut haec Irregularitas contrahatur.

Ex hoc tamen canone habes, quod quae dicuntur de omissa diligentia in homicidio casuali, valent etiam in casuali mutilatione.

459. Quaenam mutilatio requiratur, ut Irregularitas contrahatur, diximus superius. Heic est advertendum, ea valere, cum agitur de mutilatione *alterius:* si vero quis *se ipsum* mutilet, minus requiritur ad incurrendam Irregularitatem. Sufficit enim abscissio digiti vel partis digiti, ut Innocentius I. statuit c. 6. dist. 55. puniturque mala voluntas, *quae sibi ausa fuit ferrum iniicere.*

Illud tamen advertendum, ex Trid. Syn. sess. 14. c. 7. aequum videri, ut pro homicidio quoque inculpabili et necessario dispensatio, ad cautelam nempe, petatur, quae tamen simul iure quodammodo debita dicitur.

Unde resolves.

XIX. 1. Non fit irregularis, qui in rixa praescindit alteri digitum, pollicem, ungues, dentes, barbam, capillos, labia, nasum, auriculam, (idest, cartilaginem, quae tantum deservit ad ornatum et tutelam auris); quia non sunt proprie membra, v. g. digitus est pars tantum et officium membri. Avila et alii 8. cum Dian. p. 4. t. 4. r. 26. Item M. Leo l. c. ex Glossa c. ult. *de Hom.* in 6. et l. *Quaeritur herm.* 10. 1. *Non sunt,* 14. §. *Partus,* ff. *de Statu hom.*

XX. 2. Nec fit irregularis, qui excaecavit hominem solo visu privando, non autem oculum extrahendo: nec qui debilitat tantum membrum et non abscindit; quia non est mutilatio. Dian. p. 4. t. 4. r. 26. ex Megal. etc.

460. Haec iam declarare oportuit in praecedentibus. Sed quo spectent in 1ª resol. citationes ex Pandectis, non satis video.

XXI. 3. Quando plures (non ex consilio, sed in rixa) unum percutiunt et unus letale vulnus infligit, ex quo moritur: si constet, quis hoc fecerit, hunc solum fier i irregularem docet Sayr. et alii 5. cum Dian. p. 2. t. 15. r. 18. contra Avil. Suar. etc

461. Per accidens est, quod plures una reperiantur cum aliquo rixantes. Non ergo cooperatio intercedit, sed quisque sua sponte agit; ille proinde solus irregularitatem contrahet, quem, ait A., constet homicidii esse auctorem. Quid si non constet, a quo letale vulnus sit profectum? Cum factum non est certum, neque Irregularitas certa est; dubia vero in praxi est nulla (n. 412.).

XXII. 4. Qui infirmo bona fide dat aliquid, v. gr. cibum vel potum, vel eum movet, vel de lecto in lectum transfert, aut aliud circa eum operatur, ex quo mors vel eius acceleratio praeter intentionem sequatur, non fit irregularis, nisi intervenerit lata culpa. Avila, Filliucc. et alii 4. cum Dian. p. 5. t. 3. r. 117. ubi ex Bonac. etc. notat, Sacerdotibus et Religiosis circa moribundos licere eadem, quae laicis.

462. Irregularitatem nullam incurrit, ait Schmalzgr. n. 215., qui dat operam rei licitae et sufficienter praecavet periculum, ne ex actione sua mors aut mutilatio alterius sequatur. « Et propterea reprobandus est quorundam scrupulus, qui vulnerato vel aegro subvenire recusant, illum levando, ne, si fortassis inter eorum manus exspiret, ipsi accelerasse mortem et propterea Irregularitatem contraxisse censeantur ». Nullum est enim delictum nec ulla heic ex defectu lenitatis habetur Irregularitas, quae, ut videbimus, ex hoc capite contrahitur solum ob homicidium aut mutilationem factam publica auctoritate.

Addit s. Alph. heic, non fieri irregularem sacerdotem, qui iubeat fieri abscissionem membri praescriptam a medico, imo nec si adiuvet chirurgum congrue mutilantem. Si autem quid praebeatur aut fiat aegroto, quod mortem eius certe accelerat et in hunc finem fiat vel absque causa fiat, nulla simul adhibita diligentia ad praecavendum effectum praevisum, irregularitas contrahetur, dummodo culpa mortalis sit. Ibid.

Nec irregularis fit medicus, si infirmus ex pharmaco praestito decedat, sine gravi medici negligentia c. *Ad aures, de Aet. et qual. Ordin.* ubi de Canonico agitur, qui eruditus in Physica h. e. Medicina eam exercuerat, non semper feliciter. S. Alph. n. 384.

XXIII. 5. Qui amicum bono animo comitatur, ne periclitetur in rixa, non fit irregularis, etsi amicus occidat alium. Avila, Henriq. etc. cum Dian. p. 4. t. 2. r. 17. Limitat autem Praep. nisi sua praesentia animaverit ad occidendum.

463. Supponitur hic nec dedisse consilium aut movisse ad homicidium nec opem ferre rixanti aut saltem praesentia sua animum addere occidenti iniuste (si animum alicui addas ut se strenue ab iniquo aggressore defendat, nihil mali facis): idcirco nulla est causa Irregularitatis.

Quid si consuluerit amico homicidium et ipse amicus e contrario in rixa occubuerit? Iam audivimus a Lugo (n. 452.), canones Irregularitatem ex eo tantum consilio homicidii infligere, quod directe tendit in ipsam occisionem; ergo, quidquid hic peccaverit, locus heic non foret Irregularitati.

Si vero quis mandaverit aut iusserit aliquem duellum inire et mandatarius moriatur aut mutiletur, cum hic casus probabiliter praevideri potuerit, si reapse peccatum graviter sit in omissione debitae diligentiae, tenebitur hic mandans c. ult. *de Homicidio* in 6° qui est de mandante.

XXIV. 6. In bello iniusto si vel unus occidatur, totus exercitus fit irregularis, saltem si aliqua ratione sit cooperatus. Bonac. q. 4. p. 4. n. 3.

464. De hac re iam locuti sumus n. 456., ubi vidimus cooperationem proximam requiri et sermo erat, ut et heic apud Auctorem, de aliquo ex hostibus occiso. Quid si aliquis ex agmine proprio occidatur? An ob id, qui in ea acie pugnant, fiunt irregulares? Puto idem dicendum, quod de consulente dixit Lugo: iura hunc casum non spectare, sed de occisione adversariorum loqui, de cooperatione nempe ad homicidium, quod intenditur.

XXV. 7. Irregularis fit, qui procurat abortum foetus animati anima rationali: secus, si animatus non sit. C. *Maiores,* 32. q. 2. Bonac. l. c. p. 8. n. 27. Con. etc.

465. Atqui omnis foetus censendus animatus, ut alibi monuimus. Discrimen inter foetum animatum et inanimatum, quoad excommunicationem saltem, sustulit Pius IX. Const. *Apost. Sedis.* Cf. ibi dicta.

An sublatum est etiam discrimen quoad Irregularitatem? Dubitare profecto licet. Nam poenam hanc inflictam a Sixto V. procurantibus abortum Gregorius XIV. sustulit in casu foetus inanimati Const. *Sedes Apostotica* 31. Maii 1591. Idem autem pontifex discrimen servans in Schola universim tunc probatum inter foetum animatum et non animatum (anima rationali) atque idcirco etiam doctrinam communem de tempore animationis sive maris sive feminae, noluit hoc ipso Irregularitatem contrahi, nisi eo elapso tempore quo certa erat ani-

matio. Noluit ergo contrahi, si eiectio foetus procurabatur ante 40^{m} diem a conceptione, quo foetus masculus animari censebatur, voluit, si eiiciebatur foetus post 80^{m} diem a conceptione, quo foetus femineus animam suscipere dicebatur. Quia vero dubitare semper licet, an foetus eiectus mas fuerit an femina, certa procuratio abortus foetus animati obtineret tantum post 80^{m} diem a conceptione et cum id constabit, Irregularitas consequetur. Cum ergo haec fuerit voluntas legislatoris et sine lege nulla sit Irregularitas, quaecumque sit causa omissae legis, credere licet, Irregularitatem in casu non contrahi, nisi constet eiectum foetum post 80^{m} diem a conceptione.

XXVI. 8. Qui dans operam rei licitae (imo, secundum multos, etiam illicitae) sufficientem diligentiam adhibuit, ne ex ea homicidium sequeretur et tamen secutum est, non fit irregularis, ob defectum voluntarii: secus tamen si dictam diligentiam omisit, omissione mortali. Bonac. q. 4. p. 7. Less. l. 2. c. 9. dub. 15. etc. Alii tamen dicunt, quod dans operam rei illicitae, ex quavis culpa etiam levissima, incurrat hanc irregularitatem. Panorm. Covarr. M. Leo p. 3. f. 354.

466. Haec consona sunt iis, quae diximus n. 453. Irregularis non fit, ait s. Alph. n. 384., magister, qui discipulum vel pater qui filium moderate verberet, si casu ex percussione mors sequatur. Item qui feram aut canem ferocem alit bene custoditum, si casu ruptis vinculis bestia se subducat et hominem interimat.

XXVII. 9. Qui alterum mutilat et occidit, ad necessariam sui defensionem cum moderamine inculpatae tutelae, non incurrit hanc irregularitatem; quia hic nulla est culpa, ergo nec poena M. Leo p. 3. f. 349.

467. Nulla in hac re quaestio. Sed adde animadversionem factam n. 455.

Adverte speciale quid esse statutum pro subdiaconis, diaconis, presbyteris, nimirum vetitum ipsis est chirurgiae artem exercere, quae adustionem vel incisionem inducit c. 9. *Ne clerici vel monachi.* Hanc prohibitionem ad monachos quoque spectare censent DD. cum speciatim monachis studium quoque Physicae h. e. Medicinae sit interdictum c. 10. eod. tit.

Prohibitionem vero hanc esse sub poena Irregularitatis, ita ut hi fiant irregulares, si ex incisione aut adustione, etsi citra eorum culpam, mors sequatur, affirmat s. Alph. n. 384. ipseque d' Annibale n. 428. ex c. *Tua nos* 19. *de Homicidio.* Verum hoc in canone Monacho, qui dicitur multum deliquisse, officium alienum usurpando, irregularitatis notam propterea inflictam esse, negat Gonzalez ibid. Et sane nulla sunt verba, quae hanc exigant interpretationem et satis est suspensionem aliquam intelligere (sacerdos hic erat) a celebratione Missae, donec condigna poenitentia satisfecerit.

De Irregularitate ex homicidio dubio solos attingente clericos diximus n. 413.

Porro de Irregularitate ex delicto rursus sermo redibit in dub. seq. ubi de Eunuchis et de Bigamis quibusdam.

Dub. V.

Quae Irregularitates ex defectu.

XXVIII. Resp. *Prima* ex defectu animae, ex quo irregulares sunt 1. Amentes, phrenetici, arreptitii et epileptici; qui tamen, si ordinati sunt et intra annum eo morbo non laborarunt, praesumuntur liberati et permittuntur ad Ordinum exercitium. Si vero laborent raro et quidem sine clamore et spuma, permittuntur celebrare cum coadiutore, qui, deficientibus ipsis, suppleat sacrificium. M. Leo p. 372. ex c. *Illud* 7. q. 1. Glossa ibid. 2. Illiterati, qui non habent doctrinam necessariam pro Ordinibus. 3. Neophyti, seu recenter conversi, usque dum iudicio Episcopi sufficienter instructi sint.

468. Defectus hic animae vel est in facultatibus naturalis ordinis vel supernaturalis. Prior duplex esse potest, nempe vel carentia usus earundem facultatum aut perpetuus aut temporaneus, vel carentia debitae perfectionis, h. e. defectus scientiae. Alter unus reapse est, scilicet defectus fidei firmae, cuiusmodi defectus in neophytis est aut praesumitur itemque in iis, qui baptismum usque ad mortem distulerunt.

Sed quaedam ex his potius sunt inhabilitates ex iure naturae, ut amentia et phrenesis perpetua, quam canonica Irregularitas: quaedam sunt Irregularitates impropriae, cum per se ipsas desinere possint et in aestimatione Ordinarii positae sint, ut illiteratum esse aut neophytum.

469. Cl. d'Annibale n. 413. normam pro hac et sequentibus Irregularitatibus suppeditat, ut dignoscatur utrum vera sit, an minus propria Irregularitas. Cum scilicet scimus, quaedam vitia prohibere ab Ordinibus suscipiendis aut exercendis, videndum est, an, secluso iure canonico, licite quis eo vitio affectus potuisset Ordines suscipere: si non potuit, inhabilitas est ex iure naturae, ut in amentibus perpetuis, etiam in illiteratis prorsus quoad sacerdotium: si autem potuit, erit inhabilitas ex iure canonico, cuiusmodi est ea, quae neophytum excludit.

Sed haec rursus, ut presso sensu Irregularitas dicatur, talis esse debet, ut ex se sit perpetua et dispensatione sola tollatur. Si autem vel per se ipsam desinit, vel quandiu durat, nequit licite per dispensationem tolli, potius erit *indignitas*, aut *inhabilitas*, quam *Irregularitas*, ut ignorantia supina, minor aetas, plurium sensuum privatio.

470. Ut de singulis aliquid dicamus, quoad amentes et phreneticos, qui iidem sunt ac amentes et dicuntur etiam *furiosi* (a), si perpetuus et constans sit morbus, nulla est difficultas.

Si amentia desiit aut desiisse videtur, vel ea affectus iam suscepit Ordines vel nondum. Si ordinatus est, tunc post certum intervallum temporis, quo morbi liberatio probetur iudicio Episcopi, licet ei in susceptis Ordinibus ministrare. Si nondum est ordinatus, distinguunt DD.: scilicet vel amentia ortum habuit ex causa quadam perpetua, quae rationem sui nempe habet in laesione organorum, vel ex causa aliqua accidentali, puta febri vehementi. Si prius, negant licere promotionem ad Ordines; quia etsi identidem cesset, reditura facile est amentia et ad hoc producitur c. *Maritum* 2. dist. 33. in quo dicitur non ordinandus, *qui in furiam aliquando versus insanivit.* Sed desumptus est canon ex libro Gennadii *de Eccles. dogmatibus* et verba nimis generalia sunt, quae et furiosos ex accidente repellerent a clero. Idem Gratianus affirmat sub c. 13. caus. 15. q. 1. Res, puto, medicorum consilio et arbitrio Episcopi definienda est et quandiu non constat, amentes plene convaluisse, non licebit Episcopo eos ordinare; si constet, licebit.

Nec dubio positivo exsistente videtur esse locus vel Pontificiae dispensationi; ius enim naturae et divinum amentes repellit a sacrorum ministeriis.

Si autem amentia certe desiit, ipsa tamen non ex causa accidentali exstiterit, docet s. Alph. n. 490., non posse Episcopos dispensare huiusmodi hominem ad Ordines suscipiendos; quia nempe de Irregularitatibus ex defectu Episcopi nequeunt dispensare. Verum haec non est proprie dicta Irregularitas et si certo constat desiisse amentiam, quo certo iure probatur, hunc adhuc esse Irregularem? Nonne potius dicenda fuisse ex causa accidentali? Ad summum dubia erit Irregularitas: at in dubia Irregularitate Episcopus dispensare potest (n. 411.).

471. Arreptitios seu daemoniacos, quandiu vexationi huiusmodi sint obnoxii, ordinari profecto non decet nec ordinatos ministrare. Atque huc spectat canon assertus Pio I. a Gratiano c. 3. dist. 33. (qui est tamen Conc. Toletani 2. c. 13., ut testatur Gonzalez l. 1. tit. 20. c. 2.): « Communiter definimus, ut nullus de iis, qui aut in terram arrepti a daemonibus eliduntur aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur, vel sacris audeat altaribus ministrare vel indiscusse se ingerere sacramentis divinis ».

(a) His accenseri solent et *lunatici*, qui tamen, si vox proprie sumatur, ab his differunt; nam non costanti, sed intervallis recurrente furore laborant et potius cum epilepticis comparandi sunt.

Porro *arreptitii* veterum iidem sunt ac *epileptici* (ut ipsum nomen docet), qui olim putabantur hanc a daemone vexationem pati, ut idcirco et inter daemoniacos censerentur.

Omissis veris daemoniacis h. e. obsessioni aut insessioni daemonis obnoxiis, epilepsia, quod omnes norunt, morbus gravis est, quo totius corporis constitutio convellitur, homo crebro et subito concidit (morbo caduco), ex ore spumae moventur, deinde interposito tempore homo ad se redit et per se ipsum consurgit. Modo cum distentione membrorum aut nervorum prolabitur aliquis, modo sine illa. Differt proinde hic morbus a simplici contractione et distentione nervorum (convulsioni). Si epilepsia, seu, ut Romani amabant loqui, *comitialis morbus* oriatur ante pubertatem, non aegre finitur, ut testatur Celsus II. 8.

Itaque quandiu ab huius morbi vexationibus tutus homo non sit, nequit ordinari. Non est tamen neganda Pontifici potestas dispensandi in hac hypothesi etiam ad sacerdotium; nam licet talis infirmus nequeat celebrare, potest tamen alia sacerdotalia ministeria rite exercere: cur ergo Papa permittere non poterit, ut talis homo ordinetur? Quia, aiunt, potestas super corpus mysticum fundatur super potestate in corpus reale Christi (s. Alph. n. 414.). Demus hoc: at quid inde? nonne per ordinationem potestas in corpus reale Christi accipitur? deerit exercitium; sed nemo dicet, exercitium potestatis ex. gr. absolvendi, inniti exercitio potestatis consecrandi.

Monacelli *Formularium legale* tit. 13. form. 3. n. 37. ait: « Coecitas licet inducat Irregularitatem, tamen clericus caecus, si esset scientia idoneus, posset per ss. Pontificem dispensari, ut ad presbyteratum promoveatur, in ordine ad confessiones sacramentales audiendas, ut probat Pasqual. *q. mor. iur.* 36. vel ut praedicationis ministerium suscipiat, Paris. *de Resign.* l. 5. q. 7. h. 43.

Si morbus ante pubertatem coeperit et deinde omnino cessaverit, quod adhibito etiam medicorum consilio dignosci poterit, nullum impedimentum affert ordinationi: d'Annibale n. 415. s. Alph. n. 339. Imo Croix l. 7. n. 495. testatur, etiamsi morbus post pubertatem coeperit, praxim in suis partibus habere, ut qui biennio liberi fuerint ab hac infirmitate, accedente declaratione Episcopi, ordinentur, imo, si solidos septem annos immunes fuerint, nec Episcopi declaratio requiratur. Sane non agitur de proprie dicta Irregularitate, sed de naturali indecentia et inhabilitate, persistente morbo, qui tamen morbus identidem desinit progrediente aetate fierique potest, ut certa remedia adversus ipsum inveniat scientia medicorum.

Si morbus occupet iam ordinatum, mitius cum hoc agitur et si raro sacerdos cadat spumasve ducat (idest semel in mense, ait s. Alph.

n. 399.) permittitur ei celebrare privatim, assistente sacerdote ieiuno, qui Missam perficiat, irruente morbo.

Sed si experientia constet, semel in mense aut decimoquinto quoque die ex. gr. morbo hominem vexari, iam in eo temporis intervallo tutus homo satis censebitur, ut assistente adhibito et forte etiam sine illo, ut fieri vidimus, possit celebrare.

Citatus canon arcens arreptitios a ministerio altaris, excipit eos, qui corporis incommoditatibus dediti sine huiusmodi passionibus in terram probantur elisi (videtur de iis loqui, qui sola contractione aut distentione nervorum laborant): « qui tamen (subdit) et ipsi tandiu erunt ab officii sui ordine et loco suspensi, quousque unius anni spatio, per discretionem Episcopi, inveniantur ab incursu daemonum liberati ». Suarez autem disp. 51. sect. 1. n. 5. opinatur, usu non esse receptam legem de anni spatio, sed relinqui id prudenti arbitrio Episcopi.

Nec huius partis canonis clara est satis sententia et DD. de epilepticis loquuntur; absente ergo comitiali morbo, res prorsus relinquenda arbitrio Episcopi, qui iudicet, an deceat necne infirmum ordinare.

472. Auctor secundo loco recenset illiteratos. Hos et Trid. Syn. reiicit sess. 22. cc. 4. 11. 13. Haec est potius in pluribus naturalis inhabilitas, quam canonicum impedimentum Cf. dicta *de Ordine*, Vol. V. 949., ubi advertimus, pro quibusdam Ordinibus minoribus cognitionem grammaticae latinae iure naturae non requiri; ideoque si requiritur, id esse ex lege Ecclesiae. Unde sequitur plenam carentiam huius instructionis pro quibusdam Ordinibus impedimentum canonicum esse veramque Irregularitatem; idcirco diximus: in *pluribus*.

473. Tertio loco sunt Neophyti, quorum fides forte firma non est. Id Apostolus iam statuit 1. Tim. III. 6. Haec praesumptio est, quae veritati cedit et identidem cessit, ut in beato Ambrosio. Quandiu vero probanda sit fides neophytorum, nulla lege definitum est, sed prudenti permittitur Episcopi arbitrio. Suarez disp. 43. sect. 3. n. 6. s. Alph. n. 402. Porro eadem ratio valet in clinicis (n. 425.), quorum fides suspecta esse potest.

XXIX. *Secunda,* ex defectu corporis. 1. Si propter eum ineptus est ad exercitium Ordinis, ut si sit coecus, surdus, claudus, ita ut sine baculo nequeat ire ad altare: Item, si careat manu, pollice, indice, oculo (non tamen si ungula pollicis, vel indicis, vel oculo dextero tantum) si vero sinistro seu Canonico aut eius vi visiva careat, indiget dispensatione: quod tamen negant Valent. Henr. Sayr. si quidem dextero possit absque deformitate legere Canonem 2. Si Ordinem nequit exercere sine horrore, offensione aut scandalo aliorum, ut si careat auribus, naso, si notabiliter sit gibbosus, leprosus, paralyticus, si membra habeat superflua cum magna deformitate: in dubio vero, an deformitas sit sufficiens, Episcopi est iudicare, saltem in Clericis: nam in Regularibus id spectare ad eorum Praelatum contra Barbosa etc. docent Suar. et alii 5.

cum Dian. p. 4. t. 2. r. 63. licet concedant Episcopum posse reiicere arbitrium Praelati; hunc autem, si gaudeat auctoritate quasi Episcopali, posse in illa irregularitate dispensare, nisi deformitas sit tanta, ut scandalum generet. Ibid. ex Rodr. et aliis 4. Vide Bonac. Laym. M. Leo p. 3. f. 370.

474. Monet s. Alph. (n. 404.). Irregularitatem, quae est ex vitio corporis oriri ex duplici capite, vel quia nempe impedit congruum exercitium Ordinis, vel quia affert notabilem indecentiam: scilicet vel ex *impotentia* vel ex *indecentia*. Tum monet, facilius tolerari defectum supervenientem promoto, ne iure quaesito absque culpa privetur, quam in promovendo.

Completa caecitas impedimentum est canonicum: quamvis enim caecus quaedam munera propria sacerdotalis Ordinis exercere valeat, quia tamen nequit congrue celebrare Missam et altari ministrare, quod est praecipuum munus, prohibetur Ecclesiae lege ne ad Ordines promoveatur. Multo magis, si simul sit caecus et surdus; quid enim faceret? ut haec ab ipsis rerum naturis Irregularitas constituta videatur.

Si tamen sacerdos caecus evaderet, dummodo constet, ipsum non erraturum, assistente alio sacerdote, potest a Papa dispensationem flagitare, ait s. Alph. l. c. Cf. tr. *de Eucharistia* Vol. IV. 1096. Nec prohibetur audire confessiones.

475. Si quis alterutro oculo sit caecus, DD. distinguere solent. Nam si dexterioris oculi vitium sit, negant esse irregularem, affirmant, si sinistri; eo quod nequeat ad altare canonem legere. Sed nulla lex affertur, quae hanc statuat Irregularitatem et DD. qui eam affirmant, suddunt deinde, quod si caecus oculo sinistro potest nihilominus legere canonem dextro, non est irregularis. Addunt alii, facillime posse huic incommodo adhiberi remedium, si missale congruenti loco, puta e regione locetur; ita ut idcirco occasio Irregularitatis sit certa collocatio libri: quid sane repugnat librum locare ad dexteram celebrantis? Ergo certa Irregularitas ex utriusque oculi caecitate oritur.

Si vero alteruter oculus sit erutus, irregularis quis erit ratione passivae mutilationis seu deformitatis: nihilominus si haec deformitas suppleatur oculo vitreo, probabile est eum non esse irregularem. S. Alph. (n. 410.); nam cessat ratio deformitatis.

Si quis non caecus sit, sed caecutiens, ita tamen ut neque oculario instrumento legere valeat in Missali, hunc s. Alph. l. c. irregularem pronuntiat ad Ordines suscipiendos: non vero si iam sacerdos sit, ad celebrandum: dummodo Missam memoria teneat et discernat calicem et hostiam, ut irreverentia evitetur, praesertim cum alterius assistentia, l. 6. n. 390.

Si in oculo macula exstet magnam non afferens deformitatem, potest ordinari; secus, si magna sit deformitas c. 2. *de Corpore vitiatis:* cf. ibid. Gonzalez. Sed ea foret Irregularitas ob indecentiam.

476. Surdus utraque aure nequit ad ordines promoveri: cum nequeat ad altare decenter ministrare nec confessiones audire nec alia sacramenta absque irreverentiae suae vel aliorum periculo administrare. Surdos reiicit canon 7^{us} inter Apostolicos, novissime s. C. C. 27. Ian. 1855. Si surdaster quis sit, si altera tantum aure surdus, non est irregularis. S. Alph. n. 405. Si autem surditas sacerdoti superveniat, is profecto non prohibetur celebrare; facile sane potest incommodum sarciri in eo situm, quod non audiat ipse respondentem ministrum. S. Alph. ibid.

477. Mutum ab Ordinibus repelli evidens est, si reipsa nequeat loqui vel nequeat ullam vocem integram pronunciare. Quia vero nostra aetate et muti loqui assuescunt, ut non videantur nisi surditate laborare; de his saltem dicendum quod de surdis. Blaesi, nisi nati sint cachinnos ciere, non sunt irregulares: s. Alph. n. 406.

478. Caeci, surdi, muti propter impotentiam repelluntur; eodem pacto prohibentur promoveri carentes manu vel digitis, vel quibus brachium aut manus obriguerit, pariter mutilati pollice vel indice sive integre sive ex parte ita ut hostiam frangere nequeant, imo et si ungula careant, ut istud idem non valeant perficere. Ita c. 7. *de Corpore vitiatis.*

At presbyter, qui partem aliquam digiti (pollicis aut indicis) amisit, si non perdiderit tantum de digito, quin sine scandalo possit celebrare, non prohibetur a celebratione c. 1. eod. tit.: scilicet irregularis non evadit. At si priores duos digitos cum dimidiata palma amisit, non permittitur celebrare, c. 2. *de Cler. aegrot.* Verum in casu necessitatis potest presbyter ministrare Eucharistiam posterioribus digitis, si alii sint impediti aut desint. S. Alph. n. 408. Cf. *de Eucharistia* Vol. IV. n. 896.

Defectus alicuius ex tribus posterioribus digitis irregularem non facit Reiffenst. l. 1. tit. 20. n. 14. s. Alph. l. c.: imo et si duo desint, ut quidam censent apud s. Alph. ibid.: si tres omnes posteriores desint, irregularis est, ait s. Alph. l. c. ne possit promoveri; verum id potius ob deformitatem, quam ob impotentiam. Et presbyter hanc calamitatem in utraque etiam manu passus, non video cur privatim saltem nequeat celebrare; nam tandem hac in re nullus exstat canon.

Nec si quis sex habeat digitos, irregularis est; Irregularitas sane foret ex deformitate, quae minima est. Abscissio quoque sexti digiti, qui esset praeter membra propria corporis, irregularem non facit abscindentem.

Monet s. Alph. quod si quis careat indice, potest dispensationem obtinere, nec videtur esse ulla difficultas in ea concedenda; cum digitus medius tantundem in actione sacra valeat praestare quod index.

Quae ratio esse posset dubitandi, an huiusmodi sit vere irregularis, nec certus canon habetur; canon enim 7° tit. cit., qui huc afferri posset, cum non permittat eum promoveri qui ungula tantum carens frangere nequit, loquitur de *pollicis* ungula, qui digitus non suppletur, saltem eodem pacto, quo index a medio. Tum meminisse oportet, quod iam *de Euchar.* l. c. monuit B., integram manum sacerdotis esse consecratam.

479. Etiam quaedam infirmitates causam dant Irregularitati ex defectu corporis propter impotentiam.

Ita paralytici, qui nequeunt aut vasa sacra ferre et tenere aut sacras species frangere et ministrare, promoveri non possunt. S. Alph. n. 409. Id ex ipso iure naturali oritur, si impotentia vere sit. Ex iure canonico affertur c. ult. *de Cler. aegrot.:* sed ibi sermo est tantum de Coadiutore dando Archidiacono, qui morbo paralytico laborans, amiserat officium linguae.

Si levis sit paralysis, quae non inferat periculum effusionis calicis aut generatim non impediat exercitium sacrae actionis, eademque presbytero superveniat, non prohibet ipsum a celebratione. Si praevertat; an talis infirmus ordinandus sit, in aestimatione Episcopi situm erit, puto; iura enim de hac re nihil decernunt, ut idcirco id tantum spectare oporteat, quod cum Ordinum exercitio congruit.

Infirmitatibus impedientibus promotionem ad Ordines accenset s. Alph. n. 409. febrim continuam (non quartanam, aut levem); quod cum nimium videatur, temperat primo, monens id intelligendum de eo, qui ob talem morbum non posset celebrare sine proximo periculo deficiendi vel notabiliter errandi. Sed est casus metaphysicus. Qui febri continua laborat, semper decumbit et de huiusmodi ordinandis nemo agit, nec si talis infirmitas presbytero superveniat, opus est prohibitione, ne celebret. Nec iste irregularis est; sed reverentia debita prohibet ipsum celebrare. Tum idem s. Doctor rem tandem revocat cum aliis ad generale principium: nullum morbum inducere irregularitatem nisi vel exercitium Ordinis impediat (irregularitas ex hac causa est inhabilitas ex ipso iure naturae) vel notabile scandalum sive indecentiam afferat.

S. Doctor ibid. mentionem eorum facit, qui tantam patiuntur tussim, ut periculum sit, ne, sicut oportet, sacra Eucharistia suscipiatur. Sed et hoc, ut practicum sit, accipiendum est de sacerdote, qui tussi tanta pulsatus celebrare non debet, quemadmodum nec infirmus eo

vitio laborans potest viaticum sumere, propter reverentiam sacramento debitam, non vi alicuius Irregularitatis.

Irregulares sunt qui natura sint abstemii, qui nequeunt haurire vinum absque periculo evomendi. Hos irregulares esse iure divino, ait s. Doctor, utique quod spectat ad celebrationem Missae, ad quam nec Papa potest eos dispensare. Sed, ut iam monuimus, non est neganda Papae potestas dispensandi huiusmodi homines ad sacerdotium suscipiendum, ut cetera munia sacerdotalia valeant exercere (n. 471.).

Monet s. Alph. l. 6. n. 408. peccare sacerdotem, qui in purificatione calicis sola aqua utatur, sed hoc peccatum non esse plusquam veniale, e communi sententia: idcirco iusta exsistente causa et a veniali excusabitur, quemadmodum Tamburinus a s. Doctore citatus excusat abstemium.

Hactenus de defectibus corporis ob impotentiam inferentibus irregularitatem. De quibus illud generatim adverte cum d'Annibale n. 414., Irregularitatem ex impotentia ortam prohibere ab iis tantum Ordinibus suscipiendis, vel exercendis susceptis, quibus quis congrue defungi non posset. Abstemius ex. gr. a diaconatu non prohibetur.

480. Ad decentiam quod spectat, illud habemus ex iure; non esse permittendum, Ordinem exerceri ab eo, qui *sine scandalo, ob deformitatem* exercere illud non valeat. Ita c. 2. *de Cler. aegrot.* repellens propterea presbyterum a ministerio altaris. Deformitas autem per se impedit a cuiuslibet Ordinis publico exercitio ideoque et a quolibet Ordine suscipiendo, qui per se publice est exercendus: quocirca, si Ordini iam suscepto superveniat, privatus usus saltem permitti solet frequenter, ne *afflictio addatur afflicto* (c. 5. *de Cler. aegr.*). Et sane, ut ex textu allato patet, *deformitas* cum *scandalo* coniungitur.

Propter deformitatem censetur irregularis 1° *Claudus*, qui nempe absque baculo similive fulcimento nequit stare ad altare. Colligitur ex quodam decreto Zachariae Papae, relato c. 57. *de Consec.* dist. 1. « Nullus Episcopus, presbyter aut diaconus ad sollemnia Missarum celebranda praesumat cum baculo introire ». Porro sollemnia Missarum quaslibet Missas significant in conventu populi celebratas (cf. Pignatelli tom. 1. cons. 37.).

Claudus vero non egens baculo haud est irregularis idque disserte edicitur c. 10. dist. 55.

Neque divaricati sunt irregulares, nisi eorum pedes adeo in diversum abeant, ut vitium nequeat veste tegi risumque moveat. S. Alph. n. 407.

Sunt qui irregularem censeant, qui habeat pedem ligneum: quorum haec est unica ratio, quia magna est indecentia celebrare, cum pede

ligneo (apud s. Alph. ibid.). Forte eorum aetate ita erat; at nunc etiam cum crure ligneo pergere quis potest ad altare ibique stare seque movere sine ulla indecentia; quoniam fieri potest, ut nullo modo aut levissime defectus se prodat. Et quidem si aliquo modo indecentia reparari valeat, DD. (ibid.) permittunt celebrationem. Ideoque et ex eorum sententia nunc sacerdos, cui talis accideret calamitas, si bene artefacto pede et crure uti potest, non est irregularis. Certe dispensatio in hoc casu data est 11. Dec. 1875. (*Monit. eccl.* Vol. 1. p. 75.): atque in casu simili pariter dispensatum est cum clerico, cui manus sinistra cum magna parte brachii amputata fuerat, suppletis manu et brachio artificialibus. 30. Maii 1891. (ibid. Vol. 7. p. 1. pag. 123.). Canone quidem 6° *de Corpore vitiatis* removetur ab Ordinibus suscipiendis qui altera manu sit mutilatus: sed ea aetate hic defectus non poterat, quemadmodum nostra suppleri.

481. 2° Propter deformitatem censentur irregulares, quibus amputatae sint nares, labia corrosa, aures abscissae: sed si capillo producto tegi potest aurium defectus, desinit Irregularitas: s. Alph. n. 410.

S. Alph. ibid. inter hos recenset et eos, qui habeant scissa labia ad instar leporis: oportet autem, puto, magnam esse deformitatem. Recenset quoque et illos, qui nasum gerunt deformem nimis.

3° Irregulares pariter censentur, qui faciem habent valde maculatam ut horrorem scilicet vel stomachum moveant. S. Alph. n. 411. d'Annibale n. 414.

4° Irregulares sunt qui ingentem gibberem in dorso gerunt, ita ut nequeant erigere caput. S. Alph. n. 412.

5° Pygmaei quoque vel nani, qui et risum movent, si praesertim sint capitones et super altari nequeant sacrum facere. S. Alph. ibid.

6° Leprosos quoque *pro scandalo et abominatione populi* removet c. 4. *de Clerico aegrot.* Quocirca, ait s. Alph. n. 411., si abesset scandalum, ut in loco privato, bene posset leprosus celebrare.

Hermaphoditi quoque arcentur, de quibus cf. dicta *de Matr.* Vol. VI. n. 878. seqq. et *de Ordine* Vol. V. nn. 940. 68. Aiebant tamen DD., quod si sexus virilis praevaleat et defectus sit occultus, nulla est Irregularitas. S. Alph. n. 712.

His addit s. Alph. l. c. Aethiopes seu Nigros: sed id apud nos valebit, non apud illos. Non est ergo Irregularitas; nam Nigri, puto, non secus ac alii homines, nisi aliud obstet, capaces sunt sacramenti Ordinis.

482. Quoad hos corporales defectus haec sunt cum s. Alph. advertenda: 1° Si defectus Ordinibus susceptis superveniat, is non prohibet quodlibet Ordinis exercitium, sed illud solum quod sine decentia

nequit exerceri. 2° Si defectus exsistat ante Ordinum susceptionem, etsi sit defectus impediens tantum a decenti celebratione Missae, prohibet ab omnium susceptione; eo quod exclusus ab eo quod est potissimum, censetur exclusus a sacerdotio et ab hoc exclusus, a ceteris quoque Ordinibus ad illud subordinatis dicendus est exclusus, saltem Ecclesiae lege. 3° Feri potest, ut quis in alio det causam Irregularitati, quin ipse evadat irregularis, ut si quis alium absque mutilatione, graviter deformaret.

Quae 1° et 2° loco dicta sunt, beneficiis quoque aptanda esse, docet d'Annibale n. 414. not. 26. Clerici scilicet ab iis tantum sunt arcendi, quorum officiis rite ac recte defungi nequeant. Si ergo beneficio sola Breviarii recitatio sit annexa, illud clerico ex. gr. surdo, paralytico, leproso conferri poterit; diaconus, cui manus sit amputata, ad parochiam non erit promovendus, sed canonicatum licite obtinebit in ecclesia collegiata.

483. Ab hac Irregularitate per se non dispensat nisi s. Sedes tum quoad suscipiendos tum quoad exercendos Ordines a quorum exercitio defectus prohibet. In dubio vero, an defectus is sit, qui Irregularitatem inducat, licet Episcopis dispensare seu declarare (utique secundum rationem), defectum non obstare susceptioni vel exercitio ordinis (n. 418.).

Quid Praelati Regulares cum suis subditis possint hac in re, diximus n. 421. S. Alph. n. 414. affirmat simpliciter posse eos cum suis subditis in hac Irregularitate dispensare: in Episcopi tamen ordinantis potestate esse, reiicere vel admittere huiusmodi ordinandos. Ceterum cum dispensatio a lege debeat esse rationalis et sit invalida, si causa iusta desit; non est putandum, Regulares Praelatos posse dispensare ad Ordinum susceptionem eos, qui vel sint naturaliter inepti, vel quos ipsa s. Sedes non solet dispensare. Hinc nequeunt dispensare, ut caecus ad sacerdotium promoveatur, bene vero, ut sacerdos caecus factus celebret cum assistentia sacerdotis, si rite sacra actio a caeco peragi potest.

Unde resolves.

XXX. 1. Non videtur irregularis. 1. Qui habet sex digitos, vel aliquos coniunctos, si non sit magna deformitas et Ordinem exercere possit. 2. Qui habet in oculo maculam visum non auferentem, nec notabiliter deformantem. 3. Qui caret ungula pollicis, si possit hostiam elevare et frangere. 4. Qui per vim, aut infirmitatem factus est Eunuchus.

484. Notat s. Alph. n. 415., quod iam monuimus n. 459., quod quamvis defectus corporis non sit huiusmodi, ut irregularem faciat, si tamen sit defectus in mutilatione situs et ex propria culpa inductus

sit, ut si quis partem vel minimi digiti ex prava intentione h. e. absque ulla causa, puto, libere amputaret, is esset irregularis *ex delicto*.

Si vero factum id est casu, nulla est Irregularitas c. 11. dist. 55.

485. Quid ergo dicendum de Eunuchis? Eunuchus is est (omissa etymologia vocis), qui testiculis caret, *eviratus*. Porro haec habet s. Alphonsus 416.-418.

1° Si virilia abscissa sint violenter ab alio, vel causa morbi quis sibi abscindi fecerit, is non est irregularis: cc. 3. 5. *de Corpore vitiatis:* c. *Si quis* 7. dist. 55. ex Conc. Nicaeno. Item qui eunuchus natus est, non est irregularis c. 3. *de Corpore vitiatis.*

2° Qui occasionem tantum abscissioni dedit, etiam cum praevisione: ex. gr. adulter, qui deprehensus a marito abscinditur, non est irregularis; quia haec Irregularitas non est expressa in iure. S. Alph. n. 417.

3° Qui sibi amputat, vel amputari facit, testiculos pro conservanda canora voce virginea non est irregularis; tum quia textus iuris loquuntur de amputatione virilium (*virilia* absolute sunt τὰ αἰδοῖα ἀρσενικὰ) non de ablatione tantum testiculorum, tum quia abest causa amputationis, propter quam causam amputatio virilium infert Irregularitatem. S. Alph. n. 418., D'Annibale n. 422. n. 14. at cf. n. seq. 705.

4° Causa scilicet haec est, quod quis ex ira, indignatione vel *ex zelo indiscreto servandae castitatis abscindat* sibi vel *abscindere faciat virilia*. Ita c. *Si quis* 4. dist. 55. ex canonibus Apostolorum: « Si quis abscidit semetipsum (idest [haec est glossa in vetere versione] si quis amputavit sibi virilia) non fiat clericus... Si quis, cum clericus fuerit, absciderit semetipsum, omnino damnetur ».

Tum c. sequens ibid. ait: « Hi, qui se carnali vitio repugnare nescientes, abscindunt, ad clerum pervenire non possunt », c. 7. ibid. « Si quis semetipsum sanus abscidit, hunc et in Clero constitutum abstinere convenit et deinceps nullus debet talium promoveri ».

486. Nota: quamvis extractio sola testiculorum non veniat sub nomine *abscissionis virilium* (quâ de re tamen valde dubitamus): nihilominus ipsa sibi facta abscissio testiculorum ad eam spectat mutilationem, qua quis audet sibi ferrum iniicere et est plus profecto quam partem sibi cuiuslibet digiti abscindere. Cf. n. 484. Quocirca hic sciens et prudens id faciens vel fieri faciens aut consentiens in semetipso, absque iusta causa, erit ex delicto irregularis propter mutilationem in se ipso patratam. Certe s. Alph. n. 380. (ut iam diximus n. 446.) irregularem ex delicto propter mutilationem membri censet (probabilius) eum, qui alteri utrumque testiculum aufert. Est ergo haec qualiscumque mutilatio maior, quam amputatio partis digiti. Igitur et

qui se castrat, h. e. testiculis privat, absque rationabili causa, ita ut peccatum sit grave, irregularis erit, itemque si is ab alio in se fieri consentiat.

Atqui in canonibus, qui citari solent ex dist. 55., perinde sunt *abscissus* et *castratus:* cf. cc. 7. et 9. Tandem ipse s. Alph. n. 416. ait: « Qui ex ira aut zelo indiscreto servandae castitatis abscindint sibi virilia aut *testiculos, certe* fit irregularis ». Prior ergo ex rationibus allatis ab eodem in 3ª hypothesi (484. 3°) non est necessaria. Utrum vero altera ratio valeat, sane dubitamus.

Illud enim est etiam advertendum, canones loqui simpliciter de iis *qui se abscindunt:* cum ratio Irregularitatis non sit ipsa privatio virilium aut testiculorum, sed culpa, qua privatio fit, debet profecto abscissio esse ex culpa eademque gravi: cum vero haec adest, quaecumque sit impertinens causa abscissionis, Irregularitas incurri videtur. Semper enim verum erit, eos se abscindere. Cf. d'Annibale l. c.

Haec proinde Irregularitas sub priore genere Irregularitatum, nempe ex delicto, collocanda erat, nec alia est ab ea, qua qui se mutilat.

XXXI. 2. Irregularis est hermaphroditus, quia est monstruosus. 2. Gigas, Pygmaeus, Aethiops; non tamen inter suos, sed alienos, ubi disparitas ludibrio est.

De Hermaphrodito cf. dicta n. 481.

XXXII. *Tertia*, ex defectu natalium. Ex quo irregulares sunt omnes illegitimi, eo quod ratione originis reputentur viles. Tales autem communi iure legitimantur, 1. per subsequens matrimonium inter eorum parentes, modo hi tempore conceptionis potuerint valide contrahere; 2. per professionem religiosam; quamvis ad dignitates etiam in religione, v. gr. Abbatiam, prioratum etc. promoveri non possint, sine dispensatione. V. supra d. 3. 3. Per dispensationem Pontificiam; Principes vero seculares non possunt legitimare, nisi tantum in ordine ad officia secularia et hereditates. Porro cum dubium est, an quis sit legitimus, non censeri irregularem, contra Vasq. et alios 5. vult Dian. p. 4. t. 2. r. 59. ex Avila, eo quod quilibet praesumatur legitimus, donec contrarium probetur: neque teneri hac in re credere ipsimet matri, etiam in fine vitae, nisi rationibus convincat, vel pater etiam asserat. Ibid. *Ex communi.*

487. Certa est sententia canonis 1° *de Filiis Presbyt.* « Ut filii presbyterorum (h. e. in sacerdotio geniti cn. 2. cf. Schmalzgr. l. 1. tit. 17. n. 6.) et *ceteri ex fornicatione nati* ad sacros ordines non promoveantur ». Et cp. fin. ibid. reprehenditur Archiepiscopus, quod in eius provincia « filii sacerdotum et alii *non legitime nati* ad dignitates et personatus et alia beneficia curam animarum habentia, sine dispensatione Sedis Apostolicae, promoverentur ». Qui illegitimi sint dictum est tr. VIII. Vol. III. 1062. Verbis Auctoris: *modo hi tempore conceptionis* adde: *aut nativitatis.*

Haec est Irregularitas proprie dicta. Ut autem ea obtineat, oportet

certam esse originem illegitimam: nemo enim suo iure (quod quis habet, ut ad Ordines promoveatur) privandus est, nisi certo constet, id ei prohiberi et praeterea nemo est illigitimus censendus, nisi id certo probetur.

Quocirca 1° *expositi*, si huius tantum facti ratio habetur, non sunt irregulares: s. Alph. n. 432. Schmalzgr. l. 1. tit. 17. n. 3.

2° Si incertum sit, an proles concepta aut saltem nata sit iam matrimonio inter parentes rite contracto necne, cum iudex debeat pronuntiare prolem legitimam; haec non est irregularis: Benedictus XIV. in Epistola ad Archiep. s. Dominici §. 4. Bullar. n. 213.

3° Qui in matrimonio natus est, quamvis ex matre adultera, iure praesumitur filius mariti ideoque legitimus, nisi oppositum evidentissime, agente ipso marito, demonstretur; pater enim est, seu iure censetur, *quem nuptiae demonstrant:* l. 5. ff. *De in ius vocando* cod. Gall. art. 313. Ital. art. 165.

Quandiu ergo in iure legitimus habetur, non est irregularis: etsi eius illegitima origo marito quoque sit nota. D'Annibale n. 412. not. 5. Imo nisi maritus statim ab eius origine reclamaverit, is autem in domo mariti altus et educatus fuerit, praesumptionem iuris habet, quod maritus matris sit eius pater filiusque sit ipse legitimus; qua praesumptione fretus stare potest etiam contra utriusque parentis assertionem. Schmalzgr. l. 1. tit. 17. n. 2.

Ut ergo quis illegitimus censeatur, oportet ut vel a matre soluta aut non rite unita (tempore conceptionis et nativitatis) sit ortus, vel si illegitime ortus a matre rite coniugata, eius illegitima origo *iuridice* constiterit S. C. C. 27. Iun. 1857. Acta s. Sedis. V. 1. pag. 352. Cf. specialem casum n. 489.

Quoniam orti ex matrimonio invalido quidem, bona tamen fide ex parte saltem unius contracto in facie Ecclesiae, legitimi censentur et sunt c. *Ex tenore, Qui filii sint legitimi*, hi non sunt irregulares. Excipitur, si matrimonium contractum fuerit sine debitis proclamationibus absque Ordinarii dispensatione; tunc enim proles illegitima habetur c. *Cum inhibitio* §. 1. *de Clandest. despons.* Trid. Syn. sess. 24. c. 5. *de Reform. matrim.*

488. Quando quis vere illegitimus sit, ut neque iure praesumatur legitimus, vitium hoc nocet infertque Irregularitatem, etiamsi occultum sit, dummodo Ordines recepturo certum sit, se hoc laborare defectu. Ut si quis sciat, se ex parentibus solutis natum esse vel ex parentibus specie quidem tenus coniunctis, sed inter quos impedimentum, puta consanguinitatis vel professionis religiosae, vigebat. Ita communiter, ait Schmalzgr. l. c., quia reapse ius non distinguit, sed simpliciter illegitimos repellit. Consentit s. Alph. n. 420.

Nihilominus si necessitas aut gravis causa instaret suscipiendi Ordines et illegitimus sine infamia sua aut parentum statum suum prodere nequiret, nulla dispensatione opus haberet, h. e. sine illa posset ordinari. Ita d'Annibale n. 404. Schmalzgr. l. c. ex Pirhing.

489. Quid si quis procreatur ex parente, post quam hic, matrimonio legitime contracto, ex coniugis consensu, Religionem est professus, vel sacrum Ordinem suscepit? an dicendus hic illegitimus? Si matrimonium erat tantum ratum et secuta est professio religiosa, cum haec dissolvat matrimonium, habes prolem ortam ex solutis, impeditis professione religiosa alterius, ideoque prolem spuriam. Si matrimonium fuit consummatum vel etsi ratum tantum exceperit Ordinis sacri susceptio, matrimonii vinculum manet utroque in casu: nihilominus proles orta censetur *canonice* illegitima; quia orta ex parentibus, quorum alter saltem ligatus est voto sollemni. Constat ex c. 14. *de Filiis presbyt.*, ubi huiusmodi proli dispensatio conceditur ad Ordines suscipiendos. Schmalzgr. l. c. n. 4.

490. Irregularitas haec est ad omnes Ordines, non solum maiores, sed et minores c. *Is qui, de Filiis presbyt.* in 6⁰ et consequenter ad quaelibet beneficia etiam simplicia, ibid.

Ratio statuendi hanc Irregularitatem non una solet afferri. Prima, quam et A. tangit, est, quia tales personae tamquam viles reputantur. Deinde est detestatio paterni criminis, quod ius plerumque etiam in filiis temporaliter punit non poena proprie dicta, sed privatione. Tum timor, ne paternam incontinentiam filii imitentur. Schmalzgr. l. c. n. 1.

491. Triplex est modus seu causa, qua Irregularitas haec desinere potest.

1° *Subsequens matrimonium*, quando nempe per subsequens matrimonium legitimatur proles; id autem contingit, cum proles illegitima fuit *naturalis* simpliciter, non *spuria* (cf. Vol. III. 1062.). Nati ergo ex fornicatione irregulares sunt: sed subsecuto eorum parentum legitimo connubio desinunt ipso iure tum canonico tum civili esse illegitimi et consequenter desinit eorundum Irregularitas. Spurii vero h. e. nati ex iis, qui nec conceptionis nec nativitatis prolis tempore poterant inter se legitime copulari, non desinunt esse irregulares, si eorum parentes deinceps, sublato impedimento, legitime uniantur; quia non desinunt esse illegitimi; tanta scilicet vis non conceditur a iure huiusmodi matrimoniis, ut illegitimitatem talis prolis abstergant.

Itaque si ex fornicatione natus, adhuc parentibus solutis, ordinari se faciat, peccat; quia irregularis est et nequit ministrare in susceptis ac ulterius promoveri; quia irregularis manet: at si parentes eius tandem legitime uniantur, cessat ipso facto eius Irregularitas absque ope

alicuius dispensationis atque ministrare in susceptis Ordinibus et ad superiores promoveri potest. S. Alph. n. 423.

492.. 2° *Professio religiosa* alia est causa auferens hanc irregularitatem. Constat ex c. 1. *de Filiis presbyt.* « Ut filii presbyterorum et ceteri ex fornicatione nati (his verbis omnes illegitimi comprehenduntur, ut constat ex titulo capitis) ad sacros Ordines non promoveantur, nisi aut monachi fiant, vel in Congregatione canonica regulariter vivant ».

Professio religiosa hoc beneficium afferens non est sola professio sollemnis: sed ea quae facit verum religiosum, cuiusmodi est professio votorum simplicium in Societate Iesu, ex Const. *Ascendente Domino* Gregorii XIII. Nam, ut patet ex verbis canonis citati, sufficit, ut quis sit monachus aut in congregatione canonica regulariter vivat, h. e. sit verus religiosus. Schmalzgr. l. c. n. 6.

Professio tamen religiosa auferens Irregularitem quoad Ordines, inhabiles relinquit illegitimos ad praelationes seu praelaturas. Constat ex canone citato, ubi verbis relatis immediate subditur: « praelationem vero nullatenus habeant ». Quocirca praelaturas quidem, sive in Ordine suo sive extra Ordinem nequeunt hi Religiosi absque dispensatione suscipere: ad officia vero et beneficia etiam curata, quae adiunctam non habeant praelaturam, dignitatem, personatum, eligi possunt. Cf. n. 623.

Monet s. Alph. n. 426. Praelatos Regulares, vi aliorum privilegiorum dispensare posse cum suis ab hac Irregularitate, ut dictum est n. 626.

Quid, si illegitimus, post professionem editam, eiiciatur aut dimittatur ab Ordine, an redit Irregularitas? Negandum est, quia quod semel exstinctum est, non amplius reviviscit, nisi rursus eius causa ponatur. Reincidentia vero in Irregularitatem frustra fingitur, ait Schmalz. n. 7.; cum nullum habeat fundamentum in iure.

493. 3° Tertia causa auferens hanc Irregularitatem est causa communis ceteris Irregularitatibus, nimirum *dispensatio*. Heic est aliquid speciale, quatenus per auctoritatem Principis ipsa nota illegitimitatis quodammodo tolli potest, scilicet potest illegitimus fieri legitimus; utique civiliter.

Quod in hac re Papa valeat plene dispensare, nulla est dubitatio. Episcopi ex iure possunt dispensare quoslibet illegitimos ad ordines minores et ad beneficium, cui non sit adnexa cura animarum c. 1. *de Filiis presbyt.* in 6°. Cum non possint dispensare ad Ordinem sacrum, neque dispensabunt ad beneficium, cui annexus sit Ordo sacer, cuiusmodi est, ex praescripto Trid. Syn. sess. 24. c. 12. *de Reform.*, canonicatus in ecclesia cathedrali.

494. Iam alias vidimus (tr. IX. Vol. IV. 274. seq.) quosdam hanc Irregularitatem inter eas recensere, quae sunt ex delicto, quippe quae est ex delicto alieno: unde inferunt, quod si occulta sit, dispensare ab ea possint Episcopi. Haec sententia, utut intrinsece probabilis satis non videatur, extrinsecam saltem probabilitatem nacta est ex auctoritate quorundam doctorum, ut Pichler, qui eam defendit l. c. Laymann *de Irregul.* c. 5. n. 2., qui probabilem censet et Salmanticensium tr. 10. c. 9. n. 53., qui valde probabilem vocant. Inde infert d'Annibale n. 412. not. 7., quod si quis Episcopus, propter probabilitatem huius sententiae, aliquem ad Ordines quoque sacros dispensasset, hic non esset inquietandus.

Idem Auctor ibid. aequum putat cum Laymann l. c., Episcopum dispensare posse ad Ordines sacros exercendos eum illegitimum, qui bona fide eosdem susceperit. Cf. s. Alph. n. 431.

Cum secularis Princeps legitimum facit qui est illegitimus, sufficitne haec legitimatio ad tollendam Irregularitatem?

Cum causae omnes matrimoniales, inter quas est causa de legitimitate prolis, quae pendet a legitimo matrimonio, spectent ad ecclesiasticam iurisdictionem, Principi seculari reliqua non est nisi facultas concedendi civiles effectus, quos identidem ex iusta causa negare potest legitimo et ex gratia concedere illegitimo. Sane si causa legitimitatis prolis propria esset fori civilis, Princeps posset omnem prorsus illegitimitatem auferre, quod redundaret quoque in forum ecclesiasticum, quemadmodum de infamia civili diximus. At cum causa legitimitatis prolis propria sit fori ecclesiastici, quoscumque effectus civiles conferat Princeps, manente illegitimitate ab Ecclesia admissa, manebunt effectus, quos ipsa ei adnexuit ideoque Irregularitas manebit.

XXXIII. *Quarta* est ex defectu aetatis, de quo v. in Sacramento Ordinis.

495. Et cf. quae ibid. dicta sunt Vol. V. 958. Hanc non esse proprie Irregularitatem iam monuimus n. 407.

XXXIV. *Quinta,* ex defectu Sacramenti, sive significationis matrimonii, ratione bigamiae, eo quod bigamus non perfecte repraesentet unionem Christi cum Ecclesia, quippe qui carnem suam divisit in plures uxores. Non sufficiunt autem ad hanc bigamiam sponsalia cum pluribus, etiam secuta copula, nec fornicatio, vel adulterium, vel matrimonium ratum cum pluribus: sed matrimonium verum, vel praesumptum cum duabus et consummatum. Dixi, *vel praesumptum*: quia licet quandoque secundum matrimonium sit nullum, iuris tamen fictione et interpretatione praesumitur bigamia, licet improprie dicta.

496. Haec est vera Irregularitas. Implexa est parumper et impedita huius Irregularitatis tractatio ob diversas DD. sententias sive in Irregularitate statuenda sive in eius declarandis speciebus. Oportet

ergo in primis illud memoria repetere quod ab initio veluti principium praestitutum est, cuius videntur identidem plures obliti; nimirum nullam esse Irregularitatem, quae in iure non sit expressa atque in hac re non licere a casu ad casum arguendo progressum facere.

Itaque bigamia triplex distingui solet; *vera* nempe, *interpretativa*, *similitudinaria*. Quid vera bigamia sit, omnes facile sciunt; *bigamus* enim is est, qui duas successive habuit uxores: *successive* inquam; quia si simul habet, tum *polygamus* dicitur, tum proprie uxores duas non habet, cum una tantum possit esse uxor. Ut duas quis vere habuerit uxores necesse est, utrumque matrimonium fuisse *validum*. Quatenus autem bigamia inducit Irregularitatem, requiritur praeterea, ut utrumque matrimonium *consummatum* fuerit. Id ex ea ratione pendet, propter quam bigamia, ex positiva lege Ecclesiae, Irregularitem gignit. Ratio scilicet est *defectus*, ut dicitur, *sacramenti*, h. e. defectus perfectae significationis in sacramento matrimonii. Matrimonium enim significat unionem Christi cum Ecclesia Ephes. V. 32., quae unio est unius cum una et indissolubilis: vir autem repraesentat Christum, mulier Ecclesiam ibid. Porro perfecta repraesentatio talis unionis Christi cum Ecclesia obtinet solum in eo matrimonio, quod quis cum virgine primum contrahit et consummat; sic enim repraesentatur coniunctio unius cum una et indissolubilis. Succedente autem alio matrimonio inito a viro, quantumvis cum alia virgine eodemque consummato, vir dividit carnem suam in duas uxores, qua in re deficit ipse a perfecta repraesentatione Christi, qui uni semper adhaeret atque hoc matrimonium proinde perfecta caret significatione coniunctionis Christi cum Ecclesia.

Hic dicitur defectus *sacramenti* h. e. defectus in coniugio perfecti signi seu significationis perfectae Christi uniti Ecclesiae suae; matrimonium enim *sacramentum* est h. e. signum in Christum et Ecclesiam.

Defectus ergo hic situs est in *divisione carnis viri in duas vel plures uxores*, non scilicet in qualibet divisione carnis cum pluribus, sed cum pluribus *uxoribus;* est enim defectus sacramenti seu significationis in matrimonio, quod sine uxore non est.

497. Hic sane defectus, qui nullam involvit culpam, ratio est, ex Ecclesiae lege, Irregularitatis, non incontinentia viri; ut idcirco non obstet alia divisio carnis extra matrimonium cc. 5. 6. *de Bigamis.*

Cuius rei rationem reddere nititur s. Thomas suppl. q. 66. a. 1. Inquiens: « Aliquis per sacramentum Ordinis minister sacramentorum constituitur et ille, qui aliis sacramenta ministrare debet, nullum defectum in sacramentis pati debet. Defectus autem in sacramento est, quando sacramenti significatio integra non invenitur ». Qui ergo hoc defectu laborat in sacramento matrimonii non debet esse minister sacramentorum ideoque ad Ordines non est promovendus.

Habes proinde duo: 1° bigamos irregulares esse: 2° rationem eorum irregularitatis (h. e. cur Ecclesia Irregularitatem constituerit) esse defectum perfectae significationis in coniugio, propter divisionem carnis in plures uxores. Prius colligitur ex verbis Apostoli 1. Tim. III. 2 accedente sensu traditionis: alterum ex interpretatione Apostolici praecepti ab Ecclesia facta, quae non in defectu continentiae, qui se prodit in bigamis, sed in defectu significationis causam Irregularitatis constituit.

Diximus prius colligi ex verbis Apostoli, non disserte tradi: Apostolus enim ait quidem oportere, ut Episcopus sit *unius uxoris vir:* sed simul plura alia requirit, ut nempe sit irreprehensibilis, sobrius, prudens, ornatus, pudicus, hospitalis, doctor etc.: at nemo dixerit quemlibet horum defectuum gignere, ex mente Apostoli, Irregularitatem; ut ergo dicamus defectum primi h. e. bigamiam constituere Irregularitatem, ad traditionem Ecclesiasticam provocandum est, quae ita semper accipiens verba Apostoli, huius sensum clare nobis expressit.

Origo ergo huius legis est Apostolica: lex scilicet non est divina, ab Apostolo promulgata; cum Ecclesia in ea dispenset: sed est lex per Apostolicam auctoritatem constituta, a qua Apostolica auctoritas successoris Petri, quae minor haud est, dispensare valet, propter reverentiam tamen Apostoli raro dispensat.

Hactenus de *vera* bigamia, quae inter bigamias causas Irregularitatis antiquissima est, ut ex dictis patet.

498. Iure autem canonico aliae duae bigamiae inductae sunt, quae ex analogia cum prima, causam pariter praebeant Irregularitatis.

Altera est ergo, quae dicitur bigamia *interpretativa*. Haec unico matrimonio contenta est, cuius tamen uxor duobus seu pluribus commixta fuerit; huiusmodi enim mulier, per fictionem quandam iuris, veluti duplex uxor habetur. Hoc pacto proinde irregularis est, qui duxit et cognovit viduam a priore marito cognitam, qui duxit et cognovit feminam corruptam vel fornicariam, qui uxorem suam cognovit, postquam ipsa lapsa est in adulterium. In hac ergo bigamia vir reapse uni unitur, mulier vel bis fuit uxor, ut si est vidua, vel ab alio illigitime cognita, ut in aliis casibus, ut idcirco sufficiat, ad hanc bigamiam inducendam, mulierem carnem suam cum pluribus, sive intra sive extra matrimonium, divisisse. Diximus autem non solum *qui duxit* sed *et cognovit*, id enim ad veram bigamiam vidimus requiri et fictio iuris veritatem imitatur.

Canones qui afferuntur ad probandam hanc Irregularitatem sunt pro marito viduae c. 3. *de Bigamis* et c. 10. *de Renunt.* §. 6. pro

marito corruptae seu fornicariae citantur ex dist. 34. canon. 10., qui est Gregorii Papae et c. 15. ex canonibus Apostolorum: pro eo, qui uxorem adulteram cognovit, citatur ex eadem dist. c. 11., qui est Concilii Neocaesar., cuius canones in veteri sua Canonum sylloge Ecclesia Romana recepit, tum canon 12. Cf. et s. Thom. q. 66. a. 3. ad 4^{m}.

Cur haec *bigamia interpretativa* vocetur, ait d'Annibale not. 15. ad n. 419. se ignorare; neque sane canones ita loquuntur, qui simplicius dicunt, maritum viduae vel corruptae non esse ad Ordines promovendum.

499. Sequitur tertia bigamia, quae dicitur *similitudinaria.* Haec ex duplici matrimonio consummato oritur, altero valido, altero invalido (d'Annibale n. 418.): quam tamen s. Alph. quartam ponit inter bigamias interpretativas (n. 444.). Sed quaestio non est facienda de nominibus: discrimen autem huius a praecedente in eo est, quod illa unum matrimonium viri requirat, haec duplex, licet alterum solum attentatum. Si enim utrumque validum, vera bigamia foret. Dicitur *similitudinaria;* quia specie tenus verae bigamiae similitudinem refert.

Porro recolenda in hac re verba s. Alph. l. c. « Pro hac Irregularitate non habetur textus expressus ». Cur id non sufficit ad eam reiiciendam? Nam, ut ait Suarez disp. 42. sect. 4. n. 9.: « Nullius auctoritas sufficit ad probandam Irregularitatem *sine iure;* cum ipsum ius nolit eam incurri, nisi ubi fuerit *in iure expressa* ». Subdit s. Doctor.: « Sed communiter DD. eam deducunt ex c. *Nuper de Bigamis* » de quo mox. S. Thomas quoque q. cit. art. 1. inter modus bigamiae, unde est Irregularitas, et hos duos recenset, cum quis nempe plures habet uxores, unam de iure, aliam de facto atque hoc sive eas simul habeat, sive successive. Cf. et art. seq.

Reapse ex iure canonico c. *Nuper, de Bigamis* id tantum habemus, irregularem esse eum, qui defuncta uxore sua, suscipit Ordinem sacrum et deinde aliam in uxorem ducit eamque cognoscit. Hic casus est particularis et agitur de ordinato in sacris: nihilominus ex eo DD. colligunt, irregularem esse qui alterum, licet invalidum, contrahit matrimonium, quia ratio Irregularitatis, in canone allata, est *non defectus sacramenti,* quae est ratio in vera bigamia, sed *affectus intentionis, cum opere subsecuto.* Atqui id locum pariter habet in laico, qui secundum ineat matrimonium, quamvis invalidum, « affectus nempe, ut ait s. Alph., ad duo matrimonia cum copula secuta ». Verum prohibemur irregularitatem extendere a casu ad casum minime identicum: tum hac in re discrimen est, quod in clerico intentio ea est mala, in laico minime; quid ergo si Pontifex propter delictum irregularitatem induxerit?

Itaque quod certum est, illud est unum, quod canon disserte statuit: attentatum matrimonium Clerici in sacris, qui ante ordinationem habuerat uxorem, ipsum a clero, quantum fieri potest, expellere. Sed generatim irregularem qui vel vivente uxore, aliam superinducere tentat, vel mortua uxore, aliam invalide ducit, in nullo iure est expressum. Sed forte ille prior ex infamia erit irregularis.

500. Multo minus admittere cogimur, quod DD. inferunt (s. Alphonsus nn. 445. 446.) irregularem esse quicumque duo successive matrimonia irrita ineunt, etsi bona fide, propter rationem, aiunt, expressam in iure, *affectum*, scilicet *intentionis*, *opere subsecuto*. Sed 1° non constat, hanc rationem valere etiam pro laicis, ut vidimus, neque ratio legis est lex nec pro diversis subiectis eadem ratio valere debet: 2° in iure agitur de duplici matrimonio, quorum prius sit validum; heic de utroque invalido. Porro quo iure fit talis extensio et quidem ad casum diversum? Cf. d'Annibale n. 418., qui merito negat, s. Thomam, cui tribuitur, q. cit. art. 2. eam docere sententiam.

501. His aliam Irregularitatem addit (ait idem cl. Cardinalis) communis sententia; cum nempe quis post sollemnem professionem vel susceptum Ordinem sacrum, ducit Virginem (si corrupta vel vidua sit, ex alia quoque causa esset irregularis cf. n. 498.) eamque cognoscit; oriri enim volunt bigamiam et Irregularitatem, quasi duplici matrimonio, altero spirituali, altero carnali licet invalido. Utrumque proinde casum ad bigamiam similitudinariam referunt. S. Alph. (n. 448.).

Iam vero Suarez, qui hanc tuetur Irregularitatem, fatetur disp. 49. sect. 4· n. 3. *nullum esse ius, quod expresse eos faciat irregulares* et, ut ipse Cardinalis monet l. c. not. 18., s. Thomas quaest. cit. hanc Irregularitatem praeterivit.

Provocatur ad c. *Quotquot* caus. 27. q. 1. Concilii quidem Ancyrani, ideoque particularis, sed quod in suo vetere codice Canonum Romana Ecclesia recepit. Verum hic canon de feminis, quae virginitatem pollicitam praevaricatae sunt, loquitur, quas tamquam bigamas haberi vult, non de clericis.

Alius producitur canon *Monacho* ead. quaest., qui de monacho loquitur, quem, si is postea uxori fuerit sociatus, numquam permittit ecclesiastici gradus officium sortiri. Sed hic rursus canon est particularis Synodi h. e. Aurelianensis.

Citantur cc. 1^{us} et 2^{us} *Qui clerici vel voventes*. In priore statuitur de diacono, qui uxorem duxerat, quod, dimissa illa et peracta poenitentia, poterit cum eo dispensari, ut in diaconatu ministret. In altero de subdiacono, qui idem crimen admiserat, statuitur, quod, dummodo ad ordinem monasticum transeat ibique laudabiliter vivat, poterit ad

maiores Ordines promoveri: secus in minoribus tantum ministrare permittitur.

Scilicet haec crimina poenitentia plectebantur eaque peracta, progressus ad altiora permittebatur vel exercitium susceptorum Ordinum. Ita c. 4. *de Clericis coniugatis:* « Sacerdotes illi, qui nuptias contrahunt... post longam poenitentiam et vitam laudabilem continentes, officio suo restitui poterunt et ex indulgentia sui Episcopi eius exsecutionem habere ». At quod poenitentia deletur, non est proprie Irregularitas. Et olim crimen hoc depositione puniebatur, ut habet c. 9. dist. 28., qui est ex Conc. Neocaesar.

Itaque verum dixit Suarez, hanc Irregularitatem nullo iure esse expressam.

Quod autem definitum in iure occurrit, istud unum est: ordinatum in sacris, qui viduam duxit, irregularem esse *tanquam viduae maritum propter affectum intentionis cum opere subsecuto.* Ita c. ult. *A nobis, de Bigamis.* Non ergo solius matrimonii attentati habetur ratio, sed matrimonii attentati *cum vidua* seu *corrupta*, ut quoad Irregularitatem clericus non differat a laico ducente viduam, etsi hic vere ducat, ille solum intentione.

502. Ita declaratis iis, quae sunt de iure, audiamus aliquas quaestiones, quae super his moveri solent. Quaeritur 1° cur in bigamia interpretativa noceat viro corruptio uxoris, non autem eidem noceat sui ipsius corruptio, si cum pluribus ex. gr. tornicatus sit. Ratio huius perdifficilis est, ait d'Annibale not. 4. ad n. 419. cum Sanchez (*de Matr.* l. 7. disp. 84. n. 9.). Communiter recipitur ratio allata a s. Thoma q. tit. art. 3. « defectus in ipso sacramento causat Irregularitatem: corruptio autem carnis extra matrimonium contingens, quae praecessit matrimonium, nullum defectum facit in sacramento ex parte illius, in quo est corruptio, sed *facit defectum ex parte alterius.* Quia actus contrahentis matrimonium non cadit super se ipsum sed super alterum et ideo ex termino (ad quem) specificatur, qui etiam est respectu illius actus quasi materia sacramenti. Unde si mulier esset Ordinis susceptiva, sicut efficitur vir irregularis ex hoc, quod ducit uxorem corruptam, non autem ex hoc, quod corruptus contrahit, ita fieret mulier irregularis, si contraheret cum corrupto, non autem si contraheret corrupta, nisi in alio matrimonio prius corrupta fuisset ».

Non probat Bellarminus *de Clericis* c. 24. hanc rationem: quia ecce irregularis est vir, qui duo matrimonia iniit et consummavit cum duplici uxore virgine: atqui heic nullum est vitium in termino *ad quem*, sed solum in termino *a quo* h. e. in viro, qui duplex inivit coniugium. Hinc concludit discriminis rationem esse tantum voluntatem Ecclesiae, quae ita statuit ob dignitatem Ordinum.

At Sanchez l. c. dissolvere nititur argumentum Bellarmini advertens, quod qui duplex matrimonium consummat, non efficitur irregularis ob vitium matrimonii, sed ob huius multiplicitatem: quocirca hoc in casu opus haud est spectare, quo in termino sit vitium, an in termino a quo an in termino ad quem. Id innuit quoque s. Thomas verbis recitatis in fine. At quando unicum est matrimonium cum parte corrupta, consurgit Irregularitas ex ipsius matrimonii vitio ac proinde iure optimo exigitur, ut id vitium consurgat ex termino ad quem. Quae tamen conclusio non est certa; nam quid tandem prohibebat, Ecclesiam spectare etiam vitium mariti, qui carnem suam divisit in plures partim in matrimonio, partim extra, quemadmodum uxor quae prius fornicata est vel postea adulterata? Certa ergo ratio est voluntas Ecclesiae, quae corruptionis viri extra matrimonium (forte quia nimis frequens et incomperta) rationem haberi noluit pro constituenda Irregularitate. Quam vero s. Thomas attulit, est ratio congruentiae.

503. Quaeritur 2° an irregularis sit, qui ducit et cognoscit corruptam, credens bona fide virginem, aut qui uxorem adulteram cognoscit ignorans eius adulterium. Utramque quaestionem coniungimus; quia eadem est in utroque casu ratio vel affirmandi vel negandi: cf. Sanchez l. c. n. 15.

Porro priori quaestioni respondet affirmative s. Thomas l. c. art. 3. ad 3^{m} quem DD. communiter sequuntur (s. Alph. n. 439.). Ratio est, quia haec Irregularitas non est ex delicto, sed ex defectu; defectus autem significationis eodem pacto obtinet, sive conscius sive inscius corruptionis mulieris fuerit vir. Atque hinc, quia pariter defectus significationis habet locum, quamvis mulier per vim, absque sua culpa, cognita fuerit, irregularem fieri virum eam ducentem et cognoscentem contendunt. Porro eodem modo loquuntur de viro cognoscente adulteram, qui adulterium eius ignorat et quamvis ea per vim oppressa fuerit.

Facilior et frequentior erit ignorantia in hoc altero casu, quam in priore; nam etsi quis uxorem. quam ducit, putet esse virginem, cum tamen primo ad ipsam accedit, discernere potest, an sit necne corrupta; nisi certis remediis, quae ars reperit, instaurata sint prorsus signa virginitatis. Porro si abstineat vir a cognoscenda uxore, nondum est irregularis.

S. Alph. haeret quodammodo in utraque quaestione, nam n. 439. et 443. sententiam communem appellat solum *veriorem*. Verum in secunda hypothesi aliam quoque proponit quaestionem, nempe an talis vir fiat irregularis, si adulterium fuerit occultum. Porro in hac speciali quaestione s. Doctor n. 442. solum dicit, sibi *magis arridere*

sententiam affirmantem. Ratio, quae cohibuit in hac ultima quaestione s. Doctorem ab assensu certo, ea est, quae ducitur ex ipsis verbis canonis *Si cuius* 11. dist. 34. ex quo haec Irregularitas probatur.

Ait enim: « Si cuius uxorem adulterium commisisse, cum esset laicus, *evidenter fuerit comprobatum*, hic ad ministerium ecclesiasticum admitti non potest ». Ergo Irregularitas haec requirit notitiam eamque certam et, ut videtur, iudicialem facti. Igitur si occultum sit adulterium aut soli marito notum, nondum is cognoscens adulteram, fiet irregularis. Pro hac sententia citat s. Alph. Elbel, qui eam dicit probabilem propter adductam rationem. Porro occultum adhuc esse potest factum, etsi marito sit notum.

Iam vero, ut Sanchez testatur l. c. n. 15., eadem est ratio affirmandi aut negandi Irregularitatem in utroque casu, sive cum vir duxit et cognovit corruptam, quam putabat virginem, sive cum ignorans cognovit uxorem adulteram. Si ergo heic occultum factum non nocet, etiam ibi, quandiu non sit evidenter comprobata amissa ante matrimonium virginitas, non nocebit.

Si vero deinceps id manifestum erumpat, tunc valebit sententia communis, nihil prodesse viro suam priorem ignorantiam.

Itaque res est saltem dubia; ideoque, cum adhuc occultum factum est, dispensare in tali Irregularitate poterit Episcopus.

504. Quaeritur 3. an Irregularis sit, qui cum corrupta contrahit, sed invalide ob aliquod impedimentum occultum. Sententia affirmans dicitur a s. Alph. communis et probatur ex c. *A nobis, de Bigamis.* Verum 1° non pauci et doctissimi, quos ipse s. Alph. citat, contradicunt, ut sunt Sanchez, Palaus, Navarrus, Diana, Salmanticenses etc.: 2° Argumentum ductum ex canone citato, non est efficax; nam ibi agitur de ordinato in sacris, qui peccavit attentans matrimonium cum vidua, quod invalidum fuit propter impedimentum Ordinis: at ex hoc casu arguere ad ceteros, cum laicus vel clericus in minoribus invalide ducunt corruptam, est praevaricari in legem certam in hac materia, non licere extensionem a casu ad casum similem, multo minus ad diversum. Cf. d'Annibale n. 419. et dicta in simili quaestione n. 499. Et cur non valebit reg. 52. iuris in 6° *Non praestat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum?*

505. Quaerit s. Alph. n. 447. an incurrat Irregularitatem, qui ficte contrahit secundum matrimonium tantum ad copulam extorquendam et quaestio est proprie de ordinato in sacris, de quo c. *Nuper, de Bigamis.* Probabilius affirmari cum Suarez disp. 49. sect. 2. n. 10. dicit s. Doctor: res ergo non est certa. Et sane heic affectus quoque intentionis ad secundum matrimonium desideratur; qui enim fingit,

non intendit illud quod fictione simulat. Quod vero ait Suarez, ut intentio habeatur, de qua canon loquitur, satis esse intentionem actus exterioris, id, sit venia verbo, divinare est, non interpretari.

Ut concludamus, si principiis inhaerere velimus propiis huius materiae, nullus deberet heic esse locus opinionibus sive probabilibus sive probabilioribus. Nam vel Irregularitas est expressa in iure et ea certa erit cunctis scientibus legere: vel non est expressa et ipsa certe nulla est.

506. Ut bigamia Irregularitatem inducat, non opus est, ut ipsa post baptismum contigerit. Ita clare Innocentius l. c. 13. dist. 34.: « Si quis viduam, licet laicus, duxerit uxorem, sive ante baptismum sive post baptismum, non admittatur ad clerum; quia eodem vitio videtur exclusus. In baptismo enim crimina dimittuntur, non acceptae uxoris consortium relaxatur... Quod si non putatur uxor esse computanda, quae ante baptismum ducta est, ergo nec filii, qui ante baptismum geniti sunt, pro filiis habebuntur ». Cf. s. Thom. q. cit. art. 4. Et Hieronymi opinio (in Epist. ad Tit. I. 6.) in casu isto non tenetur, ait ibid. s. Thomas ad 1^{m}.

Neque Irregularitas afficit infidelem; bigamus enim infidelis nondum est irregularis; baptismo autem suscepto, eum lex Irregularitatis tenet; eo quod, cum baptismus crimina, non bigamiam, abstulerit, vere etiam tunc bigamus dicitur et est aut fuit.

507. Bigamiae Irregularitas dispensatione desinit et cum quaelibet huiusmodi Irregularitas sit de iure non naturali aut divino, sed positivo ecclesiastico, neque sit de essentialibus Ordinis, quod, aliquis non sit bigamus, dispensari profecto in quavis bigamia potest. S. Thom. l. c. art. 5.

Itaque Pontifex in qualibet valide dispensat. Episcopi dispensare possunt in similitudinaria, de qua diximus n. 499., quia est ex delicto, si tamen occulta sit. Idem dicendum de bigamia interpretativa clerici, de qua n. 501. in fine; quia eadem est ratio. D'Annibale n. 420. In ceteris, cum sint ex defectu, non possunt, nisi in casibus indicatis n. 417. S. Thomas l. c. art. 5. affirmat universim Episcopum dispensare posse bigamos ad Ordines minores: sed obstant posteriora decreta tum Gregorii X. in Conc. Lugdun. c. un. *de Bigamis* in 6° privantis bigamos omni privilegio clericalis, tum Trid. Syn. sess. 23. c. 17. *de Reform.* prohibentis suffici clericos bigamos, cum desint caelibes, ad ministeria Ordinum minorum.

Sixtus V. autem declaravit (cf. s. Alph. n. 452.) Episcopum, qui bigamo primam Tonsuram et simplex beneficium contulerat, suspensum esse a collatione Ordinum (hanc suspensionem Pius IX. praeterivit), ordinatum vero incidisse in poenas male promoti.

Quod Praelati Regulares cum suis possint, dictum est. n. 421.

Unde sequitur irregulares fieri sequentibus casibus.

XXXV. 1. Qui vivente, vel mortua prima uxore cognita, secundam cognoscit, etsi matrimonium sit invalidum.

508. De eo qui vivente aut mortua uxore, aliam (invalide) ducit et cognoscit, diximus n. 499.

XXXVI. 2. Qui viduam non virginem ducit et cognoscit.

XXXVII. 3. Qui ducit uxorem prius ab alio corruptam, etiam per fornicationem et cognoscit; non tamen si ipse eam ante corrupit; quia tunc non est divisio carnis in plures.

XXXVIII. 4. Qui propriam uxorem cognoscit, postquam ab alio per adulterium cognita fuit, quia ipsa iam divisit carnem in plures. Nec refert, etsi per vim vitiata fuerit, vel vir corruptam aut viduam esse ignoraverit: quia haec irregularitas non oritur ex culpa, sed ex defectu significationis Sacramenti.

Iam declarata sunt.

XXXIX. 5. Qui post sollemne votum castitatis de facto matrimonium contrahit et consummat, etiam cum virgine: quia interpretatione iuris censetur duo matrimonia contraxisse, unum spirituale cum Christo, alterum carnale cum muliere. Nec refert, quod invalide contrahat; quia, quantum est in ipso, effectus a parte rei ponitur.

Cf. n. 501.

XL. *Sexta* oritur ex infamia, sive iuris (quae vel ex delicto proprio, vel parentum, vel vili conditione personae nascitur) sive facti, modo crimen publicum sit; ex occulto enim non oritur, si homicidium et censurae violationem excipias, ut docent Navarr. Con. Laym. contra Sylv. et Suar. qui ex occulto etiam oriri putant, modo infamiam ipso iure connexam habeat. Porro infamia ob crimen notorium vel per sententiam iudicis contracta non tollitur, nisi per dispensationem Principis, cuius auctoritate contracta fuit. Infamia facti, etiam orta ex enormi crimine et digna depositione, tollitur per publicam et constantem vitae emendationem.

509. De hac iam partim actum est nn. 432. seqq. Restat aliquid dicendum de infamia ex delicto parentum vel ex vili conditione. Infamibus ex delicto parentum accenset Suarez disp. 48. sect. 3. n. 2. filios reorum crimine laesae maiestatis, qui filii infames sunt iure romano. Sed cum haec infamiae lex desierit, non videntur amplius iidem infames. Negat idem Suarez ibid. filios haereticorum esse infames, etsi sint irregulares: utique non est infamia personalis, sed est quaedam infamia generis, ut ait d'Annibale n. 432.

Quoad vilem conditionem personae, quae oritur interdum ex usu alicuius ignominiosi muneris, ut macellariorum, carnificum, histrionum, monet idem Suarex ibid. n. 3. oportere, quod aliquo iure civili vel ecclesiastico constet, talem conditionem seu munus inducere infamiam. Porro, ut iam diximus, iure nostro civili nulla inducitur

infamia. Erit quidem identidem quaedam infamia facti ex vulgi apprehensione, quae inhabilitatem quandam ex indecentia potius quam veram Irregularitatem inducet.

XLI. *Septima* oritur ex defectu libertatis. Unde irregulares sunt 1. omnes servi proprie dicti et (secundum Laym. l. 2. t. 1. c. 8.) etiam originarii, donec consequantur plenam libertatem. 2. Coniugati, nisi uxores consentiant, et castitatem voveant. 3. Curiales id est curiae seculari obligati, facto iuramento vel accepto stipendio, ut iudices, advocati etc. quandiu talia officia habent. Excipe tamen, nisi habeant specialem dispensationem Papae pro illis officiis, ut quidam Clerici in aulis Principum, in causis civilibus, non tamen criminalibus occupati, vel nisi consuetudo sciente Papa id permittat. 4. Milites, saltem quandiu iuramento tenentur; item thesaurarii et depositarii publici, et qui Remp. administrant. Item apparitores et similes, qui saeva, turpia exercuerunt, vel in causa sanguinis ministrarunt. M. Leo p. 3. f. 369.

510. Huius ratio Irregularitatis ex iustitia est, ne ius alterius laedatur: cf. dicta sub n. 403. in fine et n. 469. *De Servis* non ordinandis exstat titulus 18^us^ l. 1. Decretalium. Itaque ubi servitus viget, servi ordinari nequeunt, nisi prius a domino libertatem fuerint consecuti ibid. c. 2. Quae libertas data intelligitur, cum servi, consentiente (tacite vel expresse) domino, ordinantur; tali enim ordinatione vel prima suscepta tonsura, libertatem consequuntur et ingenui fiunt, ut habet c. 20. dist. 54. Si invito domino per fraudem ad Ordines servus obrepsit, deponendus est; c. 2. *de Servis non ordinandis.*

At si servus, invito domino, in sacris est ordinatus, manet utique liber; sed compensandum est damnum domini vel ab ipso ordinante, si id sciens fecit, vel ab ordinato aut cooperatoribus eius. Ita c. 19. dist. 54., iustitia id exigente. Et de hac re, quae ab usu excessit, satis.

An qui servam (sensu proprio iuris Romani) ducit fit irregularis? Affirmat s. Alph. l. VI. 1018. ex c. *si quis viduam.* Dist. 34. ubi et ancillae mentio fit, qui est c. 18. inter canones Apostolorum, eodem pacto a Dionysio relatus. Causam reddit Schmalzgr. l. 4. tit. 9. n. 15., quia liber contrahens scienter cum serva evadit *vilis* (infamis) et per consequens irregularis. Excipit Sanchez l. VII. d. 19. n. 14., nisi ancilla, eo ipso quod a libero ducitur, libera fiat. Sed haec ad historiam spectant potius quam ad praxim.

511. Quoad *coniugatos*, vetat c. ult. *de Temp. Ordin.* in 6° eis vel Tonsuram conferre, nisi religionem intrare volentibus aut ad sacros Ordines promoveri, prout est sacris canonibus definitum. Canones vero definiunt, nullum coniugatum ad sacros esse Ordines promovendum, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus c. 5. *de Convers. Coniug.* Non est autem per se opus, ut uxor religionem ingrediatur, quod ex hoc ipso canone probat s. Alph. l. 6. n. 812., qui non dicit: *religionem*

sed *continentiam* profitente. Cf. can. 6m seq. qui haec duo distinguit. Nisi tamen vir ad Episcopatum promovendus esset; tunc enim oporteret, uxorem in religione continentiam profiteri, ut statuitur c. 6. eod. tit. Item si vir religionem ingredi vult, consentiente uxore, haec si iuvenis sit vel suspecta de continentia, debet continentiam in religione profiteri. Idem, iisdem exsistentibus conditionibus, videtur affirmandum, si vir Ordines sacros suscipere velit. Cf. tr. *de Matrim.* Vol. VI. nn. 514. seqq.

512. *Curiales* quoque, quandiu in officio sunt, arcentur ab Ordinibus. Hi sunt, qui publicis muneribus, vel facto iuramento vel accepto stipendio, obligati sunt, ut iudices, praesides. Ita Innocentius I. cc. 1. 2. 3. dist. 51. His adduntur ii, qui propter negotia aut officia tenentur rationem reddere gestorum, ut sunt tutores, curatores, administratores, antequam reddiderint, c. un. *de Obligatis ad ratiocinia.*

His Innocentius c. 2. addit milites, quandiu utique, ut A. interpretatur, iuramento militiae tenentur. Ibidem autem Innocentius c. 1. reiicit milites, qui saeva (al. severa) necessario praecepta sunt exsecuti: sed hoc ad sequentem Irregularitatem potius spectat.

513. Nostris vero diebus lata est lex quaedam prohibens quoad eos, qui militiae nomen dare tenentur et duplex editum est decretum, Italos respiciens, italico sermone, cuius interpretationem damus. Prius est decretum C. s. O. 16. Sept. 1875. ita se habens: « Illis alumnis ecclesiasticis, quibus in militari conscriptione sortito obtigit prima classis (categoria) nec spes affulget, fore ut militiae vacationem obtineant (siano riformati) aut annuis voluntariis stipendiis (volontariato) se redimant, necesse est promotionem ad Ordines sacros differri in illud tempus, quo trium vel quinque annorum spatio stipendiis iam functi fuerint, certis praeterea argumentis eorum vocatione atque aptitudine probata ».

Nuper 27. Nov. 1892. s. Congr. super disciplina Regularium haec praescripsit. « Qui ad primam classem (categoria) pertinent nec certam spem fovere possunt obtinendae immunitatis, iis non permittitur professio sollemnis aut Ordinum sacrorum susceptio, donec legitima aut unius anni aut temporis longioris stipendia fecerint... Qui stipendiis factis aut unius anni aut longioris temporis, firmi manebunt in sua vocatione, non ante ad sollemnem professionem aut Ordines sacros admittendi, quam saltem unius anni spatio constantiam in sua sententia probaverint. Oportebit autem omnes afferre testimoniales litteras Ordinariorum, in quorum dioecesibus tres saltem menses commorati fuerint ».

Exceptiones Auctoris quoad curiales vel ministros publicos probat s. Alph. ibid.

XLII. *Octava* ex defectu lenitatis, scilicet ex licita mutilatione vel homicidio in bello iusto vel iudicio. Quod ideo statuit Ecclesia, quia Sacerdos gerit personam Christi, qui, utpote lenissimus, neminem unquam laesit. Ad hanc autem requiritur, ut occisio aut mutilatio de facto sequatur. Unde non sufficit voluntas nec vulneratio gravis. Bonac. d. 7. q. 4. Tan. d. 6. q. 10. d. 11.

514. Haec rursus, prout exhibetur a Doctoribus, est Irregularitas proprie dicta. Duplici ex capite oritur: vel ex *iudicio sanguinis* vel ex *bello iusto*. Ratio Irregularitatis est defectus quidam, nempe *lenitatis*, h. e. placidi clementis animi. Hic defectus debet post baptismum habere locum. Iudicium sanguinis (ait d'Annibale n. 425.) dicitur illud, in quo quis apud iudices laicos (in foro ecclesiastico non habet locum) eius criminis postulatur, quod capitis vel mutilationis poenam secum trahit. Ab his iudiciis, quantumvis iustis, abhorret Ecclesia: ideoque qui ad ea concurrunt, irregulares censentur, *propter defectum lenitatis*.

Si autem iura quaeras, quibus id expressum habeatur, miraberis profecto te nullum certum reperire.

Nam 1° iura, quae in hac re laudari possunt, de clericis loquuntur, non de laicis cc. 5. et 9. *Ne Clerici vel Monachi* et c. 10. *de Excessibus Praelat.* 2° Clericis iudicium sanguinis exercentibus vel ad id concurrentibus poena imponitur *depositionis* c. 5. *Ne Clerici* etc. vel *perpetuae suspensionis* c. 10. *de Excessibus* etc.: ita saltem accipi potest, quamvis heic in titulo capitis dicatur Irregularitas. Alibi tamen, ut c. 3. *Ne clerici vel Monachi* in 6°, supponitur, Clericos exercentes per se ipsos iudicium sanguinis, fieri irregulares.

At laicos iudices, qui iudicium sanguinis exercuerunt, eorumque in iudicio cooperatores laicos, irregulares esse, ut idcirco ad Ordines nequeant admitti sine dispensatione, nusquam scriptum est in iure. Cf. d'Annibale l. c. not. 4. imo et Suarez, qui haec eadem nobiscum advertit disp. 47. sect. 1. n. 1. et nihilominus certissimam esse communem sententiam dicit provocans ad c. 10. *Ex litteris, de Excessibus:* ubi de Episcopo sermo est et solus titulus Irregularitati suffragatur.

Utique Innocentius l. cit. dist. 51. arcet a clero milites, qui saeva (vel severa) praecepta sunt exsecuti; sed non perinde est, sententiam mortis exsequi et eam proferre; illud indecorum est et quandam feritatem sapit, hoc non. Arcet utique idem Pontifex ibid. c. 1. etiam fideles, qui in forensi exercitatione versati sunt et c. 2. fideles, qui causas egerint h. e. postulaverint: verum causae aguntur etiam civiles: idcirco non liquet, utrum ii arceantur a clero eo quod causas egerint sanguinis, an potius eo quod revocari possint a laica potestate: cf. ibid. c. 3m.

515. His pro amore veritatis expositis, ut enarremus breviter quae in hac re communiter admittuntur, ea huc redeunt. Laici, qui ad iudicium *iustum* sanguinis *ex publica auctoritate* et *sua sponte* concurrunt, fiunt irregulares.

Dicitur iudicium *iustum;* quia si iniustum est, Irregularitas erit ex delicto.

Publica auctoritate; id sane essentiale est; secus si privata auctoritate mandatur homicidium aut mutilatio, rursus Irregularitas, siqua erit, ex delicto erit.

Sponte sua, secus defectus *lenitatis* non apparet, qui in hoc proprie est situs, quod quis, nullo cogente, se immisceat causae sanguinis.

Ut Irregularitas incurratur, oportet effectum sequi, mortis vel mutilationis.

Iam vero nedum iudices hanc incurrunt Irregularitatem, sed et qui iudicibus cooperantur, sive in processu agendo, sive in sententia ferenda, sive in eius exsecutione. Cooperatio autem talis esse debet, ut in effectum influat, sit eorum scilicet, quorum actio iure requiritur, ut iudicium exerceatur.

Hinc cooperatores sunt, ratione processus, accusatores et testes contra reum, item advocati aut procuratores contra eundem agentes, modo hi omnes sciant agi iudicium sanguinis, ut colligitur ex c. 21. *de Homicidio*, ubi Clerico petenti apud tribunal laicum iustitiam de laico non imputatur, si iudex ex duritia aut malitia sumat vindictam sanguinis.

Advertit d'Annibale not. 18. ad n. 420. nullo iure, quod legis in Ecclesia vim habeat, contineri, accusatores et testes fieri irregulares. Dicuntur quidem cooperatores: at a regulis iuris alienum est, cooperatores facere pares causae principali, nisi ipso iure id decernatur. Cf. c. 6. §. 1. *de Homic.*

Ratione sententiae cooperatores sunt assessores, scribae seu tabelliones et qui sententiam dictant vel promulgant. Nunc inter praecipuos sunt Iurati.

Ratione exsecutionis cooperatores sunt lictores seu apparitores, qui reum comitantur et ducunt ad supplicium, tum maxime carnifices qui mutilatione vel morte plectunt.

516. Quia vero, ut diximus, oportet aliquem his se sponte ingerere, non sunt obnoxii Irregularitati qui ex aliqua necessitate coacti haec agunt. Huiusmodi sunt, qui ad iniuriam vel damnum resarciendum aut avertendum sive a se sive a suis, accusatores aut delatores agunt; utuntur enim iure defensionis, dummodo *protestentur se poenam sanguinis non intendere* c. 2. *de Homic.* in 6°, ubi id clericis praescribitur.

Hanc protestationem satis est facere ante sententiam. Qui ergo hanc protestationem omittunt, fiunt irregulares et quidem si clerici in sacris vel beneficiati, quibus in iure est praecepta, si scienter omittant, fiunt irregulares *ex delicto:* si ignoranter, *ex defectu:* ceteri, quocumque modo omittant, *ex defectu.* Ita Doctores. Cf. d'Annibale l. c.

Nec irregulares sunt qui coacti praestant accusatori officium advocati aut procuratoris: s. Alph. n. 468.

Pariter irregulares non fiunt testes, qui iusto praecepto vel gravi metu compellantur testari, etsi nullam emiserint protestationem, quippe quam ab eis nullum ius exigit.

Iudices vero, carnifices etc. qui sponte officium susceperunt, nulla iuvantur protestatione et Irregularitatem semper incurrunt, secuto tamen effectu.

Porro iure canonico statutum est, Episcopum seu quemvis Praelatum vel Clericum, qui iurisdictione temporali potitur, si alteri committant iudicium sanguinis, etsi sententia sanguinis ab hoc iudice lata effectum consequatur, irregulares non fieri: c. 3. *Ne Cler. vel Mon.* in 6°.

517. Alia causa huius Irregularitatis est ex bello iusto, secuta occisione aut mutilatione. Si bellum iniustum est, Irregularitas erit ex delicto, de qua superius locuti sumus. Si iustum est bellum atque praeterea defensivum, nemo Irregularitatem contrahit; quia se defendere etiam cum morte invasoris omnia iura permittunt, nec defectus est lenis animi, si te tuosque iusto bello defendas et sic coactus hostes occidas. Clem. c. un. *de Homic.*

Excipiuntur tamen clerici, qui irregulares fiunt, si huiusmodi in bellis seu pugnis militent c. *Petitio tua* 24. *de Homicidio.* In hoc tamen capite putant quidam agi de bello offensivo: sed reapse, tota rerum serie spectata, defensivum fuit: quamvis irruptione ab hostibus in castrum facta, cives ut se tuerentur, e castro erumpentes aggressi sint invasores. Et si bellum seu pugna huiusmodi ad defensionem non spectet, nescio quodnam bellum possit dici defensivum.

Dictam pro Clericis exceptionem alia exceptio excipit, nimirum nisi gravis necessitas populi vel civitatis operam quoque clericorum postulet, quemadmodum decrevit Gregorius M. c. 2. *de Immunit. Ecclesiarum,* in quod caput cf. Gonzalez.

Item si coacti clerici militent in defensivo bello, non est cur irregulares evadant; gravis enim metus huius Irregularitatis maculam abstergit, ut vidimus n. 414.

518. Si autem bellum quidem iustum est, sed offensivum, irregularis fit ex defectu lenitatis ille tantum qui hostem manu sua occidit aut mutilat. Neque in hac re discrimen est inter clericum et laicum, uterque

irregularis fit, si occidat aut mutilet: secus, etsi alii occidant et mutilent, is non est irregularis. Schmalzgr. l. 5. tit. 12. nn. 131. 132. Benedictus XIV. Instr. 101. n. 9. Colligitur ex eodem cap. *Petitio tua*, quod spectat ad Clericos; ibi enim Sacerdos irregularis dicitur, qui cum civibus e castro exierat pugnaturus cum hostibus, absque necessitate tamen et aliquos occiderat. Et si dicamus bellum illud fuisse difensivum, idem ergo magis valebit in bello offensivo. Oportet autem, quemadmodum ibid. dicitur, ut conscientia clericum remordeat peractae occisionis aut mutilationis. Qui idcirco dubitat, non est irregularis: d'Annibale n. 427.

Quoad laicos vero, ignoro quo canone probetur, eos irregulares fieri si in bello iusto offensivo occidant aut mutilent. Sed communiter id tenetur (Benedictus XIV. l. c.).

Illud vero certum est, quod clericus in iusto bello offensivo, si hostem invadentem occidat aut mutilet, eo quod aliter se nequit tueri, nullam incurrit irregularitatem; quia irregularis non est qui ut se defendat, cum aliter non possit, aggressorem occidit aut mutilat *Clem.* c. un. *de Homic.*

Item irregularis non est sive clericus sive laicus, qui in bello iusto offensivo hortatur milites ad acriter pugnandum hostesque occidendos. S. Alph. n. 460. et communis. Sane in c. *Petitio tua*, clericus irregularis dicitur ex eo tantum quod occidit aut mutilavit.

Neque irregularis est, qui bellum iustum Principi consulit et suadet: Bonacina *de Irregularitate* disp. 7. q. 4. p. 4. n. 4.

Unde resolves.

XLIII. 1. Non fit irregularis, qui mutilat vel occidit in defensionem inculpatam honoris, vitae, castitatis etc. vel etiam proximi; quia in iure non statuitur irregularitas, nisi ob homicidium in bello iusto, vel iudicio. Tann. l. c.

519. Clara res est, sed huc non spectat, cf. n. 467.

XLIV. 2. Irregularis fit in bello, qui mutilat vel occidit propria manu, non autem Clericus exhortans ad fortiter pugnandum in bello iusto (secus tamen si ad occidendum hunc, vel illum in particulari) idem est de Duce exercitus, tubicine etc. Bonac. p. 4.

520. A. dicit irregularem esse clericum qui hortetur ad occidendum hunc vel illum hostem in particulari: ita si hortetur occidi ducem hostium, qua occisione bellum forte finiretur, foret irregularis. Verum probabiliter, ait s. Alph. n. 460., contradicunt Salmanticenses; quia tam in praefato textu *Petitio tua*, quam in aliis sermo fit tantum de occidente sive mutilante, non de exhortante.

Et sane si exhortans non est irregularis, is quandiu intra limites exhortationis se contineat, semper effugiet Irregularitatem.

XLV. 3. In Iudicio iusto irregulares fiunt, qui ad mortem, vel mutilationem cooperantur active et efficaciter et proxime, per actionem ex natura sua ad id ordinatam. Dicitur 1. *Cooperantur*, ut Iudex ferens sententiam, Notarius eam scribens, ministri exsequentes, testes etc. Dicitur 2. *Active*, idest ex parte occidentium; quia non fit irregularis, qui se tantum habet passive et ex parte eius, qui occiditur, ut Confessarius hortans ad fatendum veritatem, vel ad acquiescendum sententiae iustae, quam non potest differre, nisi appellatione iniusta. Cornel. et Dian. p. 4. t. 22. r. 99. Dicitur 3. *Efficaciter*, quia adiuvans, v. gr. ferens ligna, ut comburatur ante iam suffocatus, non fit irregularis, nec assistens supplicio, si sua praesentia in illud non influat. Dicitur 4. *Proxime*, quia qui remote tantum cooperantur, non fiunt irregulares, ut qui gladios faciunt aut vendunt, item legislator leges capitales condens, concionator in genere dicens, puniendos esse malefactores, Confessarius interrogatus de reo, an mortem mereatur, si respondeat, iudicem sine acceptione personarum fungi debere suo munere; quia hi omnes sunt tantum causa remota. Essent autem proxima ideoque irregulares, si quid facerent aut dicerent in particulari, ex quo mors alicuius sequeretur aut etiam acceleraretur, v. g. si quis efficaciter urgeret reum, ut scalam ascenderet vel ad hoc illum iuvaret, vel si iudici in particulari responderet, hunc esse plectendum. Possunt tamen subinde etiam proxime cooperantes excusari ab irregularitate: v. g. 1 si fiat ex indeliberatione, aut cum semiplena tantum advertentia, v. g. si dicat Confessarius: *properemus*, aut instiget iumentum, quo reus vehitur: 2. si cooperatio sit valde exigua, ut si iubeat reum adhuc unum gradum ascendere; quia minimum reputatur pro nihilo. Avil. et Henr. apud Bonac. q. 4. p. 1. n. 9. Item Suar. Regin. Laym. etc. contra Vasq. Turr. Hurt. Baun. etc. qui censent ex homicidio neminem fieri irregularem, nisi concurrat ut publicus minister iustitiae, sive ad causae probationem, sive exsecutionem: vel ut privatus iniuste et cum peccato. Quam sententiam probabilem censet Dian. p. 3. t. 4. r. 79. et *in addit.* r. 15. et p. 8. t. 7. r. 61. Hinc negant fieri irregularem 1. Confessarium, vel alium quemcumque, qui furem hortatur, ut scalam ascendat, caput supponat ad ictum excipiendum: 2. eum, qui carnifici dicit, ut aliquid aptet, quo citius exstinguatur reus: 3. qui, dum reus ad supplicium ducitur, suggerit viam breviorem: 4. qui vendit, vel commodat scalam, funes, enses et cetera instrumenta, etiam qui furcam facit: 5. qui interrogatus a Iudice, an teneatur reum condemnare, respondet, teneri: 6. eum, qui carnifici putanti, suspensum iam esse mortuum, significavit adhuc vivere, ex quo calcans iterum pede occidit.

Dicitur *Per actiones ex natura sua* etc. id est, quae per se sit causa talis effectus; quia effectus per accidens non imputatur danti operam rei licitae. Hinc non fit irregularis dicens carnifici: *nemo te impedit facere tuum officium, ego meum feci:* nec Iudices Ecclesiastici degradatum tradentes brachio seculari, nec Clerici accusantes aliquem in causa criminali; modo expresse protestentur, se non intendere, ut puniatur poena sanguinis, sed tantum, ut sibi vel suis satisfiat vel impediantur mala sibi aut aliis imminentia. Vid. Bonac. q. 4. Tann. l. c. etc.

521. Heic plura A. profert incertus, modo affirmans modo negans. Illud solum teneri potest, irregularitati esse obnoxios, qui concurrunt *positive efficaciter* ac *proxime*, iique sunt quos superius n. 515. enumeravimus.

Quoad ceteros satis sit haec animadversio Card. d'Annibale not. 5. ad n. 425. quem cum ducem secuti simus in hac tractatione, cum eodem libet absolvere. « Veteres Theologi in hac re vix non trucu-

lenti fuerunt. Scilicet hi Irregularitatem contrahere docent, qui, quoquo modo, ad necem vel mutilationem concurrunt (v. Croix VII. 521.). Quis enim ferat v. gr. Bonacina et Sayrum VI. 16. 2. existimantes irregularitatem contrahere eum, qui iustitiae administro gladium porrigit, vendit, qui breviori itinere reum perducunt ad supplicii locum vel urgent, ut is citius ad eum perveniat vel ut celerius scalam ascendat etc. (v. Salmant. X. 9. 10.): aut Henriquez et Silvestrum docentes, irregularem fieri eum, qui iudici interroganti, an reus mereatur poenam capitis, respondet mereri, quamvis ex iure respondeat (v. Sayr. VI. 18. 24.) ».

Ceterum poena mutilationis non amplius, puto, est in usu: poena capitis a nostro codice exsulavit seu pro solis militibus servata est: rarissima ergo apud nos erit haec irregularitas ex defectu lenitatis in iudicio. Satis ergo de his est disputatum.

ADDENDA.

ADDENDUM I.

522. Nescio quo fato factum sit, ut in re summi momenti omissio non levis acciderit quam qualibet tandem via reparare oportet. In vol. II. referentes decreta Const. *Officiorum* de librorum prohibitione, praeterivimus imprudentes pag. 382. articulum 20., qui sic se habet.

LIBELLOS ET LIBROS PRECUM, DEVOTIONIS VEL DOCTRINAE INSTITUTIONISQUE RELIGIOSAE, MORALIS, ASCETICAE, MYSTICAE ALIASQUE HUIUSMODI, QUAMVIS AD FOVENDAM POPULI CHRISTIANI PIETATEM CONDUCERE VIDEANTUR, NEMO PRAETER LEGITIMAE AUCTORITATIS LICENTIAM PUBLICET, SECUS PROHIBITI CENSEANTUR.

Legitima auctoritas est auctoritas Ordinarii. Agitur de libris vel libellis (foliis volantibus exclusis), in quibus recensitae res apparatu etiam non scientifico tractantur; de huiusmodi sane agit art. 41. (cf. Lega *Praelect. in textum* l. C. vol. 3. n. 373.) Episcopus, ait Vermeersch, permittere potest Euchologia quae, ut fert usus, continent versiones *Epistolarum* et *Evangeliorum*, atque *Ordinis Missae*, comprehenso *canone*. Prius constat ex consuetudine, alterum indirecte eruitur ex rescripto s. C. Rit. 4. Aug. 1877. (Collect. Cong. P. F. n. 1890.), quo declaratum est, huiusmodi libros eorumque versiones Episcoporum auctoritati reservari.

Sequens art. proinde est 21. nectendus cum subsequenti, qui unum reapse in Const. efficiunt.

ADDENDUM II.

523. Praestat serum instituere sermonem, quam dicere nihil. In Vol. praeced. n. 933. enarrantes causas, ob quas dispensationes matrimoniales concedi solent, primo loco explicavimus *Angustiam loci,* cuius explicationem mutuati sumus ab Instructione quadam C. P. F. Rem accuratius perpendentes advertimus, causam, quae dicitur *angustia loci*, distinguendam esse ab ea quae est *nimia extensio cognationis feminae in loco insigni seu incolis frequenti.* Hae duae aetate Sanchezii distinguebantur (Matr. VIII. 19. 12.) nec alteram sustulit Paulus V. anno nono sui Pontificatus (coepit an. 1605); sed cum *angustia loci* soleret adduci etiam pro magnis urbibus (erat angustia quaedam relativa), vetuit id deinceps fieri voluitque *angustiam loci* pro solis parvis locis seu 300. focorum h. e. familiarum valere (Pyrrus Corradus *Praxis dispens.* VII. 5. 47. seqq. de Iustis. III. *de Dispens.* 2. 2. seqq.): si autem in amplo loco magnave urbe cognatio vel affinitas feminae ita esset propagata ut difficile virum paris conditionis extra consanguineos vel affines posset invenire, haec causa ita explicata potuit semper afferri, sicut et nunc. At *angustia loci* (300. focorum) iam fundat praesumptionem illius difficultatis et idcirco opus haud est inquirere aut demonstrare, quod ibi adeo sit extensa cognatio mulieris, ut difficile vel impossibile sit mulieri parem invenire: sed sufficit testari angustiam loci. Si opus esset demonstrare etiam ibi tantam extensionem cognationis feminae, cum id valeat etiam in magnis urbibus, non opus erat coarctare angustiam loci ad loca 300. focorum. Hac limitatione significavit Paulus V., allegata angustia loci pro locis 300. focorum credendum esse mulieri asserenti, se ibi parem sibi seu sibi convenientem extra consanguineos et affines non reperire.

APPENDIX I.

524. Damus heic Constitutionem Leonis XIII. recentem de religiosorum Institutis vota simplicia profitentibus, quae prodiit anno 1900. elapso die 8ª Decembris. Ea referenda est ad Tractatum de Statu Religioso Vol. IV.

LEO EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI AD P. R. M.

Conditae a Christo Ecclesiae ea vis divinitus inest ac fecunditas, ut multas anteactis temporibus, plurimas aetate hac elabente utriusque sexus tanquam familias ediderit, quae sacro *votorum simplicium* suscepto vinculo, sese variis religionis et misericordiae operibus sancte

devovere contendunt. Quae quidem pleraeque, urgente caritate Christi, singularis civitatis vel dioecesis praetergressae angustias, adeptaeque, unius eiusdemque vi legis communisque regiminis, perfectae quandam consociationis speciem, latius in dies proferuntur. — Duplex porro earundem est ratio: aliae, quae Episcoporum solummodo approbationem nactae, ob eam rem *dioecesanae* appellantur; aliae vero de quibus praeterea romani Pontificis sententia intercessit, seu quod ipsarum leges ac statuta recognoverit, seu quod insuper commendationem ipsis approbationemve impertiverit.

Iam in binas huiusmodi religiosarum Familiarum classes quaenam Episcoporum iura esse oporteat, quaeque vicissim illarum in Episcopos officia, sunt qui opinantur incertum controversumque manere — Profecto, ad *dioecesanas* consociationes quod attinet, res non ita se dat laboriosam ad expediendum; eae quippe una inductae sunt atque vigent Antistitum sacrorum auctoritate. At gravior sane quaestio de ceteris oritur, quae Apostolicae Sedis comprobatione sunt auctae. Quia nimirum in dioeceses plures propagantur, eodemque ubique iure unoque utuntur regimine, ideo Episcoporum in illas auctoritatem opus est temperationem quamdam admittere certosque limites. Qui limites quatenus pertinere debeant, colligere licet ex ipsa decernendi ratione Sedi Apostolicae consueta in eiusmodi consociationibus approbandis, scilicet certam aliquam Congregationem approbari ut piam Societatem votorum simplicium, *sub regimine Moderatoris generalis, salva Ordinariorum iurisdictione, ad formam sacrorum canonum et Apostolicarum constitutionum* — Iamvero perspicuum inde fit, tales Consociationes neque in *dioecesanis* censeri, neque Episcopis subesse posse, nisi intra fines dioecesis cuiusque, incolumi tamen supremi earundem Moderatoris administratione ac regimine. Qua igitur ratione summis societatum harum Praesidibus in Episcoporum iura et potestatem nefas est invadere; eâdem Episcopi prohibentur, ne quid sibi de Praesidum ipsorum auctoritate arrogent. Secus enim si fieret, tot moderatores istis Congregationibus accederent, quot Episcopi quorum in dioecesibus alumni earum versentur; actumque esset de administrationis unitate ac regiminis. — Concordem atque unanimem Praesidum Congregationum atque Episcoporum auctoritatem esse oportet; at ideo necesse est alteros alterorum iura pernoscere atque integra custodire.

Id autem ut, omni submota controversia, plene in posterum fiat, et ut Antistitum sacrorum potestas, quam Nos, uti par est, inviolatam usquequaque volumus, nihil uspiam detrimenti capiat; ex consulto sacri Consilii Episcopis ac Religiosorum ordinibus praepositi, duo praescriptionum capita edicere visum est; alterum de Sodalita-

tibus quae Sedis Apostolicae commendationem vel approbationem nondum sunt assecutae, alterum de ceteris, quarum Sedes Apostolica vel leges recognovit vel institutum commendavit aut approbavit.

525. Caput primum haec habet servanda:

I. Episcopi est quamlibet recens natam sodalitatem non prius in dioecesim recipere, quam leges eius constitutionesque cognorit itemque probarit; si videlicet neque fidei honestative morum, neque sacris canonibus et Pontificum decretis adversentur, et si apte statuto fini conveniant.

II. Domus nulla novarum sodalitatum iusto iure fundabitur, nisi annuente probante Episcopo. Episcopus vero fundandi veniam ne impertiat, nisi inquisitione diligenter acta quales sint qui id poscant: an recte probeque sentiant, an prudentia praediti, an studio divinae gloriae, suaeque et alienae salutis praecipue ducti.

III. Episcopi, quoad fieri possit, potius quam novam in aliquo genere sodalitatem condant vel approbent, utilius unam quandam adsciscent de iam approbatis, quae actionis institutum profiteatur adsimile. — Nullae fere, ni forte in *Missionum* regionibus, probentur sodalitates, quae, certo proprioque fine non praestituto, quaevis universe pietatis ac beneficientiae opera, etiamsi penitus inter se disiuncta, exercenda amplectantur.

Episcopi sodalitatem condi ullam ne siverint, quae reditibus careat ad sodalium victum necessariis. — Sodalitia, quae stipe collaticia vivant, item muliebres familias, quae aegrotis, domi ipsorum, interdiu noctuque adsint, cautissime, quin etiam difficulter comprobent. — Si qua autem nova feminarum sodalitas eo spectet ut suis in aedibus valetudinaria aperiat viris promiscue mulieribusve excipiendis, vel similes domos excipiendis sacerdotibus, qui Sororum curâ atque opera aegrotantes leventur; eiusmodi proposita Episcopi ne probent, nisi maturo adhibito severoque consilio. — Praeterea Episcopi religiosarum domus, ubi viris feminisve peregre advenientibus hospitium victusque accepto pretio suppeditetur, nequaquam permittant.

IV. Sodalitas quaevis dioecesana ad dioeceses alias ne transgrediatur, nisi consentiente utroque Episcopo, tum loci unde excedat, tum loci quo velit commigrare.

V. Sodalitatem dioecesanam si ad dioeceses alias propagari accidat, nihil de ipsius natura et legibus mutari liceat, nisi singulorum Episcoporum consensu, quorum in dioecesibus aedes habeat.

VI. Semel approbatae sodalitates ne exstinguantur, nisi gravibus de causis, et consentientibus Episcopis, quorum in ditione fuerint. Singulares tamen domos Episcopis, in sua cuique dioecesi, tollere fas est.

VII. De puellis habitum religiosum petentibus, item de iis, quae probatione expleta emissurae sint vota, Episcopus singulatim certior fiat: eiusdem erit illas et de more explorare et, nihil si obstet, admittere.

VIII. Episcopo alumnas sodalitatum dioecesanārum professas dimittendi potestas est, votis perpetuis aeque ac temporariis remissis, uno dempto (ex auctoritate saltem propria) colendae perpetuo castitatis. Cavendum tamen ne istiusmodi remissione ius alienum laedatur; laedetur autem, si insciis moderatoribus id fiat iusteque dissentientibus.

IX. Antistitae, ex constitutionum iure, a Sororibus eligantur. Episcopus tamen, vel ipse vel delegato munere, suffragiis ferendis praeerit: peractam electionem confirmare vel rescindere integrum ipsi est pro conscientiae officio.

X. Dioecesanae cuiusvis sodalitatis domos Episcopus invisendi ius habet, itemque de virtutum studio, de disciplina, de oeconomicis rationibus cognoscendi.

XI. Sacerdotes a sacris, a confessionibus, a concionibus designare, item de sacramentorum dispensatione statuere munus Episcoporum est, pro sodalitatibus dioecesanis pariter ac pro ceteris; id quod in capite consequenti (num. VIII.) explicate praefinitur.

526. Alterum praescriptionum caput, de Sodalitatibus, quarum Apostolica Sedes vel leges recognovit vel institutum commendavit aut approbavit, haec habet servanda:

I. Candidatos cooptare, eosdem ad sacrum habitum vel ad profitenda vota admittere, partes sunt Praesidum sodalitatum; integrâ tamen Episcopi facultate, a Synodo Tridentina tributa (a), ut, quum de feminis agitur, eas et ante suscipiendum habitum et ante professionem emittendam ex officio exploret. Praesidum similiter est familias singulas ordinare, tirones ac professos dimittere, iis tamen servatis quaecumque ex instituti legibus pontificiisque decretis servari oportet. — Demandandi munera et procurationes, tum quae ad universam sodalitatem pertinent, tum quae in domibus singulis exercentur, Conventus seu *Capitula*, et Consilia propria ius habent. In muliebrium autem sodalidatum Conventibus ad munerum assignationem, Episcopus, cuius in dioecesi habentur, per se vel per alium praeerit, ut Sedis Apostolicae delegatus.

II. Condonare vota, sive ea temporaria sint sive perpetua, unius est romani Pontificis. Immutandi constitutiones, utpote quae probatae a Sede Apostolica, nemini Episcoporum ius datur. Item regimen, quod

(a) Sess. XXV. cap. XVII. de Regul. et Monial.

penes moderatores est sive sodalitatis universae sive familiarum singularum ad constitutionum normam, Episcopis mutare, temperare ne liceat.

III. Episcoporum sunt iura, in dioecesi cuiusque sua, permittere vel prohibere novas domos sodalitatum condi; item nova ab illis templa excitari, oratoria seu publica seu semipublica aperiri, sacrum fieri in domesticis sacellis, Sacramentum augustum proponi palam venerationi fidelium. Episcoporum similiter est sollemnia et supplicationes, quae publica sint, ordinare.

IV. Domus sodalitatum huiusmodi si *clausura episcopali* utantur, Episcopis iura manent integra, quae de hac re a pontificiis legibus tribuuntur. Si quae autem *clausura*, ut inquiunt, *partiali*, utantur, Episcopi erit curare ut rite servetur, et quidquid in eam irrepat vitii cohibere.

V. Alumni alumnaeve sodalitatum harum, ad *forum internum* quod attinet, Episcopi potestati subsunt. In *foro* autem *externo*, eidem subsunt quod spectat ad censuras, reservationem casuum, votorum relaxationem quae non sint uni summo Pontifici reservata, publicarum precum indictionem, dispensationes concessionesque ceteras, quas Antistites sacrorum fidelibus suis impertire queant.

VI. Si qui vero ad sacros ordines promoveri postulent, eos Episcopus, etsi in dioecesi degentes, initiare caveat, nisi hisce conditionibus: ut a moderatoribus quisque suis proponantur; ut quae a iure sacro sancita sunt de *litteris dimissorialibus* vel *testimonialibus*, sint rite impleta; ut *titulo sacrae ordinationis* ne careant, vel certe eo legitime eximantur; ut theologiae studiis operam dederint secundum decretum *Auctis admodum*, die datum IV. novembris anno MDCCCXCII.

VII. In sodalitates, quae mendicato vivunt, ea Episcopis stent iura, quae habet decretum *Singulare quidem*, a sacro Consilio Episcopis et Religiosorum ordinibus praeposito promulgatum die XXVII. martii anno MDCCCXCVI.

VIII. In iis quae ad spiritualia pertinent subduntur sodalitates Episcopis dioecesium in quibus versantur. Horum igitur erit sacerdotes ipsis et a sacris designare et a concionibus probare. Quod si sodalitates muliebres sint, designabit item Episcopus sacerdotes a confessionibus tum ordinarios tum extra ordinem, ad normam constitutionis *Pastoralis curae*, a Benedicto XIV. decessore Nostro editae, ac decreti *Quemadmodum*, dati a sacro Consilio Episcopis et Religiosorum ordinibus praeposito, die XVII. decembris anno MDCCCXC.; quod quidem decretum ad virorum etiam consociationes pertinet, qui sacris minime initiantur.

IX. Bonorum, quibus Sodalitia singula potiuntur, administratio penes Moderatorem supremum maximamve Antistitam eorumque Consilia esse debet: singularum vero familiarum reditus a praesidibus singulis administrari oportet, pro instituti cuiusque legibus. De iis nullam Episcopus rationem potest exigere. Qui vero fundi certae domui tributi legative sint ad Dei cultum beneficentiamve eo ipso loco impendendam, horum administrationem moderator quidem domus gerat, referat tamen ad Episcopum, eique se omnino praebeat obnoxium: ita nimirum ut neque Praeposito neque Antistitae sodalitii universi liceat quidquam ex iis bonis Episcopo occultare, distrahere, vel in alienos usus convertere. Talium igitur bonorum Episcopus rationes accepti impensique, quoties videbitur, expendet; idem ne sortes minuantur, reditus ne perperam erogentur, curabit.

X. Sicubi sodalitatum aedibus instituta curanda adiecta sint, uti gynaecea, orphanotrophia, valetudinaria, scholae, asyla pueris erudiendis, Episcopali vigilantiae ea omnia subsint, quod spectat ad religionis magisteria, honestatem morum, exercitationes pietatis, sacrorum administrationem, integris tamen privilegiis, quae collegiis, scholis, institutisve eiusmodi a Sede Apostolica sint tributa.

XI. In quarumlibet sodalitatum domibus vota simplicia profitentium, Episcopis cuiusque dioecesis ius est invisendi templa, sacraria, oratoria publica, sedes ad sacramentum poenitentiae, de iisque opportune statuendi, iubendi. — In presbyterorum sodalitiis, de conscientia ac disciplina, item de re oeconomica uni praesides cognoscent. In consociationibus vero feminarum, aeque ac virorum qui sacerdotio abstinent, Episcopi erit inquirere num disciplina ad legum normam vigeat, num quid sana doctrina morumve probitas detrimenti ceperit, num contra clausuram peccatum, num sacramenta aequâ statâque frequentia suscipiantur. — Reprehensione dignum si quid Episcopus forte offenderit, ne decernat illico: moderatores uti prospiciant moneat; qui si neglexerint, ipse per se consulat. Si quae tamen maioris momenti occurrant quae moram non exspectent, decernat statim: decretum vero ad sacrum Consilium deferat Episcopis ac Religiosorum ordinibus praepositum.

Episcopus, in visitatione potissimum, iuribus, quae supra diximus, utatur suis quod spectat ad scholas, asyla ceteraque memorata instituta. — Ad rem vero oeconomicam quod attinet, muliebrium sodalitatum itemque virorum sacerdotio carentium, Episcopus ne cognoscat nisi de fundorum legatorumve administratione, quae sacris sint attributa, vel loci, aut dioecesis incolis iuvandis.

His porro, quae hactenus ediximus sancivimus, nihil penitus dero-

gari volumus de facultatibus vel privilegiis, tum Nostro aut quovis alio Sedis Apostolicae decreto concessis, tum immemorabili aut saeculari consuetudine confirmatis, tum etiam quae in alicuius Sodalitatis legibus a romano Pontifice approbatis contineantur.

Praesentes vero litteras et quaecumque in ipsis habentur nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive intentionis Nostrae vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse, sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cuiusvis gradus et praeeminentiae inviolabiliter in iudicio et extra observari debere decernimus: irritum quoque et inane declarantes si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel praetextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari; contrariis non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem ut harum litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significationi his praesentibus ostensis haberetur.

Datum Romae apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo noningentesimo, sexto idus decembres, Pontificatus Nostri vicesimo tertio.

C. Card. ALOISI MASELLA Pro-Dat.
A. Card. MACCHI.

Visa

De Cvria. De Aqvila e Vicecomitibvs
Loco ✠ Plumbi
Reg. in Secret. Brevium

I. Cvgnonivs.

APPENDIX. II.

Responsa s. Poenitentiariae, quibus norma praescribitur absolvendi eos, qui censuram incurrerint tum ob invasionem Territorii Pontificii, tum ob bonorum ecclesiasticorum usurpationem.

527. I. — Cum speciali facultate ad hosce absolvendos confessarii indigeant; haec vel a s. Poenitentiaria quaerenda est, vel ab Ordinariis, quibus amplissimae ad hunc effectum facultates per Apostolicas Litteras 11. Aprilis 1869. concessae fuerunt. Quae vero norma servanda sit in harum facultatum usu, ex sequentibus s. Poenitentiariae Responsis seu Declarationibus 1. Iunii 1869. datis satis elucet.

II. — Q. 1° Utrum vi facultatum, quae per Apostolicas Litteras 11. Aprilis tribuuntur, Confessarii ab Ordinariis approbati absolvere

illos possint, qui ad effectum perduxerunt invasionem aut rebellionem ditionum s. Sedis et eorum mandantes, adhaerentes et cooperatores, tum illos, qui leges iniquas promoverunt, aut ad harum exsecutionem operam contulerunt.

R. Affirmative, dummodo Poenitentes exhibeant verae resipiscentiae signa, scandalum reparaverint, aut saltem parati sint quamprimum illud reparare, meliori modo quo poterunt, atque obedientiam s. Sedi eiusque mandatis desuper ferendis sincere promiserint. Verum publici officiales, quorum officium aliquam cooperationem actibus a s. Sede reprobatis importare seu legibus divinis et ecclesiasticis adversari videatur, non absolvantur, nisi dimisso prius officio et, quatenus dimittere nequeant, ipsi Officiales consulant Loci Ordinarium, qui decernat et provideat iuxta Litteras s. Poenitentiariae 26. Iulii 1867., quibus quidem Litteris omnino standum est.

— Q. 2° Utrum, et quomodo a Confessariis absolvi possint illi Clerici, qui postulata concinnarunt circa abdicationem temporalis s. Sedis Ditionis aut iis subscripserunt?

R. Affirmative, facta prius ac sufficienter publicata retractatione iuxta Litteras s. Poenitentiariae 28. Maii 1893.

— Q. 3° Utrum a Confessariis absolvi possint violatores immunitatis Ecclesiasticae personalis et localis et clausurae?

R. Affirmative, satisfacta laesa parte, ac reparata, meliori quo potest modo, iniuria Ecclesiae facta.

— 4° Utrum et quomodo absolvi illi possint, qui acquisiverunt aut possident bona ecclesiastica immobilia a fisco (vulgo, *Demanio*) divendita?

R. Poenitentes, qui detinent huiusmodi bona, non esse absolvendos, nisi prius Loci Ordinario, aut aliis viris ecclesiasticis ab ipso Ordinario pro sua prudentia per Dioecesim designandis, consignaverint syngraphum ab eis subscriptam, seu coram testibus subsignatam, eidem Ordinario quamprimum transmittendam ac caute in Cancellaria Dioecesana aut alibi custodiendam, qua sequentibus obligationibus seu conditionibus se suosque heredes et successores subiicere declarent:

1° Retinendi eadem bona ad nutum Ecclesiae eiusque mandatis subinde parendi.

2° Conservandi ipsa bona et rem utilem in eis gerendi.

3° Adimplendi pia opera iisdem bonis adnexa.

4° Subveniendi ex fructibus ipsorum bonorum personis seu Locis Piis, ad quae de iure pertinent (a).

(a) In aliis rescriptis legitur: *Et erogandi reditus eorundem bonorum, qui facta proportione excedant solutum pretium, vel in favorem personarum seu Locorum Piorum, ad quae*

5° Monendi heredes et successores per syngrapham subscriptam de huiusmodi obligationibus, ut et ipsi sciant, ad quid teneantur.

— Q. 5° Utrum et sub quibus conditionibus possint illi absolvi, qui bona ecclesiastica immobilia acquisierunt et deinde ea aliis vendiderunt, et qui contractibus de iisdem bonis cooperati sunt?

R. Affirmative, deposito lucro exinde iniuste percepto in manibus Ordinarii, ad effectum illud conservandi favore Locorum Piorum, quae damna passa sunt, reparato scandalo, monitis novis emptoribus aliisque complicibus, ut propriae consulant conscientiae et imposita obligatione standi mandatis s. Sedis desuper ferendis.

— Q. 6° Utrum absolvi illi possint, qui bona ecclesiastica mobilia acquisiverunt, quidve illis iniungendum?

R. Affirmative, imposita illis aliqua eleemosyna favore Locorum Piorum, ad quae dicta bona pertineant, quatenus emerint pretio, quod iudicio Ordinarii seu Confessarii fuerit minus iusto. At si agatur de rebus, quae non sint usu consumptibiles, seu quae servando servari possint, aut de supellectilibus et vasis sacris, imponatur poenitentibus obligatio quamprimum recurrendi ad Loci Ordinarium, ad hoc ut super iisdem rebus provideat iuxta Indultum ipsi Ordinario iam a s. Poenitentiaria concessum (a).

— Q. 7° Utrum et quomodo absolvi illi possint, qui conduxerunt bona ecclesiastica inique occupata aut divendita a Fisco (vulgo (*Demanio*)?

R. Affirmative, imposita poenitentibus obligatione quamprimum

---

dicta bona de iure pertinent, vel in satisfactionem pretii in emptione soluti, quatenus emptor repetere velit et de consensu Ordinarii.

Quae autem conditiones in tota hac paragrapho praescribuntur pro iis, qui bona retineant empta sine licentia, hae ipsae praescribi solent pro iis, qui eiusmodi bona emerint cum licentia. Verum hodie non ita facile conceditur haec facultas, nisi extraordinariae adsint circumstantiae et sub commendatione Ordinarii, pro qua facultate obtinenda fit recursus ad s. Poenitentiariam, quae pro hac concessione mittit ad Ordinarium Dioecesis, qui hanc facultatem elargitur sub praedictis conditionibus ab iisdem personis acceptandis et subscribendis, atque in Cancellaria episcopali caute servandis. (Sed cf. pag. 407. n. 4°). — E.

(a) « Indulgere nimirum solet s. Poenitentiaria Episcopis facultatem 1° permittendi eis, qui recurrant, ut res annonarias, fructus terrae, res mobiles ad Ecclesias aut Loca Pia spectantes et a Gubernio usurpatas, acquirere licite valeant, remoto prudenter scandalo, atque erogata aliqua eleemosyna favore praesertim Ecclesiarum seu personarum, ad quas res ipsae spectabant, ab Ordinario sive a Confessario taxanda, quatenus emerint pretio, quod iudicio ipsius Ordinarii aut Confessarii fuerit minus iusto: 2° providendi sub iisdem conditionibus et praevia eorum absolutione cum congrua poenitentia salutari iis, qui easdem res iam emerint.

« Quod si de rebus agatur, quae non sunt usu consumptibiles, teneantur emptores earum elenchum Ordinario tradere et parati sint eas quandocumque Ecclesiis seu Locis Piis, recepto soluto pretio, restituere et curare pro viribus, ut supellectiles, vasa et utensilia sacra in usus aliarum Ecclesiarum seu Oratoriorum transferantur, nec in usus profanos assumantur. Excipitur autem casus, quo res emptae valorem quingentorum scutorum excedant ».

recurrendi ad Loci Ordinarium, ad hoc ut super bonis conductis provideat iuxta Indultum ipsi Ordinario iam pariter a s. Poenitentiaria concessum (a).

— Q. 8° Utrum et quomodo absolvi illi possint, qui bona ecclesiastica in emphyteusim a gubernio acceperunt?

R. Huiusmodi poenitentes non esse absolvendos, nisi prius Ordinario Loci seu aliis Viris Ecclesiasticis, ut supra in dubio 4° ab Ordinario designandis syngrapham consignaverint, qua declarent, se suosque heredes et successores subiicere sequentibns obligationibus seu conditionibus:

1ª Conservandi eadem bona et in eis rem utilem gerendi.

2ª Non utendi quocumque privilegio et lege sive lata sive ferenda quoad canonis affrancationem.

3ª Retinendi ipsa bona ad nutum Ecclesiae eiusque mandatis subinde parendi quoad eorundem bonorum restitutionem.

4ª Adimplendi pia onera, quae iisdem bonis sint adnexa, quatenus aliunde non adimpleantur.

5ª Solvendi interim annuum canonem illumque augendi ad tramites iustitiae et iuxta aestimationem peritorum timoratae conscientiae, si nimis tenuis in stipulatione contractus impositus fuerit.

6ª Monendi heredes et successores de huiusmodi obligationibus per syngrapham, ut et ipsi sciant, ad quid teneantur.

— Q. 9° Utrum et quomodo possint illi absolvi, qui non modo bona Ecclesiastica in emphyteusim a Gubernio acceperunt, sed insuper ea a canonis solutione redemerunt?

R. Huiusmodi Poenitentibus providendum prout in superiori responso ad Dubium sub N. 4°.

— Q. 10° Utrum et quomodo absolvi illi possint, qui redemerunt Census et iura Ecclesiastica per se redimibilia?

R. Affirmative, dummodo prius in manibus Ordinarii erogent quidquid minus de capitali summa Gubernio persolverint, ad effectum

---

(a) « Sacra Poenitentiaria facultatem Ordinariis Locorum facere solet, indulgendi fidelibus, ut bona Ecclesiastica a Gubernio occupata conducere seu iam conducta retinere valeant, imposita illis aliqua eleemosyna favore personarum seu Ecclesiarum, ad quas eadem bona de iure pertinent, quatenus conduxerint pretio, quod iudicio Ordinarii seu Confessarii fuerit minus iusto, et obligatione faciendi quantum poterunt sub directione Ordinarii pro conservatione praesertim sacrarum aedium ac templorum, quae iisdem bonis fuerint adnexa ac praevia absolutione cum poenitentia salutari, quatenus illicite conduxerint, necnon remoto ac reparato scandalo.

« Quamvis autem optandum maxime sit, ut huiusmodi conductiones ad breve tempus fiant, tamen s. Poenitentiaria declarat, non obstare quod, sic iubente Gubernio, conductio fiat ultra triennium, cum huiusmodi conductionis contractus sit ipso iure nullus et Indultum Apostolicum concedatur conductori tantum pro suae conscientiae tranquillitate et sit ad nutum s. Sedis omnino revocabile ».

illud conservandi favore Locorum Piorum, ad quae Census seu iura redempta pertinebant.

— Q. 11° Utrum et quomodo absolvi illi possint, qui redemerunt Canones, livellos, praestationes, aut alia iura Ecclesiastica per se non redimibilia ?

R. Posse absolvi, dummodo prius, prout in responso ad Dubium sub N. 4°. syngrapham consignaverint, qua declarent, se suosque successores subiicere sequentibus obligationibus et conditionibus:

1ª Retinendi fundos sic invalide affrancatos ad nutum Ecclesiae eiusque mandatis subinde parendi.

2ª Conservandi eosdem fundos et rem utilem in eis gerendi.

3ª Servandi indemnia quocumque tempore Loca Pia super integra perceptione canonis, livelli ac praestationis ac super quibusvis aliis iuribus, quae ad ipsa Loca Pia spectabant necnon adimplendi prout de iure pia onera fundis adnexa, quatenus aliunde non adimpleantur.

4ª « Monendi heredes ac successores per syngrapham subscriptam de huiusmodi obligationibus, ut et ipsi sciant, ad quid teneantur ».

528. III. — Facultates porro ad eos absolvendos, qui in praemissis censuras incurrerint, concessas sic legimus: « S. Poenitentiaria de speciali et expressa Apostolica auctoritate, attentis expositis circumstantiis, omnibus Venn. in Christo Patribus Archiepiscopis, Episcopis ceterisque Locorum Ordinariis in Italia sequentes... concedit facultates, quibus sive per se sive per idoneas personas ecclesiasticas ad hoc specialiter deputandas pro grege sibi commisso uti licite valeant.

« Absolvendi Apostolica Auctoritate a Censuris et Poenis ecclesiasticis omnes et singulos poenitentes, qui pro legibus super usurpatione bonorum, aliorumque iurium ad Ecclesiam et ad Loca Pia spectantium, ac suppressione Ordinum Regularium suffragia dederunt, vel eisdem legibus adhaeserunt, aut earum promulgationi sive exsecutioni cooperati sunt; dummodo tamen prius verae resipiscentiae signa exhibuerint ac illicitum iuramentum, quatenus illud emiserint, retractaverint: iniuncta singulis pro modo culparum congrua poenitentia salutari cum reparatione illati scandali meliori modo quo poterunt aliisque iniunctis de iure iniungendis.

« Verum Officiales publici, qui fuerint de novo creati seu assumpti ad exsequendas dictas leges, vel qui per exercitium officii, quod iam antea obtinebant, imputabiliter, iuxta regulas a probatis Auctoribus traditas circa furtum et rapinam, cooperantur praefatis legibus seu usurpationibus vel earum manutentioni aut consummationi, non absolvantur nisi imposita illis obligatione dimittendi officium. Reliqui vero Officiales, quorum officium huiusmodi imputabilem cooperationem

udicio prudentum importare non videatur, quatenus illud absque gravi sui vel propriae familiae detrimento dimittere nequeant, tolerentur; sed sub conditione, ut a laudandis, probandis, consulendis, promovendis dictis usurpationibus omnino abstineant: quin imo pro viribus curent eas differre ac temperare favore Ecclesiae ac Personarum ecclesiasticarum, se dirigendo consilio pii ac docti confessarii » (26. Iun. 1867.).

529. IV. Quoad Patronos vero Beneficiorum, ex s. Poenitentiaria 23. Ianuarii 1868. Episcopi habent facultatem « Indulgendi Patronis, ut persolvant Gubernio, quod ab eis pro dictis Beneficiis exigitur, atque ut ad normam legis eadem bona, remoto scandalo, assequi valeant sub conditionibus:

« 1ª Retinendi ea bona ad nutum Ecclesiae, et mandatis eius inde obtemperandi:

« 2ª Ea bona conservandi et in eis rem utilem gerendi.

« 3ª Impendendi fructus in aequam satisfactionem summae Gubernio a patronis solutae, si repeti velint, et in redintegrationem eorundem Beneficiorum. Quae redintegratio ut facilius obtineatur, s. Poenitentiaria, Apostolica Auctoritate, facultates tribuit opportunas, ut ad tempus Ordinarius suspendat nominationem et provisionem dictorum Beneficiorum vacantium, et pia onera adnexa, prout omnibus perpensis ipsi visum fuerit, ad tempus reducere seu etiam in totum suspendere valeat. Ita tamen, ut si agatur de oneribus Missarum, patronis aliquis numerus imponatur quotannis celebrandarum, supplendo reliquum de thesauro Ecclesiae. Facta autem redintegratione, patroni praesentent, cui universitas fructuum cum omnibus oneribus iuxta fundationem cedat.

« 4ª Certiorandi heredes et successores de huiusmodi obligatione per syngraphum, ut et ipsi sciant, ad quid teneantur ».

530. V. Facultates Ordinariis concessae ad absolvendos sive per se sive per idoneas personas ecclesiasticas, eos qui censuras incurrerunt ob invasionem seu rebellionem contra Ditionem Pontificiam:

« 1ª Absolvendi Apostolica Auctoritate a censuris et poenis ecclesiasticis omnes et singulos poenitentes, qui rebellioni Ditionis Pontificiae cooperati sunt vel adhaeserunt aut quocumque modo operam suam vel favorem praestiterunt, sive votum pro unione Italiae sub unico rege dederunt, aut immunitatem ecclesiasticam violaverunt; dummodo tamen prius verae resipiscentiae signa exhibuerint, illatum scandalum meliori modo, quo poterunt, prudenti iudicio Ordinarii seu Confessarii, reparaverint et obedientiam s. Sedi eiusque mandatis desuper ferendis iuramento promiserint: iniuncta singulis pro modo cul-

parum congrua poenitentia salutari aliisque iniunctis de iure iniungendis. Exceptis tamen rebellionum magistris, coryphaeis, instigatoribus ac officialibus publicis, et exceptis illis, qui violaverunt immunitatem ecclesiasticam per manuum iniectionem in Cardinales, Episcopos, aut alios ecclesiasticos in dignitate constitutos, pro quibus omnibus recurrendum erit in singulis casibus ad s. Poenitentiariam.

« 2ª Absolvendi sub praefatis conditionibus et exceptionibus Ecclesiasticos, si qui in praemissis culpabiles exstiterint, postquam tamen aliquam religiosam domum ingressi fuerint ibique saltem per mensem exercitiis spiritualibus vacaverint; et cum eisdem super irregularitate ex violatione dictarum censurarum quomodocumque contracta, Apostolica Auctoritate misericorditer dispensandi, iniuncta singulis congrua poenitentia salutari, iniunctis de iure iniungendis, exceptis tamen semper personis in n. 1. exceptis.

« 3ª Absolvendi similiter, sub conditionibus expressis sub n. 1., a censuris et poenis ecclesiasticis milites qui arma tulerunt et dimicarunt contra Pontificiam Ditionem, dummodo tamen animo parati sint, quamprimum poterunt sine periculo vitae, iniustam militiam deserere et interea abstinere ab omnibus actibus hostilitatis in subditos et milites legitimi Principis et ab actibus contra bona, iura et Personas Ecclesiasticas: iniuncta pariter singulis pro modo culparum congrua poenitentia salutari et obligatione reficiendi damna, prout de iure, si quae alicui certo suo privato ausu intulerint, aliisque iniunctis de iure iniungendis; exceptis tamen ducibus et officialibus, qui sine vitae aut alterius gravissimae poenae periculo se dimittere et militiam deserere poterant et exceptis, ut supra, illis, qui Immunitatem Ecclesiasticam violaverunt per manuum iniectionem in Cardinales, Episcopos, aut alios Ecclesiasticos in dignitate constitutos, pro quibus omnibus recurrendum erit in singulis casibus ad s. Poenitentiariam ».

His, quatenus spectant ad bonorum ecclesiasticorum usurpationem vel iniunctam retentionem, substituta est deinceps alia ordinatio, scilicet.

531. Anno 1892. S. Poenitentiaria Ordinariis singulis haec scripsit: « S. Poenitentiaria, de speciali et expressa Apostolica Auctoritate Ordinario N. N. ad annum duraturam facultatem communicat.

Christi fideles, qui bona immobilia aut census aut iura Ecclesiae erepta, sine eiusdem Ecclesiae venia acquisierunt - vel acquisita alienaverunt - vel acquisierunt per emphyteusim - vel acquisita per emphyteusim liberaverunt - qui tanquam patroni vindicarunt beneficia ecclesiastica et cappellanias - qui redemerunt legata pia aut canones

aut iura irredimibilia - vel ex redemptione iurium natura sua redimibilium, cum damno Ecclesiae lucrati sunt - qui decimas non solverunt - et praedictorum omnium heredes et quoscumque successores:

Quoties ob aliquam ex praedictis causis gubernio aut aliis venditoribus solverunt aut solvere debent non ultra triginta libellarum millia (30,000.) et, si de decimis sermo sit, dummodo debitum hanc summam non superet et, si agatur de emphytheusi aut alio simili contractu, dummodo canon seu praestatio, iuxta legem civilem computata, respondeat capitali summae, quae itidem non excedat triginta libellarium millia:

De speciali gratia admittendi ad compositionem (cf. tr. VIII. Vol. III. 529. seq.), quae aequa videatur, servatis praesertim conditionibus et regulis, quae sequuntur.

1° Procedatur de intelligentia aliorum Ordinariorum, si quorum intersit et de consensu eorum, qui respective causas pias repraesentant aliorumque canonice interesse habentium.

2° In quantitate aequae compositionis determinanda, considerentur *a)* Fundorum seu iurium valor realis eo tempore, quo Compositio initur, *b)* pretium emptionis, *c)* praesens oratorum status, *d)* id, in quo ipsi oratores, cum damno Ecclesiae, ditiores facti sunt, *e)* onera pia, quorum, si adsint, praecipua ratio habenda est.

Datur autem facultas Ordinario, eadem onera condonandi ex toto vel ex parte, si eis satisfactum non fuerit, nec non eadem reducendi pro futuro, iuxta vires, sive ad tempus sive in perpetuum, pro diversa causarum et adiunctorum natura: supplente, quantum ad Missas et alia suffragia attinet, ss. Domino ex thesauro Ecclesiae.

3° Benignior esse potest compositio, si pretium solutum vel canon assumptus, citra culpam emptoris vel emphyteutae, superet praesentem valorem fundorum: item pro eis, qui coacti affrancaverunt et pro heredibus eorum, qui bona vel iura ecclesiastica, ut supra, iniuste possederunt, sed alias causas pias fundaverunt aut iuvarunt.

4° Ad compositionem adhortandi sunt etiam illi, quibus concessum fuit, bona aut iura supradicta ad nutum Ecclesiae retinere, subscriptis conditionibus alias designatis: *qui modus consulendi conscientiae fidelium non amplius conceditur.*

5° Ordinarius, quando agitur de Fundis, in quibus aliqua sita est ecclesia, vel agitur de rebus sacris mobilibus, oratores oretenus moneat de obligatione, qua tenentur, faciendi sub directione Ordinarii pro tempore, quod poterunt pro sacrarum aedium et templorum conservatione et res sacras nunquam in usus profanos convertendi seu deputandi idque debitis modis notificandi suis heredibus et successoribus.

6° Nullum documentum peractae compositionis cuipiam tradatur; quod si illud omnino exigatur, Episcopus per se iis, qui se composuerunt, poterit in scriptis id tantum declarare, eos omni obligatione conscientiae erga Ecclesiam, ratione fundorum, canonum etc. exemptos et solutos esse.

7° Per has litteras eidem Ordinario fit quoque potestas, hac ipsa ratione providendi etiam illis, qui huiusmodi bona et iura acquirere, vendere, liberare, vindicare et redimere postulabunt et si agatur de decimis, subducta computatione, quae supra pro canonibus et praestationibus statuta est: quin ex eo, praeter oratores eorumque heredes et successores, alii releventur et, quod ad patronos attinet, dimisso prorsus iure patronatus et quin laesa censeantur iura investitorum, si adsint.

8° Eidem Ordinario conceditur etiam facultas indulgendi iis, qui super bonis habent imposita legata pia vel Missarum onera, ut ea redimere valeant data summa, quae, computatis fructibus ad quinque per centum, reditus sufficientes quotannis praebeat pro integro eorumdem onerum adimplemento et sub hac lege, ut si praefata summa solvatur per publicas schedas (vulgo *di consolidato*), ipsae schedae non computentur iuxta nominalem ipsarum valorem, sed iuxta pretium, quod die solutionis effective in commercio habent.

9° Praeterea eadem s. Poenitentiaria praelaudato Ordinario facultatem concedit, sive per se sive per aliam idoneam ecclesiasticam personam, ab eo ad hoc in singulis casibus subdelegandam, oratores in praemissis culpabiles, postquam, ut supra, se composuerint, a censuris et poenis ecclesiasticis, in quam propterea quomodolibet inciderint, apostolica auctoritate absolvendi cum congrua poenitentia salutari et reparatione scandali, meliori, quo fieri potest, modo, prudenti iudicio absolventis.

10° In hoc Indulto non comprehenditur facultas concedendi impositionem hypothecarum neque reducendi canonem emphytheusis temporaneae vel nimis onerosae: circa quae recurrendum est in singulis casibus ad s. Sedem.

Item non comprehenditur facultas dispensandi ecclesiasticos viros super irregularitate, in quam inciderint ob violatas censuras.

11° Qui, ob paupertatem, compositionem inire nequeunt, absolvi poterunt ab Ordinario cum obligatione, ut, si ad meliorem conditionem devenerint, Ecclesiae satisfaciant ac interim scandalum removeant.

Item qui statim nequeunt statutam compositionem solvere, si obligationem emittant de ea opportuno tempore solvenda, remoto interim scandalo.

12° Pecuniae vero summas ex compositione acceptas etiam tenues ipse Ordinarius, quam primum et quam tutissime possit, favore causarum piarum, ad quas de iure pertinent, in titulos liberos *(valori al portatore)*, quos viri competentes tutos agnoverint, investire et ad nutum s. Sedis conservare satagat, neque alienet sine eiusdem venia neque commutet, nisi urgeat necessitas et tempus non suppetat recurrendi ad s. Sedem.

Quod si supradictae summae pertineant ad causam piam alterius dioecesis, transmittendae erunt ad eiusdem Ordinarium.

Si eaedem pertineant ad religiosos, requiritur, ut eis tradi possint, venia s. Sedis in singulis casibus.

Quod si summae spectarent ad causam piam iam exstinctam vel ad ecclesiam, in qua divina officia amplius celebrari non valeant, Ordinarius ipsarum fructus impendat in bonum alterius causae piae, praesertim ecclesiarum, presbyterorum et clericorum pauperum, prout melius in Domino iudicaverit; celebratis tamen Missis et ceteris persolutis suffragiis si quae praefinita fuerint.

13° Circa fundos vero seu iura, quorum valor excedit triginta libellarum millia, recurrendum erit ad s. Sedem in singulis casibus.

14° Ordinarius moneat confessarios, ut, si ad poenitentes in periculo mortis constitutos et in praemissis culpabiles vocentur, prudenter compositionem urgeant: quod si haec obtineri nequeat vel quia tempus non suppetit vel ob alias rationabiles causas, satis erit, si aegrotus eam heredibus imponat, vel serio promittat, eam initurum, si convaluerit; remoto scandalo.

15° Ordinarius confessariis sibi benevisis, tempore quadragesimae vel sacrarum Missionum vel urgente Paschali praecepto, facultatem concedere poterit absolvendi eos, qui compositionem statim inire nequeant, dummodo iidem serio promittant, se intra duos menses ab accepta absolutione recursum habituros ad Ordinarium, pro obtinenda compositione, remoto interim scandalo.

Contrariis quibuscumque non obstantibus. 15. Apr. 1892.

Datum Romae in s. Poenitentiaria 15. Apr. 1892.

N. Averardius s. P. regens.

532. VII. Paulo post interrogata est s. Sedes ab Episcopo Conversanensi hoc pacto:

Beatissimo Padre, Il sottoscritto Vescovo di Conversano, per sicura norma di sua condotta, supplica la S. V. per la soluzione de'seguenti dubbi, riguardanti le facoltà *circa compositiones*.

1° Se nelle prefate facoltà vanno compresi, sotto il nome di legati

pii, che possono affrancarsi, quelle obbligazioni famigliari di Messe perpetue o di altre opere pie, che non vanno soggette alle leggi eversive d'Italia e ciò nel solo scopo di sgravare la famiglia di questi pesi, che forse dai successori non verrebbero adempiti.

2° Se le dette facoltà si estendono ancora per chi voglia acquistare, affrancare, vindicare etc. beni e diritti appartenenti ad enti conservati, come ai capitoli di Cattedrali, alle Mense Vescovili e Parrocchiali, Confraternite e simili, quando il Governo concede siffatta facoltà.

S. Poenitentiaria Ven. in Ch. P. Episcopo Conversan. circa proposita dubia respondit.

Ad 1^{m} comprehendi sub n. 8° facultatum circa compositiones.

Ad 2^{m} negative: sed ex nunc indulgeri.

Datum Romae in s. Poenitentiaria 11. Maii. 1892.

Cf. Opusculum Rev^{mi} Antistitis C. Gennari *Circa la composizione sui beni e sugli oneri ecclesiastici etc.* Napoli, Artigianelli, 1899.

INDEX SCRIPTORUM IN RE MORALI

QUI FREQUENTIUS CITARI SOLENT VEL USUI ESSE POSSUNT

Catalogum confecimus ex opere praecipue « *Nomenclator* », quod nuper edidit cl. P. H. Hurter, doctis omnibus catholicis viris carissimum nomen. Usi etiam identidem sumus catalogo exhibito a cl. Lehmkuhl in fine Theologiae Moralis. Signa quoque retinuimus, quae Ballerini ex p. Haringer usurpaverat in indice scriptorum praemisso editioni Guryanae. Itaque unus asteriscus * notat auctorem, cuius scientia laudatur, etiam qui gravis et classicus habetur: duobus asteriscis ** notatur auctor gravis probabilista: signo † doctor gravis probabiliorista: signo †* auctor rigidus.

A

*Abbas (Nicolaus de Tudeschis), Italus, Benedictinus, *Abbas* Monacensis, Archiepiscopus *Panormitanus*, quo alterutro nomine citatur. *Commentaria in libros decretalium — Consilia — Quaestiones — Practica.* Natus 1386. mortuus 1445.

**Abelly *Ludovicus* Gallus, episc. Segodunensis (Sodez), familiaris s. Vincentii a Paulo, cuius scripsit vitam. *Medulla Theologica* et alia plura theologica opera ac polemica. Acerrimus iansenianorum adversarius. Auctore s. Alphonso, est scriptor gravis in re morali. n. 1604. m. 1691.

**Adrianus VI. Batavus. In 4. sententiarum. m. 1523.

*Aegidius Romanus, ex ordine s. Augustini, doctor fundatissimus, discipulus s. Thomae eiusque doctrinae propugnator. m. 1316.

*Aertnys *Iosephus* Belga, Cong. ss. Red. recens scripsit *de Occasionariis et recidivis — de Usu matrimonii.* Tornaci 1883. tum *Theologiam Moralem*, cuius altera editio an. 1890. Paderbonae. Haec perspicuitate et solidate doctrinae iudiciorumque aequitate ac moderatione commendatur.

Aichner I. Germanus. *Compendium iuris canonici.* Brix. editio 1.ª 1862.

*Albertus M., Germanus, ord. s. Dominici, praeceptor s. Thomae. n. 1193. m. 1280.

*Albitius *Franc.* Italus, Card. *de Inconstantia in fide — de Inconstantia in iudiciis — de Iurisdictione cardinalium in suis titulis.* n. 1623 m. 1684.

*Alensis sive Alexander de Ales, Anglus, ord. s. Francisci, praeceptor s. Thomae, s. Bonaventurae, hinc dictus *doctor doctorum.* m. 1245.

*Allegre Gallus. canonicus, *le Code Civil* (francais) *commenté: Impedimentorum Matrim. Synopsis*, 1888. 1889. Prius opus, quod et alterum continet, egregium et theologo morali utilissimum, ne dicam necessarium. *Alia opuscula.*

**Alvarez *Didacus*, Hisp. Dominicanus, vir propter disputationes de gratia celeberrimus. *Disputationes theologicae in. 2. s. Thomae* aliaque opera theologica. In re morali non minima est eius auctoritas. m. 1635.

**Alvarez *Didacus*, Hisp. S. I. *Summa casuum conscientiae occurrentium in articulo mortis circa sacramenta*, m. 1608.

****Amici** *Franc.* Italus. S. I. docuit Neapoli, Aquileiae et Graecii (in Styria) theologiam. *Cursus Theologiae scholasticae.* m. 1651.

****Amort** *Eusebius,* Germanus, canonicus regularis. A s. Alphonso et Benedicto XIV. laudatur. Probabilismum defendit, sed in praxi severior est s. Alphonso. *Theologia eclectica moralis et scholastica — Ethica christiana — Dictionarium casuum conscientiae.* n. 1692. m. 1775.

Anacletus vide **Reiffenstuel.**

†**Andegavenses collationes** Notis auctae ab Em. Gousset prodierunt Parisiis 1829.

****Angelus** *Ioan* **de Clavasio,** ord. FF. minorum. *Summa angelica* m. 1495.

****Angles** *Ios.* Hisp., ord. s. Franc. *Flores theologicarum. qq. in 2. et 4. Sentent.* m. c. 1587.

Antoine *Paulus Gabriel,* S. I. auctor valde rigidae sententiae (Hom. apost. XVI. 108.). *Theologia moralis universa.* n. 1679. m. 1743.

Antonelli *Ios.,* Italus. *De conceptu impotentiae et sterilitatis* ecc. Frid. Pustet. Opus egregium.

****S. Antoninus** ord. FF. Praedicatorum, archiep. Florentinus. Inter alia opera exstat *Summa theologica.* Magna est eius auctoritas in re morali. n. 1389. m. 1459.

****Aravius** seu **de Arauxo** *Franc.,* Hisp. ord. s. Dominici, docuit 20. annos theologiam Salmanticae. *Commentaria in Summam s. Thomae — Variae et selectae decisiones morales ad statum ecclesiasticum et civilem pertinentes — Opuscula tripartita.* In odore sanctitatis m. 1664.

****Arendt** Guillelmus, Belga S. I. *Crisis Apologeticae de aequiprobabilismo Alphonsiano* ecc. Friburgi Brisgoviae 1897. Opus a doctissimis viris commendatum iisque omnibus necessarium, qui in hac materia prudenter versari velint. *De sacramentalibus — De coniugio clandestine inito* etc. Romae 1900. n. 1852.

Armilla vide *Fumus.*

****Aragonius** *Petrus,* Hisp. Ord. s. August. *Commentaria in 2. 2. s. Thomae.* m. 1595.

****Arriaga** *Rodericus* (de), Hisp. S. I. cancellarius universitatis Pragensis. *Disputationes theologicae in Summam s. Thomae.* n. 1592. m. 1669.

****Archdekin** *Richardus,* Hibernus. S. I. *Theologia tripartita universa.* m. 1693.

***Aureolus (Oriol)** *Petrus,* Gallus, Franciscanus. Card. Doctor facundus et elegans. Praeter Tractatum pro tuenda Immaculata Conceptione b. Virginis et alios Tractatus asceticos, reliquit *Compendium Theologiae — Compendiosa in universam s. Scripturam commentaria* et *Commentaria in libros Sententiarum.* m. 1345.

Avanzini *Petrus,* Italus. *de Const. Apost. Sedis commentarii.* Romae 1872.

****Aversa** *Raphael,* Italus, Cleric. reg. minorum. *Theologia scholastica universa — De ordinis et Matrimonii Sacramentis — De Poenitentiae sacramento — De Fide, Spe et Caritate* etc. n. 1589. m. 1657.

****Azor** *Ioan.* Hisp. S. I. linguarum peritia, ingenio et theologica scientia, vitae integritate animique candore perspicuus. *Institutiones morales.* In re morali auctoribus classicis accensendus. m. 1603.

B

****Babenstuber** *Ludovicus,* Germanus, ord. s. Benedicti. *Regula morum seu dictamen conscientiae — De iure et iustitia. Principia, bonitas et malitia actuum humanorum — Cursus theologiae moralis* seu *Ethica supernaturalis,* conflata ex praecedentibus: alia opera. n. 1660. m. 1726.

****Baldelli** *Nicolaus,* Italus. S. I. poenitentiarius in basilica Vaticana. *Disputationes ex Theologia morali.* n. 1572. m. 1655.

†**Ballerini** *Petrus,* n. 1690. et

†**Ballerini** *Hieronymus* eius frater. n. 1702. Veronenses. Ambo m. 1764. Scripsit Petrus *Saggio della storia del probabilismo nella descrizione del cangiamento di sei insigni probabilisti in probabilioristi* et alia opuscula adversus Segneri. *De iure divino et naturali circa usuras.* Dicuntur a s. Alphonso rigidae sententiae moderatae sectatores.

****Bancel** *Ludovicus,* Gallus, dominicanus. *Brevis universae theologiae moralis et scholasticae cursus. Moralis s. Thomae* quae est retractatio et ampliatio operis Fr. Ghezzi (v. sub hoc nom.). m. 1685.

****Bañez** *Dominicus,* Hisp. dominicanus. Plurimum in opere reformationis adiuvit s. Teresiam. Physicae praedeterminationis inventor. *Commentarii in s. Thomam.* n. 1527. m. 1604.

****Barbosa** *Augustinus,* Lusitanus, celeberrimus Canonista. Plurima scripsit, inter quae *De Officio Episcopi — De Officio Parochi — Variae iuris tractationes* etc. n. 1590. m. 1649.

****Bardi** *Franc.* Siculus. S. I. *Quaestiones selectae ex univ. mor. Theologia.* n. 1583. m. 1661.

†***Baron** *Vincentius,* Gallus, Dominicanus. *Theologia moralis duabus partibus comprehensa:* hoc opus, utpote nimis rigidum et conviciis plenum, in Indicem est relatum. n. 1604. m. 1674.

Bartolomaeus a s. Fausto, Siculus, ord. Cisterc. *Theologia moralis.* n. 1571. m. 1636.

****Bassaeus** *Eligius,* Belga, Cappuccinus. *Flores totius Theologiae practicae* fl. cir. 1653.

****Baumgartner** *Reinhardus,* Germanus S. I. *Conclusiones ex 5. libris decretalium.* Romae 1759.

Bauny *Stephanus,* Gallus, S. I. *Summa casuum conscientiae.* Alia eius opera in Indicem sunt relata. Ad hunc auctorem in primis provocant Paschal, Nicole aliique, qui doctrinam S. I. laxitatis accusant. m. 1649.

****Beati** *Gabriel,* Italus. S. I. *Quaestiones morales.* n. 1607. m. 1673.

***Becanus (van den Beeck)** *Martinus,* Belga, S. I. *Summa Teologiae scholasticae* et plurima polemica. Doctor est egregius, profunditatem et claritatem una cum brevitate coniungens. n. 1561. (iuxta alios 1559.). m. 1624.

Beia *Ludovicus,* Lusitanus, Augustinianus. *Responsa casuum conscientiae,* edita Bononiae, ubi docebat, a. 1587.

****Benaglio** *Ioseph,* Italus. *Dell'Attrizione* 1846. Dignissimus qui legatur.

***Benger** *Mich.* Germanus, Cong. ss. Redempt. *Pastoraltheologie,* opus in pretio habitum a Germanis.

Berardi *Carolus Sebastianus,* Italus. *Commentaria in Ius ecclesiasticum universum.* Tom. 2°. — *Gratiani Canones.* Tomi 4. n. 1719. m. 1768. Vir sagacissimi iudicii.

****Berardi** *Aemilius,* Italus. *De recidivis et occasionariis et de praxi confessariorum.* Vol. duplex. Faventiae ed. 2. 1877. alia.

***Bernal** *August.,* Hisp. S. I. vir eximiae eruditionis et doctrinae, In re morali reliquit *De Sacramentis in genere et de Eucharistia et Ordine in particulari.* m. 1642.

****Berteaut** *Bartol.* Doctor parisiensis. *Regula prudentis et pii confessarii.* fl. c. 1637.

†***Berti** *Laurentius,* Italus, Augustin. *De Theologicis disciplinis.* n. 1696. m. 1766.

Beusch *Gul.* Helvetius, S. I. *Tractatus canonico-legalis de pactis et con-*

tractibus in genere etiamnum in pretio habitus. m. 1743.

Bevilacqua *Americus*, Italus. *Trattato dommatico, giuridico e morale sul matrimonio cristiano.* Romae 1900.

*__Biel__ *Gabriel*, Germanus, cler. reg. *Commentarii in ll. Sentent.* m. 1495.

Biesmann *Casp.*, Germanus, S. I. *Doctrina moralis in brevissimum compendium redacta:* alia opuscula moralia. m. 1700.

†**Billuart** *Carolus*, Belga, ord. FF. Praedic. *Commentarii in Summ. s. Thomae.* n. 1685. m. 1757.

Binsfeld *Petrus*, Germanus. *De Simonia — Tractatus de confessionibus maleficarum* et *sagarum an et quando iis sit habenda fides — Enchiridion theologiae pastoralis — De usuris* etc. m. 1598.

Bisso *Bernardus*, Italus, Benedictinus. Scripsit ex academia Cassinensi contra Tyrsum Gonzalez *Crisis de probabilitate*, opus sub nomine Nicolai Mariae Monza editum Genuae 1694., quod prohibitum fuit. *Decas ad moralem scientiam* etc. m. 1716.

†*__Bianchi__ *Andreas*, Italus, S. I. tutioris sententiae sectator. Sub. nomine Candidi Philalethi edidit opus: *De opinionum praxi*, cum tribus apologiis. m. 1657.

**__Bianchi (de)__ *Paulus*, Italus, ord. s. Dominici. Collegit casus conscientiae sub titulo: *Disceptationes de difficilioribus materiis* etc. Venetiis 1622.

**__Bonacina__ *Martinus*, Italus, Episcopus et nuntius Urbani VIII. ad aulam Austriacam designatus. *Opera moralia* 3. Tomis in f. comprehensa. In re morali auctor est classicus. m. 1631.

__Bonaespei__ (alias dictus **Crespin) *Fr.* Belga, Carmelita. *Commentarii tres in universam Theologiam scholasticam — De Probabilismo.* n. 1617. m. 1677.

Bonagratia Habsensis, Germanus, ord. Cappucc. *Elucidationes quarumdam qq. de Sacramentis — Disceptatio de matrimonio haereticorum.* m. 1672.

Bonartius (Boonaerts) *Oliverius*, Belga, S. I. *De Institutione, obligatione et religione horarum canonicarum.* n. 1570. m. 1655.

S. Bonaventura, ord. minor. Cardinalis, Doctor Seraphicus. *Commentarii in ll. Sentent.* aliaque plura moralia et ascetica. n. 1221. m. 1274.

**__Bordoni__ *Franc.* Italus, ord. s. Franc. *Propugnaculum opinionis probabilis in concursu probabilioris — Controversiae morales — De professione regulari — Opera iuridico-regularia et moralia tomis* 5. *comprehensa — Decisiones miscellaneae* 500. *dubiorum*, alia opera. Vir apprime doctus. m. 1671.

**__Bosco__ *Ioannes*, Belga, ord. Minor. Recoll. *Theologia Sacramentalis* ad mentem doctoris subtilis Ioann. Duns Scoti, s. Augustino conformem. — *Theologia spiritualis scholastica et moralis.* Communi ellogio dictus *theologus profundissimus.* n. 1613. m. 1684.

**__Bossio__ *Ioann.* Italus, Barnabita. *De effectibus contractus matrimonii — De nuptiis sine parentum consensu non contrahendis — De patria potestate — De triplici iubilaei privilegio — Disceptationes morales de iurisdictione episcoporum — De scrupulis* etc. m. 1665.

Boudewyns *Michael*, Belga. Scripsit opus perutile *Ventilabrum medico-theologicum.* Antuerpiae 1666.

Bouix D., Gallus. *Institutiones iuris Canonici*, pluribus tractatibus specialibus contentae. Praestant amplitudine rerum et certa doctrina.

Bouquillon *Thomas*, professor Insulensis. *Institutiones Theol. Mor. generalis.* Brugies 1873. — *De virtutibus theo-*

logicis, ibid. 1875. — *De virtute religionis*, ibid. 1881. Deinceps quaedam in America scripsit catholicis viris haud probata.

****Bouvier** *Ioann. Bapt.* Gallus, episcopus Cenomanensis. *Institutiones theologicae in usum Seminariorum.* m. 1855.

****Bresserus** *Martinus*, Belga, S. I. *De Conscientia Libri 6. ad omnigenas conscientias dirigendas idonei.* m. 1635.

****Bucceroni** *Ianuarius* Italus, S. I. *De Constitutione Benedicti XIV.* Sacramentum Poenitentiae. Lovanii 1884. — *De Censuris in genere et in specie.* Romae 1885. = De Constitutione *Apostolicae Sedis.* Romae 1886. — *Enchiridion morale.* Romae 1887. — *Institutiones Theologiae Moralis.* 1899. alia.

***Buck (de)** *Victor*, Belga, Bollandianus, S. I. *De sollemnitate votorum praecipue paupertatis religiosae.* Bruxellis 1862.

Burghaber *Adamus*, Bavarus. S. I. *Theologia polemica — Tres centuriae casuum conscientiae.* n. 1608. m. 1687.

****Busembaum** *Hermannus*, Germanus, S. I. *Medulla Theologiae Moralis;* quae nacta est commentatores La Croix et s. Alphonsum; quibus nunc se adiungit P. Ballerini. Intra paucos annos (1650-1675.) recusae sunt huius *Medullae* editiones 45., et usque ad annum 1776. erant ultra 200. n. 1609. m. 1668.

C

†Cabassutius *Ioan.* Gallus, Congr. Orat. *Theoria et praxis iuris canonici*, ubi de iure agitur spectante ad forum tam sacramentale, quam contentiosum sive ecclesiasticum sive seculare. n. 1604. m. 1685.

***Caietanus** (Thomas **de Vio**) ord. s. Dominici, Cardinalis. *Commentarii in Summam s. Thomae — Summula casuum*, pluraque opuscula praeter *Commentarios s. Scripturae.* Vir in re morali alienus a rigore.

†*Camargo *Ignatius* **(de)**, Hisp. S. I. Secutus Elizaldum, sententiam rigidam absolute defendit in opere *Regula honestatis moralis* atque acerrimis conviciis probabilismum impugnavit. n. 1650. m. 1722.

****Candido** *Vincentius*, Siculus, ord. FF. Praedic. *Illustriores disquisitiones morales*, quibus omnes conscientiae casus maxime practicabiles explicantur. n. 1573. m. 1654.

Cangiamila *Franc. Emmanuel* Italus. *Embryologia sacra.* Panormi 1758. Praeclarum opus. n. 1701. m. 1763.

***Canus** *Melchior*, Hisp. Dominicanus. Theologus clarissimus. *Loci communes theologici — Relectio de Poenitentia — De Sacramentis.* n. 1523. m. 1566.

Capellmann *Carolus*, Germanus. *Pastoral-Medicin*, ed. 6ª. Aachen 1887. Opus in primis utile.

***Capreolus** *Ioann.* Gallus, Dominicanus, *Commentarii in libr. Sentent.* m. 1415.

Caramuel (de Lobkowicz) *Ioann.* Hisp. Cisterciensis, episcopus Vigevanensis in Italia. S. Alphonsus cum vocat principem laxistarum. Eius esse dicuntur propp. 24. 25. ab Alexandro VII. propp. 40. 49, ab Innocentio XI. damnatae. Affirmavit quod « non inde Ecclesia infelix, quod doctores opinantur passim, sed inde felicior, quod facilius et benignius suos possit ad lauream empyricam promovere. Si iam sunt probabiles opiniones, quae antea non erant, iam non peccant homines, cum antea peccarent, cum probabile omne a peccato excuset ». *Theologia moralis, fundamentalis, decalogica, canonica, civilis, praeterintentio-*

nalis, sacramentalis, regularis, militaris et plurima alia, ut volumina 77. in f. compleverit. Vir fuit eruditissimus, portentoso sane ingenio sed impari iudicio, nedum scriptis, sed et laboribus pro animarum salute exantlatis clarus. n. 1606. m. 1682.

**Cardenas (de) *Ioan.* Hisp. S. I. *Crisis theologica bipartita,* h. e. disputationes selectae ex theologia morali et alia *Crisis theologica,* in qua plures selectae difficultates ex theologia morali ad lydium veritatis lapidem revocantur. E sententia s. Alph. auctor est classicus. m. 1684.

*S. Carolus Borromaeus, Italus. Cardinalis et Archiepiscopus Mediol. *Instructiones Pastorum — Monitiones ad clerum* et plura *Concilia provincialia.* In re morali et disciplina christiana, doctor omnibus probatissimus. n. 1538. m. 1584.

†Carrière *Iosephus,* Gallus, Cong. s. Sulpitii. *Praelectiones theologicae maiores, de contractibus, de matrimonio.*

**Castropalaus (Palaus) *Ferdinandus,* Hisp. S. I. *Opus morale de virtutibus et vitiis contrariis* in varios tractatus et dispositiones theologicas distributum. A s. Alphonso auctoribus classicis adnumeratur. m. 1633.

**Catalano *Petrus,* Siculus, S. I. *Corpus universi iuris theologico-moralis.* n. 1654. m. 1732.

Chapeauville *Ioan.* Belga, archidiaconus Leodiensis. *Tractatus de casibus reservatis — Elucidatio scholastica Catechismi romani — Summa Catechismi romani — Tractatus de necessitate et modo ministrandi sacramenta tempore pestis* etc. n. 1551. m. 1617.

Chokier (seu de Surlet Chokier) *Erasmus,* Belga, *De iurisdictione Ordinarii in exemptos et horum ab Ordinario exemptione* m. 1625.

Clericato *Ioan.* Italus, Congr. Orat. *Decisiones sacramentales — Discordiae forenses.* Vir vere doctus et pius, cuius auctoritate in decidendis dubiis utuntur congregationes romanae. n. 1633. m. 1717.

Cocy *Florentinus* (de), Belga, ord. Praemonst. *Principia totius theologiae moralis — De iure et iustitia et annexis.* m. 1691.

†Collet *Petrus,* Gallus. Continuator Tournely. S. Alphonsus eum auctoribus classicis accenset, notat tamen eundem in severas sententias generatim deflectere. n. 1697. m. 1770.

**Comitolus (Contini) *Paulus,* Italus, S. I. Osoribus probabilismi adnumeratus est; sed minus recte; qua de re lege quae in tract. *de Conscientia* sub Probabil. data occasione disputat P. Ballerini. *Consilia seu responsa moralia.* n. 1545. m. 1626.

†*Concina *Daniel,* Italus, Dominicanus. *Theologia christiana dogmatico-moralis* et alia plurima moralia vel ad ecclesiasticam disciplinam spectantia; scriptor enim fuit feracissimus, sed una rigidissimus, teste s. Alphonso. n. 1686. m. 1756.

**Coninck *Aegidius,* Belga, S. I. Lessii non impar discipulus. *Commentarii et disputationes in universam doctrinam s. Thomae de Sacramentis et Censuris — De Moralitate, natura et affectibus actuum supernaturalium in genere et de fide, spe ac caritate speciatim — De absolutione moribundi sensibus destituti,* alia. n. 1571. m. 1633.

Constantini *Victorius,* Italus. *Institutiones Theologiae moralis.* Viterbii 1896. ed. 2ª.

†*Contenson *Vincentius,* Gallus, Dominicanus. *Theologia mentis et cordis.* Auctorem rigidissimum vocat s. Alphonsus. n. 1641. m. 1674.

Coriolano (a) *Franciscus,* Italus, Cappucc. *Summa Theologiae — Summa*

Conciliorum omnium — Explicatio in bullam Coenae et absolutionem a casibus dictae bullae, alia. n. 1562. m. 1625.

Corradi *Phyrrus,* Italus, Canonicus Neapolitanus. *Praxis dispensationum Apostolicarum.* Accuratum opus et maximae utilitatis. — *Praxis beneficiaria.* fl. c. 1656.

Cosci *Christophorus,* Italus. *De Separatione tori coniugalis* libri 4. Romae 1773. Opus in primis utile.

Coton *Antonius,* Nicosiensis, tertii ord. s. Franc. *Controversiarum celebrium ad statum et mores christianae reipublicae pertinentium libri* 10. Opus sat rarum. In compendium quoque redigit (quod et ab aliis factum) Resolutiones Diana. n. 1613. m. 1682.

*__Covarruvias (de)__ *Didacus,* Hisp. discipulus Martini Navarri, insignis iurisconsultus, qui magistrum doctrina, etsi non fama, superasse dicitur. Opera eius in duos divisa tomos ad ius pontificium maxima ex parte referuntur. n. 1512. m. 1577.

**__Croix (la)__ *Claudius,* Belga, S. I. *Theologia moralis in Busembaum.* Auctor s. Alphonso probatus. n. 1652. m. 1714.

Cruz (de la) *Ioann.* Hisp. Dominicanus. *Directorium conscientiae.* Matriti 1624.

†**Cuniliati** *Fulgentius,* Italus, ord. s. Dominici. *Universae Thologiae Moralis accurata complexio.* n. 1685. m. 1759.

D

*__D'Annibale__ *Iosephus,* Italus, Cardinalis. *Commentarius in Const.* Apostolicae Sedis 1880. — *Summulae Theologiae Moralis,* editio 3ª, 1888-1892. Opus novum, succo plenum, canonica et legali eruditione contextum. m. 1892.

Debreyne *Gallus,* Trappensis. *La Theologie Morale et le sciences medicales.* 6ª ed. entierement refóndue par le D.r A. Ferrand. Paris 1884. Opus perutile.

*__De Giusti__ *Vincentius.* Italus. *De dispensationibus matrimonialibus.* Venetiis 1739. Opus olim classicum.

De Herdt *P. I. B.* Belga, *Praxis Capitularis. — Ceremoniale Episcoporum* Tomi 3. *Sacrae Liturgiae praxis* Tomi 3. *Praxis liturgica Ritualis Romani.* Lovanii 1873-1895.

**__Delama__ *Dyonisius,* Tridentinus. *De Iustitia et Iure, ratione habita ad codicem civilem austriacum concinnatus,* edit. 3ª. Trident. 1889.

**__Delbene__ *Thomas,* Italus, Cler. reg. theat. *Summa theologica — Tractatus morales,* ubi agit in primis de conscientia, de radicibus restitutionis, de officio s. Inquis. circa haeresim — *De Immunitate et Iurisdictione ecclesiastica,* alia. m. 1673.

Delrio *Martinus Antonius,* Belga, S. I. Literatissimus vir fuit et ingeniosissimus: a celebri Lipsio aevi sui miraculum dictus. Praeter alia plurima opera tum ante tum post ingressum in Societatem edita, celebre est *Disquisitiones magicae:* opus vana quidem, etiam fabulosa continens, sed et multa praeclara atque utilia nostrae quoque aetati, n. 1551. m. 1608.

De Varceno *Gabriel,* Italus, ex ordine Cappucinorum. *Compendium theologiae noralis.* Augustae Taur. ed. 2ª. 1872. sectatorem se dicit *aequiprobabilismi,* licet illum non bene tueatur.

Del Vecchio *Ioann.* Ant. Italus. In compendium redegit Theologiam moralem Scavini. Mediolani 1880.

Diana *Antoninus,* Siculus, Cler. reg. theat. Vir scientia et eruditione perinsignis. Auctor s. Alphonso nimis benignus. A. nota tamen laxitatis studuit eum vindicare Franc. Antonius Zacharia. Reliquit *Resolutiones morales,* quas in ordinem digestas edi curavit Martinus

de Alcolea Chartus. sub hoc titulo: *Antoninus Diana coordinatus.* n. 1585. m. 1663.

Dicastillo *Ioann.* Hispanus, S. I. Vir pius et doctus. *De Sacramentis — De iuramento, periurio et adiuratione nec non de censuris et poenis ecclesiasticis — De iustitia et iure ceterisque virtutibus cardinalibus.* m. 1653.

Dionysius Chartus, Belga. *Commentarii in ll. Sentent. — De doctrina et regulis vitae christianae.* n. 1402. m. 1471. Plurima scripsit, quorum, nova editio nunc paratur.

Duarte *Didacus,* Italus, ord. s. Franc. *Brevis expositio propositionum damnaturum a Sede Apostolica.* fl. c. 1700,

Duhamel *Ioann.* Bapt. Gallus. Praeter. philosophica et scripturistica, *Theologia speculatrix et practica,* n. 1624. m. 1706.

Durandus a s. Portiano, Dominicanus. Magister s. Palatii et Episcopus Meldensis. Doctor resolutissimus. *In ll. Sentent. — de Iurisdictione ecclesiastica.* m. 1331.

Du Vallius (du Val) *Andreas,* Gallus, doctor Sorbonicus. *Commentarii in Summam s. Thomae — De suprema R. P. in Ecclesiam potestate.* Richerium porro egregie confutavit libro: *Elenchus libelli de ecclesiastica et politica potestate pro suprema R. P. in Ecclesiam auctoritate.* n. 1564. m. 1638.

E

†**Ehrentreich** *Adamus,* Bavarus S. I. *Reprobatio lydii lapidis:* quae est confutatio defensionis, quam quis ediderat Probabilismi. m. 1708.

Elbel *Beniaminus,* Germanus, ord. s. Franc. *Theologia moralis, decalogalis et sacramentalis per modum Conferentiarum.* ed. recens 2ª Paderbonae 1894.-95. In re morali auctor est gravis. m. 1756.

†**Elizalde (de)** *Michael.* Hisp. S. I. Praeter alia scripsit sub ficto nomine *Antonius Celladeus* atque insciis superioribus librum, *Recta doctrina morum,* quo praevalentem probabilismum convellere nititur. Laudatur tanquam vir summe scholasticus et profundo ingenio. m. 1678.

Engel *Ludovicus,* Germanus, ord. s. Benedicti. *Collegium universi iuris canonici — Manuale Parochorum,* alia. m. 1674.

Eschbach *Alphonsus,* e Congr. s. Spiritus et Imm. Cordis M. *La Confession par téléphone.* Turnai 1888. *L'Embriotomie* etc. Romae 1880. *Disputationes physiologico-theologicae.* Parisiis 1884.

Escobar y Mendoza (de) *Antonius,* Hisp. S. I. *Universae Theologiae Moralis receptiores absque lite sententiae* 7. Tomis comprehensae — *Liber Theologiae Moralis* 24. *S. I. doctoribus reservatus,* etc.; qui est compendium seu Manuale Theologiae Moralis. Ad hunc auctorem potissimum provocant, qui doctrinam S. I. laxam traducunt, sed textibus mutilatis, a contextu avulsis et violenter detortis. n. 1588. m. 1669.

Esparza *Martinus,* Hisp. S. I. *Cursus theologicus,* secundum Summam s. Tomae. *De usu licito opinionis probabilis.* n. 1606. m. 1676.

Estrix *Aegidius,* Belga, S. I. *Dissertatio historico-theologica pro mente Concilii Trid. de vi attritionis sine amore amicitiae in Sacram. comprobata — Dilucidatio communis doctrinae theologorum de fide imperfecta quorundam rudium hominum,* quod opus Indicem locupletavit: alia. n. 1624. m. 1694.

F

†*Fagnanus *Prosper*, Italus, multos annos S. Cong. Concilii secretarius. Auctorum rigidorum, iuxta s. Alph. facile princeps. Coecus dictavit *commentaria in 5. libros decretalium*, vere absolutissima. Iis inseruit opusculum *De opinione probabili*. n. 1587. m. 1678.

**Fagundez *Stephanus*, Lusitanus, S. I. *In praecepta decalogi et Ecclesiae — Informatio pro opinione esus ovorum et lacticiniorum tempore quadragesimae — De iustitia et contractibus et de acquisitione et translatione dominii*. n. 1577. m. 1645.

Feije *H. I.* Belga, professor Lovaniensis. *De impedimentis et dispensationibus matrimonii*, ed. 3ª. Lovanii 1885.

**Ferraris *Lucius*, Italus, ord. Minorum. *Prompta bibliotheca, iuridica, canonica, moralis* etc. quae ab aliis quoque deinde locupletata additionibus fuit. Eam edidit et Migne Parisiis 1860. Tom. 8. fl. c. 1760.

**Filliucci *Lucius*, Italus, S. I. professor in Collegio Romano. *Morales qq. de christianis officiis et casibus conscientiae, ad formam cursus, qui praelegi solet in Collegio Romano — De statu clericorum Tractatus quinque*. Ex his confecit ipse Synopsin *Universae Theologiae Moralis*, addita brevi *Instructione confessariorum*. In re morali gravibus auctoribus accensetur. n. 1556. m. 1622.

Filippini *Chrys.* Italus, Theatinus. *De Privilegiis ignorantiae* (234. enumerantur). Mantuae 1688.

**S. Franciscus Sales, Sabaudus Episc. Geneb. Ecclesiae Doctor. *Philothea — Tractatus de Amore divino — Monita ad Confessarios*, alia plura. n. 1568. m. 1622.

**Francolini *Balthasar*, Italus, S. I. *Clericus Romanus — De dolore ad Sacr. Poenit. requisito* alia. n. 1650. m. 1709.

†*Franzoia *Angelus*, Italus, rigidior, ait s. Alph., Patre Concina. Edidit: *Theologia morum ab H. Busembaum primum tradita, tum a Claudio La Croix et Fr. Ant. Zacharia aucta, nunc demum ab Ang. Franzoia Patavino ad trutinam revocata*. Ubique Hermannum reprehendit, ex aliis duobus ea tantum refert quae mordere possit. m. 1760.

**Frassinetti. *Ios.* Italus. *Compendio della Teologia morale di s. Alfonso: in* 3.ª *edit. Genova* 1867. ea expunxit, quae in prioribus nimis erant benigna. — *Manuale pratico pel Parroco novello*. m. 1868.

Fridericus a Iesu, Germanus, ord. Carmeli. Ex operibus Benedicti XIV. et casibus conscientiae sub eiusdem auspicio habitis collegit *Universam Theologiam moralem tripartitam*. n. 1721. m. 1788.

**Fumus *Bart.* Italus, ord. FF. Praedic. Scripsit Summam doctrinae moralis, quae vocatur *Armilla*. m. 1545.

G

**Gallo *Thomas*, Italus, S. I. *Suppetiae Missionariorum*. Romae 1872.

Gamachaeus *Philippus*, Gallus, doctor Sorbonicus. *Commentarius in Summam S. Thomae*, habitus in non levi pretio. Auctoritas eius gravis esse dicitur in qq. moralibus; sibi tamen non satis consuluit, acer procedens Richerii patronus. n. 1568. m. 1625.

Gandavensis *Henricus*, doct. Sollemnis. n. 1219. m. 1295.

Garcias *Nicolaus*, Hisp. professor utriusque iuris. *De Beneficiis*, tractatus utilis in primis et plenus, editus Caesaraugustae 1609. alibi.

Gasparri *Petrus*, Italus. *Tractatus Canonicus de Matrimonio*. Paris 1891. *De ss. Eucharistia*. Paris 1897. *De*

Sacra ordinatione. Paris 1893. Opera valde utilia et praeclara.

Gattico *Ioann. Bapt.* Italus, Can. reg. lat. *De Oratoriis domesticis:* opus doctum et eruditum. n. 1704. m. 1851.

Gavanti *Bartol.* Italus, Barnabita. *Thesaurus ss. Rituum seu commentaria in rubricas Missalis et Breviarii romani.* m. 1638.

†***Genet** *Franc.* Gallus, episc. Vasionensis. *Theologia moralis* seu resolutio casuum conscientiae secundum Scripturas, Canones et ss. Patres. n. 1640. m. 1702.

Genicot *Edwardus,* Belga S. I. *Theologia moralis,* Lovanii 1896.

Gennari *E.* Episcopus et Assessor s. O. *La Costitutione* Officiorum — *Circa la composizione sui beni e sugli oneri ecclesiastici — Sulla comunione frequente* 1898-1908. Auctor est Periodici Monitore ecclesiastico.

Gerson *Ioan.* Cancellarius Parisiensis. Plura reliquit dogmatica, canonica, moralia. n. 1363. m. 1429.

Ghezzi *Franc.* Italus, ord. s. Dominici. *Thesaurus animae ex morali Theologia ad sensum s. Thomae explicata collectus.* Mediolani 1639. — *Summa Theologiae moralis doctoris angelici s. Thomae ex omnibus eius operibus deprompta, alphabetico ordine digesta.* Placentiae 1628. Hanc retractavit et auxit Bancel.

Ghezzi *Nicolaus,* Italus. S. I. *Saggio di supplementi teologici, morali, critici, di cui abbisogna la storia del Probabilismo e del Rigorismo — Riflessione sull' esame theologico* (Concinae). n. 1680. m. 1766.

Gibert *Ioann. Petrus,* Gallus, *Corpus iuris canonici — Tradition ou Histoire de l'Eglise sur le sacrament du mariage — De doctrina Canonum corpore iuris inclusorum circa requisitum ad filiorum matrimonia parentum consensum.* Gallicanismum sapit, alia. n. 1660. m. 1736.

Giovine *Petrus,* Italus. *De dispensationibus matrimonialib.* Neapoli 1863. Opus eximium.

Giribaldi *Silvester,* Italus, Barnabita. *Universa Theologia Moralis.* Venetiis 1735.

†**Gisbert** *Ioann.* Gallus, S. I. *Antiprobabilismus* h. e. Tractatus theologicus fidelem totius probabilismi stateram continens, in quo ex rationibus divinis accurate examinatur seu veritas seu falsitas cuiuscumque probabilismi in materia morali. — *Scientia religionis universa.* n. 1639. m. 1710.

Gobat *Georgius,* Germanus, S. I. Docuit Theologiam moralem annos 20.: quocirca in hac scientia auctor est multum eruditus et praxim callens: sed satis benignus fuit, ita ut nonnullas propositiones docuerit, quae postea damnatae sunt. Quapropter Seves episc. atrebatensis censuram adversus eius opera tulit 17. Aug. 1703. Nihilominus plures vindiciae pro G. Gobat prodierunt: inter eas eminent, quas edidit Rassler S. I. (v. sub h. v.). Multus fuit in tractatibus conscribendis alphabetica methodo: quos tractatus deinceps excepto *Alphabeto quadruplici*: in quo agit de *voto, iuramento, blasphemia, superstitione,* compegit in unum opus *Experientiae theologiae* duobus tomis comprehensum: quorum prior rursus recusus ab ipso auctore fuit sub titulo: *Opera moralia omnia.* n. 1600. m. 1679.

†***Gonet** *Ioann. Bapt.* Gallus, Dominicanus. Impugnavit Probabilismum in *Dissertatione theologica ad Tractatum de Moralitate.* Edidit et *Clypeum Theologiae Thomisticae,* n. 1616. m. 1681.

Gonzalez Tellez *Emmanuel,* Hispanus. *Commentaria perpetua in singulos textus 5. ll. Decretalium.* Lugduni 1673. Ea maximo in pretio habentur.

†**Gonzalez** *Thyrsus,* Hisp. Praepositus Generalis, S. I. Scripsit opera apolo-

getica *De veritate religionis christianae — De infallibilitate R. P.* etc. Huc facit *Tractatus theologicus de recto usu opinionum probabilium* pro tuendo Probabiliorismo, quem Generalis edidit, nequicquam invita Societate, in quo quaedam nimis rigida, auctore s. Alphonso, continentur. m. 1705.

Gordon *Iacobus*, Scotus, S. I. confessarius Ludovici XIII. *Theologia moralis universa.* n. 1553. m. 1641.

*Gotti *Vincentius*, Italus, Dominicanus, Cardinalis et Patriarcha Hierosolym. Plura opera polemica scripsit, praeter *Theologiam scholastico-dogmaticam.* n. 1664. m. 1742.

Gousset *Th.* Card. et Archiep. Rhemensis. *Theologie morale à l'usage des curés et des confesseurs.* Opus saepe recusum et in alias linguas translatum. m. 1867.

Graffius (de Graffi) *Iacobus*, Italus, Abbas Cassinensis. *Decisiones aureae casuum conscientiae.* Vir fuit magnae existimationis. n. 1548. m. 1620.

Gratianus, Italus, Benedictinus. Compilator *Decreti* seu primae partis iuris canonici sub titulo: *Concordantia discordantium Canonum:* ubi certis propositis quaestionibus, quid in utramque partem dici posset ex canonibus qui inter se nonnunquam pugnare videbantur, ipse affert et solvere nititur. Scripsit seu absolvit hoc opus Gratianus Bononiae in monasterio s. Felicis anno 1151.

Gravina *Ioseph. Maria*, Italus. S. I. *Tractatus apologeticus de Probabilismo.* Panormi 1757.

Gregorius Ariminensis, Augustinianus, doctor excellentissimus. *Commentarii in ll. Sentent.* et *de Usuris.* m. 1358.

Gury *Ioann. Petrus*, Gallus. S. I. *Compendium theologiae Moralis:* opus saepe recusum et auctum atque Scholarum usu probatum. *Casus conscientiae* duobus tomis comprehensi n. 1801. m. 1866. Nova editio parata est in Hispania Barcinonae 1895.

H

Haunold *Cristoph.* Bavarus, S. I. Inter eius opera exstant 4. *Tomi Controversiarum de Iustitia et Iure.* n. 1604. m. 1688.

Heiner *Franc.* Germanus. Scripsit germanice *De Censuris ecclesiasticis* h. e. explicationem Constit. *Apostolicae Sedis.* Paderbonae 1884.

†*Henno *Franc.* Belga, ord. s. Franc. *Theologia dogmatica moralis et scholastica.* Duaci 1713.

†*Henricus a s. Ignatio, Belga, Carmelita. *Ethica amoris*, opus damnatum. n. 1630. m. 1719.

Henriquez *Henricus*, Lusitanus, S. I. Huius discipulus fuit eximius Suarez. Multum ei defert s. Alph. in re morali. *Summa Theologiae moralis.* n. 1536. m. 1608.

Herinckx *Guillelmus*, Belga, Franciscanus. *Universa Theologia ad mentem ss. Augustini et Thomae.* m. 1678.

Holzmann *Apollonius*, Germanus. *In 2. 2. s. Thomae de iure et iustitia.* fl. c. 1700.

Hostiensis *Henricus*, de Segusia, episcopus (Hostiensis unde nomen), Card. Doctor celeberrimus utriusque iuris. *Aurea Summa.* m. 1271.

Hurtadus *Caspar*, Hisp. S. I. *De Sacramentis, De Censuris — De Fide, Spe et Caritate — De iustitia et iure.* n. 1575. m. 1646.

Hurtadus *Petrus* **de Mendoza**, Hisp. S. I. *De Fide, Spe, Caritate.* alia. n. 1578. m. 1651.

Hurtadus *Thomas*, Hisp. Cler. reg. min. *Tractatus varii Resolutionum moralium — De residentia sacra.* n. 1589. m. 1659.

I

****Ildephonsus** *Ioann. Bapt.* Hisp. Dominicanus. *In* 1. 2. *s. Thomae*, opus editum ex praecepto Capituli generalis Ordinis. m. 1639.

Ilger *Prosper*, Germanus, Benedictinus, *De restitutione fructuum et Poenitentiae sacramento valido et informi.* n. 1797. m. 1753.

Illsung *Iacobus*, Germanus, S. I. *Arbor scientiae boni et mali* seu *Theologia practica universa.* Plures disputationes *de iustitia et iure.* m. 1695.

****Ioannes a s. Thoma,** Lusitanus, ord. s. Dominici *Theologia seu Commentarii in universam fere Summam s. Thomae.* n. 1589. m. 1644.

Iosephus Calasantius a Llevaneras (Vives y Tuto) Hispanus, ex ordine Cappucinorum Card. *Compendium theologiae Moralis b. Mariae V. dicatum*, ed. 6ª. Ratisbonae 1899.

Iosephus a Matre Dei, Hispanus, Carmel. *Praelectiones in universam Theologiam Moralem.* fl. c. 1790.

†***Iuenin** *Caspar*, Gallus, Cong. Orat. Vir doctus, sed iansenianis erroribus addictus. *Institutiones theologicae*, opus damnatum. *De sacramentis in genere et in specie — Dissertationes De Censuris, irregularitatibus et indulgentiis.* m. 1707.

K

Katzenberger *Kilianus*, Germanus, ord. s. Franc. *Recollectiones super theologiam Patritii Sporer. Supplementum conferentiarum theologiae moral. Elisaei Sargar.* fl. c. 1729.

Kenrick *Franc.* Archiep. Baltim. in America, *Theologia dogmatica — Theologia moralis.* m. 1863.

Konings *A.*, Germanus. Congr. ss. Redempt. *Theologia s. Alphonsi in compendium redacta.* Neo-Eboraci edit. 5.ª 1882.

Krimer *Ferdin.* Germanus, S. I. *Quaestiones canonicae in* 5. *ll. Decretalium — Quaestiones theologicae in* 1. 2. *s. Thomae de iustitia.* n. 1639. m. 1703.

Kugler *Ioann.* Germanus, S. I. *De matrimonio et sponsalibus*, alia. n. 1654. m. 1721.

L

***Lambertini** *Prosper.* Italus, Cardinalis, postea Benedictus. XIV. Luce clariora sunt eius opera. n. 1675. m. 1758.

****Laurenço** *Augustinus*, Lusitanus, S. I. *Syntagmata theologica* etc. m. 1695.

****Laymann** *Paulus*, Germanus. S. I. Vir in re morali et iure canonico peritissimus, primis auctoribus classicis par. *Theologia moralis.* Ex eius scriptis editum est post eius mortem *Ius canonicum.* n. 1575. m. 1635.

Leander a ss. Sacramento, Gallus, ord. ss. Trin. Auctor nimis benignus. *Quaestiones morales theologicae in* 7. *Ecclesiae sacramenta — In* 10. *Decalogi praecepta — In* 5. *Ecclesiae praecepta — De censuris ecclesiasticis.* n. 1591. m. 1663.

****Le Dent** *Maximilianus*, Belga, S. I. *De attritione ex metu gehennae.* n. 1619. m. 1688.

****Ledesma (de)** *Bartol.* Hisp. ord. s. Dominici, episc. Guaxacacensis in America. *Summa casuum conscientiae.* m. 1604.

****Ledesma** *Petrus*, Hisp. Dominicanus. Praeter alia dogmatica, *Summa de sacramentis — De magno matrimonii sacramento.* m. 1616.

†**Le Drou** *Petrus Lambertus*, Belga, ord. s. Augustini. *Dissertationes* 4. *de contritione et attritione*, ubi pro efficacia sacramenti postulat attritioni aliquem saltem coniungi imperfectae caritatis actum, quae sit Dei propter se super omnia dilecti, negans quamlibet veram caritatem iustificare, nis

certo potiatur gradu intensitatis. n. 1641. m. 1721.

Lega *Michael*, Italus. *Praelectiones in textum I. C.* Opus quod ad trutinam revocat et diudicat opiniones etiam communes: nondum absolutum. Romae typis vaticanis 1900.

****Lehmkuhl** *Augustinus*, Germanus, S. I. *Theologia Moralis:* opus paucos intra annos saepius recusum, certitudine principiorum, selectione rerum et usu scientificae methodi omnibus probatum. Editum est primum ann. 1883. Friburgi Brisgoviae.

Leo *Marcus Paulus*, Italus, S. I. *Praxis ad litteras maioris Poenitentiarii* etc. edit. 2ª. Mediolani 1665.

****Lessius** *Leonardus*, Belga, S. I. Praeter plura dogmatica, quae viri sanctitatem redolent, *Tractatus de iustitia aliisque virtutibus morum — Praelectiones de Beatitudine, de actibus humanis.* S. Franciscus Salesius gratias ipsi egit pro *Tract. de iustitia* et pro propugnata doctrina de praedestinatione ad gloriam post praevisa merita: s. Carolus Borromaeus eiusdem opera confessariis commendavit: s. Alphonsus pariter ipsum inter doctores classicos accenset. n. 1554. m. 1623.

Leurin *Petrus*, Germanus, S. I. *Forum beneficiale — Forum ecclesiasticum — De Episcoporum vicariis, capitulo sede vacante.* n. 1646. m. 1723.

****Lezana** *Ioann. Bapt.* Hisp. Carmelita. *Summa Theologiae sacrae — Summa quaestionum regularium — et regularia*, alia. n. 1586. m. 1659.

Liguori (de) s. Alphonsus, Italus, episcopus s. Agathae Gothorum, Fundator Congr. ss. Redemptoris, Ecclesiae Doctor. n. 1696. m. 1787.

Lohner *Tobias*, Bavarus, S. I. *Instructio practica de Confessionibus rite et fructuose excipiendis — De ss. Missae sacrificio — De officio divino iuxta ritum Brev. rom. recitando.* Eius est *instructissima bibliotheca manuali, concionatoria,* pluraque alia. n. 1619. m. 1680.

****Lopez** *Ludovicus*, Hisp. Dominicanus. *Instructorium conscientiae — Tractatus de contractibus et negotiationibus* seu *instructorium negotiantium.* Ab aliis laxior censetur, aliis auctor est gravis. m. 1596.

****Lorca (de)** *Petrus*, Hisp. Cisterciensis. *Commentaria et disputationes in* 1. 2. *et* 2. 2. *s. Thomae.* n. 1554. m. 1606.

Lotterius *Melchior*, Italus, *De re beneficiaria* libri 3. Romae 1629.

Luca (de) *Ioann. Bapt.* Italus, Cardinalis, celeberrimus iurisconsultus. Praeter iuridica opera italico sermone scripta, exstat *Theatrum veritatis et iustitiae.* n. 1614. m. 1683.

Luca (de) *Marianus*, Italus, S. I. *Praelectiones I. C.* Romae 1898. Opus a ss. Pontifice commendatum.

Lucidi *Angelus*, Italus. *De Visitatione ss. Liminum.* Vol. 3. Romae 1883. Opus eruditum et maxime utile.

****Lugo (de)** *Franciscus*, Hisp. S. I. Ex eius operibus naufragio absumptis superfuerunt *Tractatus de Deo — De Sacramentis,* qui in pretio habentur. n. 1580. m. 1652.

Lugo (de) Ioannes, Hisp. frater praeced. Cardinalis. Auctore s. Alphonso, Lugo post s. Thomam princeps inter theologos non temere dici potest. *De Iustitia et iure — De Fide — De Sacramentis in genere — De Eucharistia — De Poenitentia — Responsa moralia.* n. 1583. m. 1660.

****Lupus (Wolf)** Christianus, Belga, ord. s. Augustini. Vir immensae eruditionis. Inter alia scripsit opusculum *de Antiquitate et legitimo usu sententiae probabilis.* n. 1612. m. 1681.

M

Machado de Chaves Ioann. archidiaconus Limanus in America. *Perfecto Confessor y Cura de almas.* m. 1653.

Maffei *Scipio,* Italus, vir eruditissimus. In re morali scripsit opusculum *Dell'impiego del danaro* seu de collocatione pecuniae. n. 1675. m. 1755.

Maior *Ioannes,* Scotus, professor parisiensis, *in libros Sent.* m. 1478. m. 1548.

****Malderus** *Ioann.* Belga, epis. Antuerp. *De abusu restrictionum mentalium. — De sigillo confessionis — De virtutibus theologicis — De iure et iustitia* in 2. p. s. Thomae. n. 1561. m. 1633.

†**Malatra** *Ioann. Franc.* Gallus S. I. *De regula morum interna — De regula morum externa seu de legibus.* Probabilismum impugnavit. m. 1725.

Maldonatus *Ioann.* Hisp. S. I. Evangg. celeber interpres. Alios quoque dedit Commentarios. *Summula* Moralis Theologiae eius nomine edita et in Indicem relata, est compilatio aliena manu facta post eius mortem. Auctor ipsius est Martinus Codognat n. 1534. m. 1583.

Mangioni *Valentinus,* Italus. S. I. *Opusculum quinquepartitum de religiosa paupertate non excludente rerum dominium nec ius testandi — Apologia pro Bonifacio VIII. et Gregorio XIII. asserentibus voti sollemnitatem sola Ecclesiae constitutione inventam.* n. 1573. m. 1660.

Mansella *Ios.* Italus, *De Impedimentis matrim. dirimentibus* etc. Romae 1881.

Marchant *Iacobus. Hortus pastorum,* pluries editus. m. 1648.

Marchant *Petrus,* Belga, Franciscanus. *Tribunal sacramentale et visibile* animarum, in hac vita mortali — *Notabiles resolutiones variorum casuum et quaestionum practicarum.* n. 1585. m 1661.

Marres *P. H.* professor Theologiae Ruraemundae. *De Iustitia* ibid. 1879.

Martinez *Gregorius,* Hisp. Dominicanus. *Commentarii in* 1. 2. *s. Thomae.* n. 1575. m. 1637.

Martinez (del Prado) *Ioann.* Hisp. Dominicanus. *Quaestiones principales theologiae Mor. — de Sacramentis.* m. 1668.

Martinon *Ioann.* Gallus S. I. *Theologia universa — Anti Iansenius.* m. 1662.

***Mastrius** *Bartol.* Italus, ord. Minor. *Theologia moralis ad mentem DD. seraphici et subtilis — Disputationes theologicae in* 4^{m} *Sentent.* fl. c. 1659.

Matharan *Morisius,* Gallus. S. I. *Asserta moralia.* Uclés. 1887.

Mayr *Ant.* Germanus. S. I. *Theologia scholastica,* ubi pro regula morum defendit aequiprobabilismum *QQ. theologicae de Contritione,* alia. n. 1673. m. 1749.

****Mazzotta** *Nicolaus,* Italus. S. I. *Theologia moralis.* m. 1748.

****Medina** *Bartol.* Hisp. Dominicanus. Primus doctrinam de opinionibus probabilibus in systema redegit. *Expositiones in s. Thomam.* n. 1528. m. 1581.

***Medina** *Michael.* Hisp. ord. s. Francisci Theologus Tridentinus. *Disputationes de Indulgentiis* etc. Venetiis 1565. *De sacrorum hominum continentia libri quinque,* ibid. 1568. quod opus admodum laudatur.

Melata *Benedictus.* Italus, *Manuale Theologiae moralis, in usum praesertim examinandorum.* Romae 1888. *Manuale de Indulgentiis,* 1892. *Tractatus de Benedictione papali* 1895.

****Mendo** *Andreas,* Hisp. S. I. *Epitome opinionum moralium — Statera*

opinionum benignarum — Elucidatio Bullae Cruciatae. n. 1608. m. 1684.

†*Merbes Gallus. *Summa christiana.* Baianismum olet. n. 1598. m. 1684.

†*Mercorus *Iulius*, Italus, ord. FF. Praed. acerrimus rigidae sententiae propugnator. *Basis totius theologiae moralis*, alia. m. 1669.

Michl *Augustinus*, Germanus, ord. s. August. *Theologia canonico-moralis — Ius et iustitia iuridico theologice tractata.* n. 1661. m. 1751.

Milante *Thomas*, Italus, ord. FF. Praedic. *Exercitationes dogmatico-morales in propp. proscriptas ab Alexandro VII., Innocentio XI. et Alexandro VIII.* alia. m. 1749.

*Molina *Ludovicus*, Hisp. S. I. Auctor celeberrimi operis *de Concordia gratiae et liberi arbitrii*, tum *de Iustitia et iure.* quod summo in pretio a doctis habetur. Auctor est classicus. n. 1535. m. 1600.

*Montesinos *Ludovicus*, Hisp. *doctor clarus* appellatus. Commentaria in 1. 2. s. Thomae. n. 1553. m. 1621.

Moya *Matthaeus*, Hisp. S. I. Scripsit opus, cui titulus *Amadei Guimenii Lomarensis opusculum* adversus quorundam expostulationes contra nonnullas Iesuitarum opiniones morales. *Selectae qq. ex praecipuis theologiae tractatibus, de opinione probabili* etc. Utrumque opus in Indicem relatum fuit et prius ex his igni quoque traditum, iussu Innocentii XI. « Fatendum est, ait cl. Hurter. *Nomenclator* tom. 2. p. 244., nostrum auctorem nimis esse benignum et hinc velut unum ex antesignanis laxiorum moralistarum merito haberi ». Nihilominus prius opus Auctor ipse tertia editione emendavit, erroribus suis refutatis ; idem praestare nequivit pro altero opere, quod post eius obitum proscriptum fuit. n. 1611. m. 1684.

*Müller *Ern.* Germanus, Canonicus Vindob. *Theologia Moralis.* Vindobonae 1868. et deinceps pluries edita. Commendatur soliditate doctrinae.

*Muniessa *Thomas*, Hisp. S. I. Theologus insignis. *Disputationes scholasticae*, quae rarae sunt et pretiosae, *Stimulus conscientiae ex probatioribus sanctorum et theologorum doctrinis pro rectitudine morum.* m. 1696.

N

**Naldus *Antonius*, Italus, Cler. regul. *Summa seu resolutiones practicae nobiliores casuum conscientiae alphabetice digesta.* Bononiae 1630.

†*Natalis *Alexander*, Gallus, ord. s. Dominici. *Theologia dogmatica et moralis :* praeter *Historiam ecclesiasticam* aliaque scripta. n. 1638. m. 1724.

*Navarrus (Azpilcueta de Navarra) *Martinus*, Hisp. Canonicus regularis. Theologiae et iuris canonici peritissimus. *Consilia et responsa de iure canonico. — Enchiridion confessariorum et poenitentium*, etc. n. 1494. m. 1586.

*Navarrus (vel **Navarettus**) *Petrus*, Hisp. Dominicanus. *De Restitutione ablatorum in foro conscientiae.* Lugduni 1594.

**Neusser *Bruno*, Gallus, ex Recollectis Coloniae. *Polyanthea theologica moralis canonica — Absolutissima elucidatio Bullae Cruciatae — Tractatus de horis canonicis*, alia. m. 1667.

Neyraguet *D.* Ruthen. *Compendium theologiae moralis* ex s. Alphonso. Tolosae 1839.

Noceti *Carolus*, Italus, S. I. *Veritas vindicata* h. e. permultae sententiae auctorum S. I. in theologia christiana dogmatico-morali minus sincere relatae suaeque integritati restitutae. m. 1759.

O

Ochagavia (de) *Petrus,* Hisp. *De Sacramentis in genere et in specie.* m. 1624.

Oietti *Benedictus,* Italus, S. I. *Synopsis rerum moralium et iuris pontificii* etc. Romae 1899. Opus apprime utile et non modico favore exceptum.

Onnate (de) *Petrus,* Hisp. S. I. Provincialis Paraquariae. *De Conditionibus et modis impossibilibus et iure prohibitis contractibus et testamentis adscriptis.* m. 1646.

†***Opstraedt** *Ioann.* Belga. Ianseniano-rum in Belgio oraculum, dum viveret. *Dissert. theologica de conversione peccatoris — De laborioso baptismate — Institutiones theologicae de actibus humanis — Praxis administrandi sacramentum poenit. — De locis theologicis dissertationes* 10. In Indicem relatus est liber *Pastor bonus,* saepe tamen editus, sed secundum emendationem episcopi Passaviensis, 1704. n. 1651. m. 1720.

***Oviedo (De)** *Franc.* Hisp. S. I. *Tractatus theologi morales in* 1. 2. *s. Thomae.* Item *de virtutibus fide, spe et caritate.* m. 1651.

P

Palasthy recens auctor edidit *Theologiam morum cathol.* Ratisbon. 1861.

Palaus v. **Castropalaus.**

***Pallavicini (Sforza),** Italus. S. I. praestantissimus Lugo discipulus, Cardinalis. *Istoria del Concilio di Trento — Del Bene* libri 4. — *Arte della perfezione cristiana* libri 3. alia italica. *Assertionum theologicarum* libri 3. *Disputationum in* 1. 2. *s. Thomae* tomus 1. Natus ex accidenti Romae ex illustri prosapia parmensi 1607. m. 1667.

****Pallavicini** *Franc. M.* Italus. S. I. *Il sacerdote santificato nella retta amministrazione della penitenza,* opus in pretio habitum et in alias linguas translatum. m. c. 1790.

***Paludanus (de Palude)** *Petrus,* Gallus, Dominicanus. *Commentaria in ll. Sentent.* m. 1342.

Papp-Szilagyi *Iosephus,* de Illvesfalva. *Enchiridion iuris Ecclesiae orientalis catholicae* ed. 2. 1880.

***Pasqualigo** *Zacharias,* Italus, Theatinus. *De Sacrificio N. L. qq. theologicae, morales, iuridicae;* quo de opere ait cl. Hurter op. cit. tom. 2. pag. 254 : « vere dici potest auctorem hoc argumentum qq. 1347. undequaque exhausisse nihilque merito desiderari posse, quod non fuse expenderit ». *Decisiones morales* in Indicem tamen relatae, *donec corrigantur. Sacra moralis doctrina de statu supernaturali humanae naturae* et ipsa in Indicem relata, *nisi fuerit ex correctis. Variarum qq. moralium centuriae 4. — Praxis ieiunii ecclesiastici et naturalis — Singulares selectae* (n. 520.) *qq. morales iuridicae,* alia. Auctor in re morali classicus, licet identidem nimis benignus. m. 1664.

Passerini *Petrus, M.* Italus, ord. FF. Praedic. *De electione canonica — De privilegiis et facultatibus religiosorum — De Indulgentiis — Comment. in* 1. 2. 3. *Decretalium,* alia. n. 1595. m. 1677.

†***Patuzzi** *Vincentius,* Italus, Dominicanus, acerbissimus s. Alphonsi adversarius, unde celebritatem est nactus. *Theologia moralis,* alia. n. 1700. m. 1769.

Pawels *Nicolaus,* Belga, can. Lovaniensis. *Theologia practica:* ubi excellit tractatus *de Casibus reservatis.* m. 1713.

Pellegrini *Carolus,* Italus. *Praxis Vicariorum* Venetiis 1719. Opus maxime commendatum.

**Pellizario *Franc.* Italus. S. I. *Manuale regularium — De Monialibus.* Utrumque opus, longe post mortem auctoris, in Indicem relatum fuit, *donec corrigatur.* Correcta editio prodiit Romae 1655. n. 1596. m. 1651.

Pennacchi *Iosephus,* Italus. *Commentaria in Const.* Apostolicae Sedis. Romae 1883.

Perez *Antonius,* Hisp. S. I. *theologus mirabilis* nuncupatur, a Card. Pallavicini maxima habitus in existimatione. Inter alia *De iustitia et iure, de restitutione et de poenitentia.* n. 1599. m. 1649.

Perez *Martinus,* Hisp. S. I. *De Matrimonio — De Virtute et Sacram. Poenitentiae.* n. 1578. m. 1660.

*Petra *Vincentius,* Italus. Card. *Commentaria in Constitutiones Apostolicas,* valde erudita. n. 1662. m. 1747.

†*Petrocorensis theologus anonymus, qui *Theologiam moralem* pro usu Seminarii Petrocorensis edidit. Seculo XVIII. ineunte.

Pettschacher *Benedictus,* Germanus, ord. s. Benedicti. *De Restitutione,* alia. m. 1701.

*Phillips *Georgius,* Germanus, auctor inter recentiores sane illustris. *Handbuch des Kirchenrechts.* n. 1804. m. 1872.

Piat *F.* Belga, ordinis Franciscalium capulatorum. *Praelectiones iuris Regularis.* Tomi 2. *Commentarius in Const.* Apostolicae Sedis. alia.

Pichler *Vitus,* Germanus S. I. *Ius canonicum — Quaestiones canonicae.* n. 1670. m. 1750.

Pignatelli *Iacobus,* Italus. *Consultationes canonicae.* 3m edit. Operis sui Venetiis 1687. ipse recognovit.

*Pirhing *Enricus,* Bavarus. S. I. celeber canonista. *Ius canonicum in 5. ll. decretalium distributum — De iurisdictione et potestate ordinarii iudicis — De iurisdictione, officio et potestate iudicis delegati — De Rescriptis,* alia. m. 1679.

Pitoni *Franc. M.* Italus, auditor Benedicti XIII. *Disceptationes ecclesiasticae,* in quas congesta sunt decreta ss. Congg. et decisiones Rotae romanae. m. 1723.

Plattel *Iacobus,* Belga. S. I. *Synopsis cursus theologici,* continens qq. tum speculativas tum praticas. n. 1608. m. 1681.

Polanco *Ioan.* Hisp. S. I. *Directorium Confessarii — Methodus adiuvandi moribundos.* m. 1617.

†*Pontas *Ioann.* Gallus. *Dictionarium casuum conscientiae,* gallice scriptum. n. 1638. m. 1728.

**Pontius *Basilius,* Hisp. Augustinianus. *De matrimonio.* n. 1569. m. 1629.

Portel *Laurentius,* Lusitanus, ordin. s. Francisci: theologus pius et sapiens. *Responsa moralia — Dubia regularium.* fl. c. 1630.

Podestà *Felix,* Italus, ord. Minim. *Examen ecclesiasticum.* m. 1702.

Pottier *A.* Belga. *De Iure et Iustitia dissertationes tres.* Leodii 1900. Modernas attingunt quaestiones.

Praepositus *Ioann.* Belga. S. I. *Commentaria in Summam s. Thomae.* In re morali auctor est gravis. n. 1571. m. 1634.

Prieras *Silvester.* v. *Silvester.*

Probst *Ferdin.* Germanus. *Kathol. Moraltheologie.* Tübingen 1848.

Pruner *Ioann. De iure — Lehrbuch der Kathol-Moraltheologie,* edit. 2a. Friburgi 1883. in qua secunda editione ad probabilismi systema proprius accedit.

Q

Quarto *Paulus M.* Italus, cler. reg. *Rubricae Missalis romani commentariis illustratae — Discussio casuum episcopalium.* fl. c. 1655.

Quintanadvenas *Antonius,* Hisp. S. I.

Singularia theologiae moralis ad 7. Ecclesiae Sacramm. ad 5. Ecclesiae praecepta necnon ad ecclesiasticas censuras et poenas. m. 1651.

R

Rassler *Christ.* Germanus. S. I. Inter alia eius opera eminet *Norma recti,* quo in opere *aequiprobabilismum* proponit: liceat nempe sequi sententiam libertati faventem etiam minus tutam, dummodo eius probabilitas non sit *notabiliter minor* quam probabilitas oppositae. n. 1654. m. c. 1730.

****S. Raymundus a Pennafort,** Hispanus, Dominicanus. Insignis Sacram. Poenit. minister. Iussu Gregorii IX. collegit Decretales. Reliquit etiam opus, cui titulus *Summa Poenitentiae,* quae valde utilis est. n. 1175. m. 1275.

Raynaud *Theophilus,* Gallus. S. I. Scriptor famigeratissimus et celeberrimus theologus. Plurima de diversis rebus opera edidit, quorum nunnulla in Indicem sunt relata. Ad res morales quod spectat, habes *Moralis disciplina* ad muniendam theologiae practicae ac iurisprudentiae viam. *De aequivocatione et mentali restrictione — De ortu infantium contra naturam per sectionem caesaream tractatio — De monitoriis ecclesiasticis* ad extorquendam restitutionem aut revelationem, quid sint, quando ligent, quomodo solvantur etc. n. 1582. m. 1663.

Rebellus *Ferdinandus,* Lusitanus. S. I. Non recte accensetur adversariis probabilismi (cf. quae habet Ballerini, *de Conscientia* sub Probal.). *De obligationibus iustitiae, religionis et caritatis.* n. 1547. m. 1608.

Reding *Augustinus,* Helveticus, Benedictinus. Vir scientia clarissimus. *Theologia scolastica universa. Controversiae scholasticae* ex universa theologia selectae — *De dominio clericorum et religiosorum — De iniuriis et restitutione pro iis debita,* alia. n. 1625. m. 1692.

****Reginald** *Valerius,* Gallus. S. I. Sancti viri Carolus Borromaeus et Franciscus Salesius eius opera commendarunt: a s. Alphonso inter doctores classicos numeratur. *Praxis fori poenitentialis* etc. — *Compendiaria praxis difficiliorum casuum conscientiae — De prudentia et ceteris in confessario requisitis* etc. — *De officio poenitentis.* n. 1543. m. 1623.

****Reiffenstuel** *Anacletus,* Bavarus, Franciscanus, celeber canonista. *Ius canonicum* in libros Decretalium — *Theologia moralis.* n. 1641. m. 1703.

****Reuter** *Ioann.* Germanus. S. I. Vir doctrinae soliditate, concinnitate et ordine rerum insignis. *Theologia moralis quadripartita — Neoconfessarius practice instructus.* n. 1680. m. 1762.

Rhodes *Georgius,* Gallus S. I. *Disputationes teologiae scholasticae* in Summam s. Thomae. m. 1661.

****Rodriguez** *Emmanuel,* Lusitanus, ord. s. Franc. *Quaestiones regulares et canonicae — De Politia et Immunitate ecclesiastica,* alia. m. 1613.

Rohling *Aug.* Germanus. Docens in America scripsit opus: *Medulla Theologiae moralis* s. Ludovici 1875.

****Roncaglia** *Constantinus,* Italus, Congr. Matris Dei. Teste s. Alphonso, auctor est classicus. *Universa theologia moralis.* n. 1677. m. 1737.

Rosell *Ioseph.* Chartus. *Praxis deponendi conscientiam in dubiis et scrupulis circa casus morales,* Lugduni 1660.

Rosella v. **Trovamala.**

Rosmer *Paulus,* Mosaetraiectensis. S. I. *Conclusiones theologicae de Actibus humanis — De Iure et Iustitia — De contractibus — De Poenitentia Sacram. et virtute.* n. 1605. m. 1664.

S

Sa *Emmanuel,* Lusitanus. S. I. Plura scripsit in s. Scripturam. In rem nostram valde utiles censentur eius *Aphorismi confessariorum,* quorum tamen sequenda est editio, quae secundum romanam emendationem a Magistro s. Palatii factam prodiit. n. 1530. m. 1596.

Sabetti *Aloisius,* Italus. S. I. *Compendium Theol. mor. Gury ad breviorem formam redactum,* ed. 6ª. 1891. Opus perspicuitate maxime commendatum.

Sabino *Franciscus,* Italus, ord. Minor. *Lux moralis.* n. 1665. m. 1742.

†**Saettler** *Gaspar,* doctor Argentinensis. *Theologia moralis universa.* m. 1779.

Salas *Ioann.* Hispanus, S. I. *Disputationes in* 1. 2. — *Commentarii in* 2. 2. *s. Thomae — De Contractibus.* n. 1553. m. 1612.

Salmanticenses, h. e Patres Carmelitae excalceati, auctores. *Cursus Theologiae dogmaticae et moralis,* qui sub eorum nomine venit. sec. XVII.

Salon *Mich.* Hisp. ord. s. August. *De Iure et Iustitia in* 2. 2. *s. Thomae.* n. 1538. m. 1620.

Salvatori *Phil. M.* Italus, S. I. *Istruzione pratica pei confessori novelli* editio recens procurata est ab Antonio Ballerini S. I. Romae 1879.

Sanchez *Thomas,* Hisp. S. I. *De Matrimonio,* opus classicum et in hac materia praestantissimum. *Opus morale in Decalogum,* editum post eius obitum nec absolutum, *Opuscula* seu *Consilia moralia* n. 1550. m. 1610.

Sanchez *Ioann.* Hispanus. *Disputationes selectae et practicae de rebus in administratione sacramm. praesertim Eucharistiae occurrentibus.* Accessit tractatus *de Ieiunio* et (in 2. edit.) disputatio *de Dubia impotentia circa matrimonium,* Auctor nimis benignus eiusque liber Indici adscriptus. Eius est propositio ab Innoc. XI. damnata: « Ab infidelitate excusabitur infidelis, non credens ductus opinione minus probabili » fl. c. 1620.

Sanguineti *Sebastianus,* Italus. S. I. *Iuris ecclesiastici Institutiones,* editio 2. Romae 1890. n. 1829. m. 1893.

Santarelli *Antonius,* Italus. S. I. *Variae resolutiones et consilia — Tractatus moralis de haeresi, schismate, apostasia, sollicitatione in Sacr. Poenit., blasphemia, maledictione et de potestate Rom. Pont. in his delictis puniendis.* n. 1568. m. 1649.

Santi *Franciscus,* Italus. *Praelectiones Iuris Can.* ed. 3. Ratisbonae 1898.-99. Opus elaboratum ac perutile.

Sargar *Elisaeus,* Germanus, ord. s. Fr. *Casus conscientiae.* fl. c. 1730. cf. Katzenberger.

Sayrus (Sarius) *Gregorius,* Anglus, Benedictinus. *Casuum conscientiae seu theologiae moralis thesaurus de censuris ecclesiasticis aliisque poenis et canonicis impedimentis — Clavis regia sacerdotum casuum conscientiae — Flores decisionum sive casuum conscientiae* ex doctrina consiliorum Martini Navarri. *Summa Sacr. Poenit.* ex eruditissimis commentariis doctoris Navarrini — *De sacramentis in communi.* Haec opera magnae semper auctoritatis apud theologos fuerunt, adolescentis ingenium admiratos. m. 1602. nondum expleto aetatis a. 32.

Scavini *Petrus,* Italus. *Theologia moralis.* Sequitur s. Alphonsum et idcirco a Pio. IX. commendatus, sec. XIX.

Schiara *A. Thomas,* Clericus Regularis. *Theologia bellica,* omnes fere difficultates complectens, quae ad militiam terrestrem et maritimam pertinent, ca-

nonice, iuridice, moraliter, historice dilucidatas. m. 1718.

Schildere *Ludovicus*, Belga. S. I. *De Principiis formandae conscientiae — Synopsis de Sacramentis Ecclesiae.* n. 1606. m. 1667.

***Schmalzgrueber** *Franciscus*, Germanus. S. I. *Ius ecclesiasticum universum*, opus praestantissimum. n. 1663. m. 1735.

Schwarz *Ignatius*, Germanus S. I. *Institutiones iuris publici universalis, naturae et gentium*, alia philosophica et historica. n. 1690. m. 1763.

***Scotus** *Ioannes Duns.* ord. s. Franc. *Doctor subtilis.* n. 1266. m. 1308.

†**Sfondrati** *Caelestinus*, Italus, Benedictinus, Cardinalis. *Disputatio de lege in praesumptione fundata, contra probabilismum — Nepotismus theologice expensus*, alia theologica. n. 1644. m. 1696.

***Silvester** *Prierias*, Italus, ord. s. Dominici Magister s. Palatii. *Summa summarum*, seu *silvestrina*, sic dicta, ut ipse auctor declarat, « quia est pervula omnium frugiferarum arborum silva ». m. 1523.

Simonet *Edmundus*, Gallus. *Institutiones theologicae.* n. 1662. m. 1733.

†***Sinnichius** *Ioann.* Hibernus, Doctor Lovaniensis, Iansenii propugnator; auctor propositionis aientis: non esse licitum sequi inter opiniones probabiles probabilissimam. m. 1666.

Soarez *Franc.* Lusitanus. S. I. *De Virtute et Sacram. Poenitentiae Tractatus* 8. m. 1659.

Soell *Ant.* Germanus. S. I. *Quaestiones canonicae de tributis — De Iudiciis causarum civilium — De Praescriptionibus — De Decimis.* n. 1693. m. 1741.

****Soto** *Dominicus*, Hispanus, Dominicanus, theologus Conc. Trid. *In 4. libros Sententiarum — De Iustitia et Iure*, alia. n. 1494. m. 1560.

***Soto** *Petrus*, Hispanus, ord. s. Dominici. *De Institutione Sacerdotum.* m. 1563.

***Spee** *Fridericus*, Germanus. S. I. *Cautio criminalis* seu de processibus contra sagas, quo effecit, ut tandem abrogaretur iniqua ratio procedendi contra eas, quae huius criminis accusabantur. Opus Protestantibus quoque valde probatum. m. 1635.

Sperelli *Alexander*, Italus, Episcopus Eugub. *Decisiones fori conscientiae Paradossi morali.* fl. c. 1656.

****Sporer** *Patritius*, Germanus, ord. s. Fr. *Theologia moralis*, divisa in *decalogalem* et *sacramentalem.* Teste s. Alphonso, auctor est in suis sententiis satis aeque et forte aliquando benignior. m. 1714.

Staidel *Franciscus*, ord. Minor. *Enchiridion ad usum Sacerdotum.* Tridenti. 1753.

Stapf *Matth.* Germanus. S. I. *Theologia Moralis*, quae 1855. Oeniponti septimo est recusa.

Stoz *Matth.* Germanus. S. I. *Tribunal Poenitentiae.* n. 1614. m. 1678.

Struggl *Marcus M.* ex ord. Servorum B. M. V. Theologus egregius. *Theologia Moralis iuxta ss. Canones et probatos auctores.* m. 1760.

****Suarez** *Franciscus*, Hispanus. S. I. Philosopus et Theologus omni laude maior. Inter eius opera moralia eminent duo classica, *De legibus* et *De Religione.* n. 1548. m. 1617.

Silvius (Du Bois) *Franc.* Belga, Duaci plus quam 30. annos Theologiam docuit. *Commentarii in Summam s. Thomae. Opuscula varia.* A s. Alphonso doctoribus classicis accensetur. n. 1581. m. 1649.

T

Taberna *Ioann. Bapt.* Belga. S. I. *Synopsis Theologiae practicae.* S. Alphonso iudice, est rigidior: verum

brevi postquam opus lucem aspexit (quod post mortem auctoris contigit) aliis visus est benignior, ut a nota laxitatis fuerit defendendus, v. infra, v. *Vindiciae*. n. 1622. m. 1686.

Tabiena *Ioann.* Italus. Dominicanus *Summa Tabïena* seu *Summa Summarum*. fl. c. 1525.

****Tamburini** *Thomas*, Siculus. S. I. *Explicatio Decalogi — Methodus expedita confessionis — In 5. Ecclesiae praecepta — De Sacrificio Missae — De Bulla Cruciatae*. Auctor est forte nimis benignus. Sed. cf. eius ellogium apud s. Alphonsum l. 3. n. 646. « Ubi ille ex sua sententia loquitur, sane theologice loquitur et ex propriis principiis quaestiones resolvit ita, ut sententiae, quas ipse probabiliores iudicat, sapientum iudicio, ut plurimum, probabiliores sint ». n. 1591. m. 1675.

Tancredi *Vincentius*, Italus. S. I. *Quaestiones Morales — De Matrimonio — De Religione*. In duobus postremis compendium exhibet tum Sanchez de Matrim. tum Suarez de Relig. in primo est sui iuris n. 1609. m. 1659.

****Tanner** *Adamus*, Germanus. S. I. Theologus magna auctoritate apud aequales pollens. *Disputationes theologicae in Summa s. Thomae — Universa Theologia scholastica, speculativa, practica, ad methodum s. Thomae*. n. 1572. m. 1632.

Terillus *Antonius*, Anglus. S. I. Probabilistarum antesignanus dictus ab Amort. *Fundamentum totius Theologiae moralis*, seu *de Conscientia probabili — Regula morum*. Carpitur in eo nimia identidem fiducia in citandis auctoribus. n. 1623. m. 1676.

Tesauro *Carolus*, Italus. S. I. *De Poenis ecclesiasticis*. n. 1578. m. 1655.

Theodorus a Spiritu S. Italus, Carmelita. *Tractatus historico-theologicus de Iubilaeo*. Romae 1750.

Thomas (S.) Aquinas. *Doctor Angelicus*. n. 1227. m. 1274.

Thomasin *Ludovicus*, Gallus. Congr. Oratorii. *Vetus et nova disciplina Ecclesiae circa beneficia*, alia. n. 1619. m. 1695.

****Toletus** *Franciscus*, Hispanus. S. I. Cardinalis. In Philosophia, Theologia et ss. Scripturarum interpretatione egregie versatus. Praeter opera philosophica reliquit *Commentarios in epistolam ad Rom.*, qui etiamnum magni fiunt, *in Evangelium Ioannis* et *in 12. priora capita Evangelii Lucae: Commentarios in Summam s. Thomae*, sed incompletos, tum *Instructionem Sacerdotum:* quam, utpote tutam doctrinam continentem, clero suo commendavit s. Franciscus Salesius. n. 1532. m. 1596.

Trovamala *Ioann. Bapt.* Italus, ord. Minor. Auctor Summae, quae dicitur *Rosella*. sec. XV.

Trullench *Ioann.* Hispanus. *Expositio in Decalogi et Ecclesiae praecepta — Praxis Sacramentorum — De iure parochi*. m. 1633.

Turrianus (Torres) *Aloisius*, Hispanus. S. I. *Disputationes in 2. 2. s. Thomae, de fide, spe, caritate, prudentia, de iustitia, de gratia — Opuscula theologica — Selectae disputationes in Theologiam scholasticam positivam, moralem — Summa theologiae Moralis*, n. 1562. m. 1635.

Distinguendus a **Francisco Turriano**, viro eruditissimo (1504-1584.), qui iam senex ingressus est Societatem Iesu.

U

Ugolinus *Bartolomaeus*, Italus. *De Censuris — De Irregularitatibus — De Simonia*, alia. Magni nominis iurisconsultus, m. 1610. sec. XVI.

Ursaya *Dominicus*, Italus. *Disceptationes ecclesiasticae una cum resolutionibus ss. Congregationum*. Romae 1716-23.

V

Valente *Franciscus,* Lusitanus. S. I. *Concordia iuris pontificii cum caesareo,* m. 1662.

Valentia (a) *Gregorius,* Hispanus. S. I. *Commentarii theologici in qq. s. Thomae. Plura apologetica.* Praestat modestia, acri iudicio et claritate. n. 1543. m. 1603.

Van Espen Zeger *Bernardus,* Belga. Vir Apostolicae Sedi infensus et Iansenianus. Opus eius praecipuum est *Ius ecclesiasticum universum.* Opera eius omnia in Indicem sunt relata. n. 1646. m. 1728.

Van Gestel *Adrianus,* Batavus. S. I. *De Iustitia et lege civili.* Groningae 1889. Auctor plura promit de penu suo feliciter. m. 1900.

****Vasquez** *Gabriel,* Hispanus. S. I. *Disputationes in Summam s. Thomae.* Luminare theologiae una cum Suarez a Benedicto XIV. vocatus. n. 1551. m. 1604.

Vermeersch *Arthurus,* Belga. S. I. *De prohibitione et censura librorum.* Tornaci ed. 2. 1898. Quaestiones *De Iustitia* etc. Brugis 1901.

****Velasco** *Achatius,* Hispanus, ord. s. Dominici. *Casus conscientiae.* m. 1665.

****Victoria (de)** *Franciscus,* Hispanus, ord. s. Dominici, celeber praeceptor celebriorum discipulorum, Soto Dominici, Medina Bartolomaei et Cani Melchioris. m. 1549.

Villada *Paulus,* Hispanus. S. I. *Casus conscientiae his praesertim temporibus accommodati.* Bruxellis 1884.

****Villalobos** *Henricus,* Hispanus, ord. s. Francisci. *Summa Theologiae moralis et canonicae — Manuale Confessorum:* utrumque opus hispanico idiomate. m. 1627.

Vindiciae Gobatianae, sive examen propositionum, quas ex operibus P. Gobat damnavit Episcopus Atrebatensis 1706. auctore Christoph. Rassler.

Vindiciae Tabernae, auctore anonymo, qui Tabernam defendit contra damnationem Episcopi Atrebatensis. 1706.

****Viva** *Dominicus,* Italus. S. I. Benedictus XIV. eum cum laude memorat. *Cursus Theologiae moralis — Damnatae Theses — Opuscula moralia,* n. 1638 m. cir. 1710.

Vivaldus *Martinus Alphonsus,* canon. reg. Congr. ss. Salvatoris. *Candelabrum aureum* nempe de sacramentis et poenis ecclesiasticis. n. 1544. m. 1605.

Vogler *Iosephus,* Svevus, S. I. *Iurisconsultor theologus practice instructus circa obligationes restitutionis — De Legibus et Fide.* n. 1661. m. 1708.

****Voit** *Edmundus,* Germanus. S. I. *Theologia moralis per casus conscientiae explanata.* n. 1707. m. 1780.

W

Wading *Petrus,* Hibernus. S. I. *De Contractibus in genere et in specie.* n. 1580. m. 1644.

Wagemann *Lud.* Germanus. *Synopsis Theologiae Moralis,* frequenter recusa, n. 1713. m. 1792.

Walhs *G.* I. praeses Collegii Maynutiani in Hibernia. *Tractatus de Actibus Humanis.* Dublini 1880., qui plurimum commendatur.

Weber *Ioann.* Germanus. *Die Kanonischen Ehehindernisse.* 5. edit. 1886. Friburgi.

Wex *Iacobus.* Germanus. S. I. *Ariadne Carolino-Canonica.* m. 1711.

Wiestner *Iacobus,* Germanus. S. I. *Institutiones canonicae.* n. 1640. m. 1709.

†*Wigandt *Martinus,* Germanus, Dominicanus, Theologiae Professor in universitate Vindobonensi. *Tribunal confessariorum et ordinandorum, declinato probabilismo.* fl. c. 1700.

Wiggers *Ioann.* Belga, vir valde doctus et pius. *De Iure et Iustitia — De*

Virtutibus theologicis. n. 1571. m. 1639.

Wirceburgenses. Theologia dogmatica et moralis, PP. S. I. In ea morales quaestiones facile praestant aliis sec. XVIII.

†***Witasse** *Carolus,* Gallus, Doctor Sorbonicus, Bullae *Unigenitus* adversarius. Inter alia *De Sacr. Poenitentiae — De Sacr. Ordinis.* n. 1660. m. 1716.

Y

***Ysambert** *Nicolaus,* Gallus. *Commentarii* in Summam s. Thomae. n. 1565. m. 1642.

Z

****Zaccaria** *Franciscus,* Italus, S. I. Plura apologetica eruditissime scripsit ac historicas dissertationes. Praemisit Theologiae morali s. Alphonsi, eoque auctore, dissertationem historicam de Casuistica; novam paravit editionem notis auctam theologiae moralis La Croix et Thomae Tamburini, alia. n. 1712. m. 1796.

Zambranus *Melchior,* Hispanus. *Aureae decisiones casuum conscientiae.* fl. c. 1604.

Zanardi *Michael,* Italus, Dominicanus. *Directorium theologorum et confessorum ad summam fere omnium casuum conscientiae.* Auctor nimis benignus. n. 1570. m. 1642.

Zecchi *Laelius,* Italus. Primus omnium e recentibus, quos viderim, ait Gener (Theol. dogm. sch. tom. 1. prodr. 1. c. 4. §. 56.), *universam scholastico-polemicam theologiam* compendioso nitidoque stilo aggressus est. Alia dedit opera *de Iure canonico* et *Theologia morum.* m. 1610.

Zech *Franch. Xav.* Germanus, S. I. *Rigor moderatus doctrinae Pontificiae circa usuras, a ss. D. N. Benedicto XIV. per epist. encycl. Episcopis Italiae traditus.* n. 1692. m. 1772.

Zenner *Franc. Xav.* canon. Vindobonensis. *Instructio pratica confessarii,* edit. 6. Vindobonae 1857.

Zerola *Thomas,* Italus. *Praxis episcopalis — Praxis Sacr. Poenitentiae.* m. 1663.

Zipaeus (van den Zype) *Franc. Responsa de iure canonico — De Iurisdictione ecclesiastica — Iuris Pontificii novi analytica enarratio.* In his reperitur praeoccupata refutatio principiorum van Espen, Febronii et eiusdem furfuris hominum. m. 1650.

Zitelli *Zephirinus,* Italus. *Apparatus iuris ecclesiastici iuxta* etc. Romae 1886. *De Dispensationibus matrimonialibus iuxta recentissimas Sacc. Urbis Congregg. Resolutiones Commentarii.* Romae 1887.

Zoesius *Henricus.* Doctor Lovaniensis. *Commentarii in Decretales Gregorii IX.* m. 1627.

Zumel *Franc.* Hispanus, ord. s. Mariae de Mercede. Acerrimus inter omnes physicae propugnator praemotionis. *In 1. et 1. 2. s. Thomae Commentarii — Variae disputationes.* fl. c. 1600.

INDEX

TRACTATUS XI. — De censuris et irregularitatibus.

INTRODUCTIO. De delictis et poenis . . . . . Pag. 1
Caput I. De censuris in genere . . . . . » 14
Dubium I. Quid sit censura Ecclesiastica . . . . . » ibid.
Dubium II. Quotuplex censura . . . . . » 18
Dubium III. Quis possit ferre censuram et in quos. . . . . » 23
Quaestiones ad hoc dubium addendae. — An censurae subiectum possit esse integra communitas . . . . . » 68
An quis duplici censura aut etiam pluribus innodari possit. » 69
Plures ob eandem causam censurae . . . . . » 70
Dubium IV. Ob quam causam possit ferri censura . . . . . » 73
Quae excusent a censura . . . . . » 88
Dubium V. Quis possit absolvere a censuris . . . . . » 115
Dubium VI. Quomodo danda sit absolutio a censura . . . . . » 148
I. De absolutione ad cautelam . . . . . » 176
II. Quae absolutio pro foro externo valeat. . . . . » 177
III. Requisita ex parte absolvendae personae . . . . . » 182
Caput II. De excommunicatione . . . . . » 185
Dubium I. Quid sit et quotuplex . . . . . » ibid.
Dubium II. De excommunicatione minori. . . . . » 195
Dubium III. Quos effectus habeat excommunicatio Maior. . . . . » 205
Dubium IV. Ob quas causas incurratur excommunicatio Maior? . . . . . » 232
Artic. I. Quae sint excommunicationes non reservatae? . . . . . » ibid.
Artic. II. Quae sint excommunicationes reservatae Episcopis? . . . . . » 233
Artic. III. Quae sint Papae reservatae extra Bullam Coenae . . . . . » ibid.
Artic. IV. Quomodo intelligenda excommunicatio percussoris Clericorum. . » 234
Artic. V. Quae sint excommunicationes Papae reservatae per Bullam Coenae? » 235
De Excommunicationibus in particulari. . . . . » 236

SECTIO I. — Excommunicationes romano pontifici reservatae

§. 1. Reservatae speciali modo. . . . . » 240
§. 2. Excommunicationes R. P. simpliciter reservatae. . . » 269

SECTIO II. — Excommunicationes reservatae episcopis sive ordinariis

Excommunicationi latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae subiacere declaramus: . . . . . » 290

SECTIO III. — Excommunicationes latae sententiae nemini reservatae

Excommunicationi latae sententiae nemini reservatae subiacere declaramus . . . . . Pag. 293
Caput III. De suspensione et degradatione . . . . . » 306
Dubium I. Quid sit suspensio, quotuplex et unde cognoscatur, qualis et quanta sit. » ibid.
Dubium II. Quae sint suspensiones in particulari et quis ab eis possit absolvere » 320
§. 1. Suspensiones latae sententiae reservatae Rom. Pontifici speciali modo . . . . . » 323
§. 2. Suspensiones l. s. Romano Pontifici simpliciter reservatae, ex Const. Apost. Sedis . . . . . » ibid.
§. 3. Suspensiones Tridentinae reservatae partim Episcopis partim nemini . . . . . » 330
Dubium III. De depositione et degradatione . . . . . » 332
Caput IV. De interdicto . . . . . » 333
Dubium I. Quid sit et quotuplex . . . . . » ibid.
Dubium II. Qui sint effectus interdicti . . . . . » 338
Dubium III. Quis Interdictum ferre et quis tollere possit . . . . . » 344
Interdicta latae sententiae Romano Pontifici speciali modo reservata ex duplici Const. Pii IX . . . . . » ibid.
Interdictum reservatum alteri . . . . . » 345
Interdicta lata a Synodo Tridentina . . . . . » 346
Caput V. De irregularitate . . . . . » 347
Dubium I. Quid et quotuplex sit Irregularitas . . . . . » ibid.
Dubium II. Quinam effectus Irregularitatis . . . . . » 353
Dubium III. Quomodo incurratur et tollatur Irregularitas . . . . . » 354
Dubium IV. De irregularitatibus ex delicto . . . . . » 361
Dubium V. Quae Irregularitates ex defectu . . . . . » 392
Appendix I. . . . . . » 405
Appendix II. . . . . . » 432
Index scriptorum in re morali . . . . . » 443

ERRATA	CORRIGE
Pag. 236. l. ult. Roat.	Reat.
» 260. l. 33. incurrat.	incurrant.
» 278. in not. l. 2. legabatur.	legebatur.
» 366. l. 23.	dele n. 10. bis occurrentem et pro cc. secundo loco pone c.
» 372. l. 18. Werrez.	Wernz.

INDEX ANALYTICUS TOTIUS OPERIS

Numerus romanus ad volumen, arabicus ad numeros in margine refertur atque hic praecedentem paragraphum textus, identidem et sequentes indicat.

A

Abbas quid possint abbates circa consecrationem rerum sacrarum IV. 1080. quid circa ordines minores V. 913. VII. 376. an horum illicita collatio sit valida V. 913. an abbatibus facta sit unquam potestas conferendi subdiaconatum et diaconatum V. 914. An abbates dimissorias litteras possint dare V. 923. VII. 376. an testimoniales V. 923.

Abbatia quale beneficium est IV. 246. seq.

Abbatissa an possit poenas et poenitentias imponere IV. 123. 510. an competat ipsi administratio bonorum IV. 510. an praecepta imponere monialibus, ibid. an sub gravi ibid. 129. quid circa usum sacramentorum vetitum ipsi sit erga suas subditas ibid. 511. decretum s. C. EE. RR. de hac re ibid. IV. V. VI. an possit exigere rationem conscientiae ibid. I. II. an possit in beneficiis instituere clericos eosque iisdem privare IV. 512. an sit capax iurisdictionis spiritualis ibid. VII. 31. an possit ferre leges I. 253. censuras IV. 512. VII. 31. an liceat ei recipere in monasterio pensionarias VII. 307. an cum ea Regulares colloquentes poenam subeant IV. 120. an electioni Abbatissae Episcopus praesidere possit VII. 52. 4°. v. *Superiorissa.*

Abdicatio bonorum quomodo et quando facienda a novitiis III. 1006. seqq.

Abiegatus v. *Furtum.*

Abiuratio quomodo recipiendi haeretici abiurantes haeresim II. 98. VII. 275. not. an praemittenda confessio V. 22. an publica esse debeat VII. 275. not. ad quam abiurationem teneantur apostatae in terris infidelium II. 98. not.

Ablativus absolutus in clausulis quid valeat VI. 959. VII. 180.

Ablutio quae in baptismo requiratur, in quo sita sit IV. 724. seqq. an possit omitti vinum in altera ablutione in Missa VII. 478. an perinde sit dicere: *te baptizo* et *te abluo* IV. 732.

Abominatio odium abominationis quid sit II. 192.

Abortivus foetus an sit baptizandus IV. 753.

Abortus quid sit, directus, indirectus II. 910. seqq. quando censendus sit foetus informatus anima rationali ibid. 911. an procuratio abortus aliquando liceat 912. seqq. poena procurati abortus VII. 319. 455. an poena matrem teneat VII. 319. an distinguendum inter foetum animatum et non animatum

II. 911. VII. 319. 464. an ad cavendam infamiam liceat puellae gravidae procurare abortum II. 918.

Abrogatio legis v. *Lex*, consuetudinis v. *Consuetudo.*

Absens v. *Absolutio, Censura, Donatio, Lex, Residentia.*

Absolutio quid differat a dispensatione VII. 9.

Absolutio sacramentalis formula V. 23. 25. an dari possit absenti V. 23. an nutu, signo, scripto ibid. 24. quis censeri possit praesens ibid. an dari possit per telephonium ibid. 25. an damnatio propositionis de confessione et absolutione absentis comprehendat casum moribundi V. 235. an possit dari absolutio absque praevertente confessione V. 237. seqq. absolutio moribundi ibid. absolutio conditionata IV. 664. seqq. V. 19. seqq. quando danda, an danda pueris, rudibus, an semifatuis V. 20. an danda abiuranti haeresim V. 22. an nova absolutio novum semper requirat dolorem V. 81. seqq. an absolutio differri possit disposito V. 191. seqq. an absolvendus qui affert tantum imperfectiones V. 17. v. *Occasionarius, Recidivus, Confessarius, Sacram. Poenit.*

Absolutio a censuris: an alius praeter Sacerdotem possit in articulo mortis absolvere a censuris VII. 142. quam poenam incurrat qui extra mortis articulum praesumit absolvere ab excommunicationibus specialiter Papae reservatis VII. 294. v. *Censura, Iubilaeus.*

Absolutio complicis, quid de ea sancitum sit V. 412. quae et qualis complicitas ibid. 413. an nomine peccati turpis veniat heic turpiloquium ibid. 414. quid si solum audivit turpes sermones ibid. an complex et particeps sint idem ibid. Quae absolutio prohibeatur, an etiam indirecta V. 415. quid si iam ab alio fuerit remissum peccatum ibid. an huc spectet peccatum admissum ante sacerdotium ibid. 416. an pro contrahenda censura requiratur ausus ibid. 417. VII. 286. quid possit et debeat sacerdos in periculo mortis complicis V. 418. seqq. an merito prohibeatur sacerdos unquam excipere confessionem complicis ibid 423. quid in iis adiunctis, in quibus, hac posita lege, semper foret fideli a confessione abstinendum V. 424. seqq. quid si infamia sacerdotis, etiam extra periculum mortis, nequit vitari VII. 286. An excommunicationem incurrat qui ficte absolvit V. 427. an qui absolvit complicem tacentem quidem peccatum, sed ideo tacentem, quia ad id eum confessarius induxit sive directe sive indirecte ibid. in not. an Episcopus possit ab hac censura absolvere V. 428. an hic sit casus specialissime reservatus VII. 286.

Abstemius an sit irregularis VII. 478. an possit sola aqua uti in purificatione calicis qui nimium abhorret a vino ibid.

Abstinentia praeceptum abstinendi in diebus ieiunii a carnibus et lacticiniis v. *Ieiunium:* abstinentia feriae sextae et sabbati qua lege statuta, an obligatio gravis II. 1154. quae materia gravis ibid. 1155. an haec abstinentia prohibeat promiscuitatem ciborum ibid. 1113. quinam obligentur lege abstinentiae ibid. 1156. qui excusentur a lege ibid. an lex pro sabbato ubique vigeat II. 1154. materia satisfactionis sacramentalis V. 322.

Acceptatio in contractu oneroso v. *Contractus, Sponsalia,* in gratuito v. *Promissio, Donatio:* acceptatio hereditatis III. 1094. an necessaria ibid. v. *Hereditas.*

Acceptilatio quid sit III. 954.

Acceptio personae quid sit, cui iustitiae opponatur III. 22. an peccatum grave, conditiones requisitae ut tale sit ibid. an obliget ad restitutionem ibid. 23.

Accessio v. *Dominium.*

Accessorium sequitur principale II. 587.

Accrescendi ius v. *Hereditas.*

Accusatio quid differat a denuntiatione IV. 552. ad quem nunc spectet, ibid. an citra accusationem praevertentem possit proferri sententia ibid. 553. an sit obligatio accusandi ibid. 554. officium accusatoris IV. 612. qui prohibeantur accusare ibid. 613. An accusator in causa sanguinis sit irregularis VII. 514. an clericus in causa sanguinis possit accusare IV. 447. VII. 515. quid praecipitur clerico in sacris, si opus sit accusare VII. 515. v. *Denuntiatio.*

Acedia quid sit, quale peccatum, eius filiae I. 742. seqq.

Acolythus v. *Ordo Sacramentum.*

Actio in iudicio quid sit III. 259. quoto tempore actiones praescribantur ibid. 178. an omnis obligatio actionem pariat III. 259. 551. 556. qua exceptione actio elidatur III. 259.

Actiones societatum quid sint, quotuplicis generis, quid differant ab obligationibus IV. 475. seq. an liceant clericis ibid. 477. seq.

Actus humanus quid sit, quid differat ab *actu hominis* I. 1. seq. quid hac in re Rosminiani ibid. 3. actus *eliciti, imperati,* cuius sit imperare ibid. 4. actus boni, mali, naturales, supernaturales, interni, externi, validi, invalidi ibid. 5.-11.

Actus quomodo in Deum referri debeat, ut sit *meritorius* I. 116. seqq. doctrina Apostoli, ibid. 112. seqq. explicatio huius doctrinae tradita a s. Bonaventura, a s. Thoma ibid. doctrina s. Thomae defenditur ibid. 116. seqq. relatio operum in Deum actualis, virtualis ibid. 114. virtualis in quo sita sit, an sufficiat ibid. 116. seqq. 120. seq. quid differant Bonaventura et Thomas ibid. 117. an necesse sit pluries vel semel in die renovare intentionem referendi opera in Deum ibid. 119. sententia s. Francisci Salesii ibid. 123. Caietani ibid. an doctrina s. Thomae communis in scholis ibid. 124. quid sit actum *informari caritate, gratia, moveri caritate, imperari a caritate* ibid. 125. seqq. an s. Bonaventura adstipuletur s. Thomae ibid. 127. an posita doctrina s. Thomae redeat sententia Baii ibid. 129. v. *Moralitas.*

Actus indifferens, quid sit, an detur actus humanus indifferens in individuo I. 102 seqq. an actus supernaturalis possit esse indifferens ibid. doctrina s. Bonaventurae et Scotistarum circa actus indifferentes ibid. 104. doctrina s. Thomae ibid. 105. an doctrina s. Thomae rigidior ibid. 104. 105. seqq. declaratio doctrinae s. Thomae in pluribus actibus, quos alii indifferentes dicunt ibid. 105.-108. an omissio quaelibet sit bona vel mala ibid. 110.

Actus heroicus caritatis v. *Indulgentia.*

Aditio hereditatis quid, quomodo fiat, an necessaria III. 1094. quid si heres ante aditionem moriatur, ibid. et 1073. aditio cum beneficio *inventarii* ibid. 1095. quid si inventarium omissum fuerit ibid. 1096. an, non adita hereditate, ius legatarii habeant ad legata ibid. 1031. aditio hereditatis *quasi contractus* III. 898. v. *Inventarium, heres, legatum.*

Adiuratio quid sit, an licita II. 600. in homines, in daemones, ibid. *deprecativa, imperativa, privata, sollemnis* sive *exorcismus* ibid. 601. an effectus eius certus ibid.

Administratio bonorum quae competat *parentibus* quoad bona filiorum III. 46. 48. not. *marito* quoad bona uxoris vel communia ibid. 51. cum not. *tutori* vel *curatori* quoad bona pupilli, minoris ibid. 958. seq. 961. *beneficiatis* quoad fundum beneficii, IV. 241. parocho quoad bona suae ecclesiae IV. 508. an *competat parocho regulari* IV. 85. *episcopo regulari* IV. 28. 29. *moniali superiorissae* IV. 112. quibus interdicta sit administratio bonorum III. 577.

Admonitio v. *Correptio,* an caritas eam

exigat II. 218. an ignorantes sint admonendi II. 221. an possit, debeat aliquando confessarius omittere admonitionem V. 537. seqq. v. *Monitio.*

Adoptatus an heres III. 1059. 1066. an ius habeat ad bona cognatorum adoptantis VI. 637. v. *Adoptio.*

Adoptio quid sit VI. 626. III. 1059. quotuplex VI. 627. v. *Adrogatio,* conditiones legitimae adoptionis VI. 629. effectus adoptionis VI. 637. an et quae sit impedimentum matrimonii VI. 630. 638. seq. quae personae impediantur VI. 631. an in his omnibus impedimentum sit perpetuum VI. 632. usque ad quem gradum impedimentum se porrigat VI. 633. quae personae non impediantur VI. 637. an distinguenda ab *alumnatu* et *unione prolis* VI. 635. adoptio iuxta moderna iura VI. 636. an sacerdos possit adoptare VI. 640.

Adoratio quid sit, quotuplex, *latria, dulia* II. 310. actus externi 311. an praecepta et quoties obliget ibid.

Adrogatio quid sit, quid differat ab adoptione VI. 627. seq. an impedimentum matrimonii 630. v. *Adoptio.*

Adventitia bona III. 44. seqq.

Advocatus quis sit IV. 596. quis esse possit, an presbyter, an clericus, an monachus IV. 448. 596. an hi advocare possint in causis ecclesiasticis ibid. an possit advocatus defendere quamlibet causam IV. 597. causam dubiam, ibid. seq. in iudicio possessorio cum ius proprietatis non est probabile IV. 599. an articulum iustum causae iniustae IV. 603. an causam, cuius nulla est probabilitas 604. quem possit advocatus defendere in causa criminali, quem in causa civili IV. 597. 600. an eum defendere possit qui vere deliquit ibid. quid debeat manifestare clienti IV. 598. 605. an et quando teneatur de damno IV. 602. seqq. III. 373. an teneatur patrocinari pauperibus IV. 601. an possit absolvi qui paratus est quaslibet causas defendere 606. an liceat ei pacisci de pretio post inchoatam litem 607. quibus in rebus peccare potest 608. an licet documentum falsum supponere vel novum veteri amisso substituere ibid. qua lege secreti teneatur 609. an liceat ei decipere adversarium IV. 608. an et quando fiat irregularis VII. 514.

Adulterium v. *Luxuria.* Quae damna inducant obligationem restitutionis III. 482. an uxor teneatur se prodere et filius spurius ei credere 483. quomodo possit adultera damnum compensare III. 485. quid adulter debeat 486. quid in dubio an proles sit adultera ibid. quid si plures sit adulteri 484. an filius spurius, qui iure censetur legitimus, sit irregularis VII. 486. quid debeat adulter III. 486. seqq. quid in dubio utrius sit proles, maritine an adulteri, ibid. quid si plures sint adulteri III. 487. seq. an adulter dives possit exponere prolem publico hospitali ibid. 488. an liceat patri vel marito occidere filiam vel uxorem in adulterio deprehensam ipsumque adulterum II. 877. seq. An adulter dans occasionem abscissioni sit irregularis VII. 484.

Aedificatio v. *Dominium, Iuspatronatus.*

Aegyptii an liceat eos consulere II. 347.

Aequivocatio quae et *Amphibologia,* quid et quotuplex est II. 563. an *restrictio* mentalis pura liceat ibid. 564. an liceat aequivocatio seu restrictio non pure mentalis, liceatque eam firmare iuramento II. 565. seq. 1055. an peccet aequivocatione utens cum non rogatus sed sponte sua iurat II. 566. an liceat aequivocatio cum a iudice vel superiore iuramentum exigitur iuste ibid. 568. iniuste 569. an rogatus de fide possit respondere aequivocando II. 47.

Aeromantia quid sit II. 336.

Aes alienum v. *Debitum, Mutuum, Ingressus Religionis.*

Aetas v. *Sacram. Ordinis, Imped. matrim. Pupillus.*

Afflictio an addenda afflicto VII. 479. afflictio carnis an et quae sit licita II. 886. seq. an liceat infirmo morituro petere ut humi collocetur, ibid. 868. v. *Mutilatio.*

Aggressor v. *Occisio* an infans abortivus censendus sit aggressor matris II. 921.

Aleatorius contractus v. *Ludus, Bursa commercii, Assecuratio.*

Alienatio bonorum actus dominii III. 28. latissimé accepta quot contractus comprehendat VII. 325. seqq. v. *Bona Ecclesiae.*

Alluminium, an ex eo vasa sacra confici possint IV. 1090.

Alluvio v. *Dominium.*

Alphonsus (s.) eius sententia circa Probabilismum eiusque argumenta I. 192. seqq. nunquam illum repudiavit I. in App., sensus declarationis editae a s. Poenitentiaria in favorem eius doctrinae V. 474. VI. 191. seq.

Altare quid sit, *fixum, portatile* IV. 1064. quis altaris portatilis usum concedit ibid. 1066. Quae causae, in eo celebrandi extra locum sacrum IV. 1065. altare fixum quotuplex ibid. 1064. altare quomodo exsecretur IV. 1076. quid si in medio altaris lapis sacer sit parvus IV. 1070.

Altare privilegiatum, quid sit, quotuplex privilegium V. 835. seq. quae sint conditiones eius 835. seq. missa de *requiem* ibi celebranda IV. 1031. V. 837. quomodo applicanda missa V. 837. fructus huius missae, ibid. quid si sacerdos sit in statu peccati, ibid. an obligationi celebrandi in altari privilegiato satisfaciat sacerdos applicans aliam indulgentiam plenariam IV. 1031. quid si sacerdos habet personale privilegium ibid. V. 837.

Altare Gregorianum: cui fundamento innititur, quot missae in eo celebrandae, an sine interruptione, an ab eodem sacerdote, an sit adnexa indulgentia, an certus sit fructus V. 838.

Alumnatus differt ab adoptione VI. 635.

Alumni in convictu Regularium quoad sacramenta suscipienda IV. 490.

Ambitio quid sit I. 700. 702. seq. an grave peccatum ibid.

Ambitiosae Extrav. VII. 324.

Amicitia quid sit II. 134. an quilibet amor, qui non sit amicitiae, sit benevolentiae ibid. amicitia ex motivo naturali alia a caritate, an ea possit esse supernaturalis II. 152. Amicitiam alterius dissolvens an peccet graviter I. 712. II. 1076.

Amor *benevolentiae* quid sit II. 134. *concupiscentiae,* ibid.

Amphibologia v. *Aequivocatio.*

Anathema quid sit VII. 213. anathema in bruta VII. 38. v. *Excommunicatio.*

Anatocismus v. *Mutuum.*

Angustia loci causa dispensationis matrimonialis VII. 523. v *Dispensationes matrimoniales.*

Annatae quo iure exigantur II. 1161.

Anniversaria an Episcopus possit ea moderari IV. 1032. 1034.

Annus sanctus v. *Jubilaeus.*

Anticresis quis contractus sit, an licitus, quid de eo ius modernum III. 951.

Antidoralis obligatio an possit intendi a conferente beneficium absque crimine simoniae II. 432.

Apes v. *Dominium, Venatio.*

Apostasia quotuplex II. 81. unde speciem desumat, ibid. 102. quo pacto recipiendus apostata a fide II. 98. VII. 275. not. poenae in apostatas VII. 273. seqq. v. *Haeresis.*

Apostasia ab Ordine religioso v. *Ordo religiosus.*

Appellatio an reo liceat semper appellare IV. 638. an liceat religiosis IV. 142. quid differat a *recursu* ibid. an liceat a sententia lata ab arbitris IV. 595. an appellatio suspendat censuram VII. 130. an declarationem censurae

ibid. appellatio ad futurum Concilium qua poena plectatur VII. 279. quid si quis appellet ad Concilium praesens vel ad Concilium provinciale ibid. quid si appellans sit communitas VII. ibid. 398.

Applicatio Missae v. *Eucharistia Sacrificium.*

Approbatio confessarii v. *Confessarius.*

Arbitri qui sint IV. 594. qui esse possint, quomodo, quot numero eligendi, an in omnibus causis eligi possint ibid. an gaudeant iurisdictione, an teneantur sententiam proferre, quam normam sequi debeant, quae vis eorum sententiae IV. 595. an ab eis liceat appellare ibid.

Arcae parsimoniae, quid sint, an liceant III. 746.

Arreptitius quis dicatur, an sit irregularis VII. 470.

Arrha v. *Emptio:* an arrhae addi possint contractui sponsalium VI. 108. seq.

Artifices, eorum officia IV. 638. an liceat res conficere et vendere quibus emptor est abusurus II. 297. seqq. quid diebus festis eis liceat II. 756. seqq. an excusentur a ieiunio ibid. 1144. v. *Cooperatio.*

Aspectus turpis v. *Luxuria.*

Assassini qui sint VII. 447. eorum poena ibid. II. 853. 420. quo pacto mandantes per ipsos homicidium incurrant censuram VII. 447.

Assecuratio qualis contractus sit, circa quae versetur III. 933. conditiones iusti contractus ibid. 934. an ingens lucrum sit honestum 935 quid si assecurator sciat nullum fore rei periculum 936. quae damna praestare debeat assecurator 937. *Assecuratio vitae* III. 933.

Assensus *mentis* an possit esse non firmus I. 160. not. II. 1056.

Assistens sacerdoti prima vice celebranti an possit induere stolam IV. 1087.

Astrologia *naturalis, iudiciaria* II. 345. an vera 346. *Astrologi,* qui et genethliaci II. 37.

Asylum, asyli violatio II. 419. quae loca iure asyli gaudeant ibid. quibus personis competat ibid. 420. quinam rei excipiantur ibid. 421. quomodo facienda rei extraditio 422. an unquam sine crimine ecclesia expugnetur, incendatur, diruatur 423. censura contra violatores asyli VII. 306.

Attentio quid differat ab intentione IV. 418. 653. II. 786. an insit intentioni actuali IV. 653.

Attentio requisita in oratione II. 319. quotuplex est ibid. 320. IV. 419. an evagatio mentis tollat fructum orationis II. 320. v. *Sequens.*

Attentio in recitatione Officii quae necessaria IV. 420. seqq. an Ecclesia aliquam praecipiat ibid. 427. *Attentio in auditione Missae* II. 786. seq. an sufficienter habeatur ab eo qui interim confitetur ibid. 774. seqq. *Attentio in celebratione Missae* IV. 1105. *Attentio in Sacram. administratione* an necessaria IV. 655.

Attritio v. *Sacr. Poenit. Contritio, Metus:* an sit actus plene voluntarius I. 79.

Avaritia quid sit et quale peccatum I. 708. eius filiae ibid. 709.

Auctio v. *Emptio venditio sub hasta.*

Auctoris *dominium* in sua scripta et libros editos III. 53.

Augurium quid sit II. 337.

Auribus *carentes* an sint irregulares VII. 479.

Aurigae die festo II. 722. quid possint aurigae catholici inter infideles ibid. 300.

Aurora quomodo computanda IV. 1049.

Auspicium quid sit II. 337.

B

Baptismus quotuplex, quid baptismus sanguinis operetur, quid in baptismo flaminis causa sit iustificationis IV. 717. definitio multiplex ibid. 718. an bapti-

zari possit adultus, qui nihil de christiana fide audivit ibid. 703.

Materia remota baptismi IV. 719. dubia, inepta: quae norma solvendae quaestionis, doctrina s. Thomae ibid. 720. seqq. an necessaria aqua consecrata, benedicta IV. 723. quoties consecratio aquae baptismalis fieri potest ibid. 764.

Materia proxima, ablutio quid sit, quid postulet IV. 724. seq. quotuplex eius modus ibid. 726. sententia *Doctrinae Apostolorum* ibid. an una vel altera gutta sit satis ibid. 731. quae pars corporis abluenda ibid. quid si proiicias infantem in flumen pronuntians formam 729. quid si aquae decidenti puerum supponas, vel altero fundente aquam 730.

Forma baptismi quae sit IV. 732. forma Graecorum ibid. forma vulgaris 733. plures modi quorum valor controvertitur 734. seqq.

Minister baptismi *ordinarius, extraordinarius* IV. 740. sacerdos baptizans absque licentia ibid. quando diacono liceat sollemniter baptizare 742. an diaconus absque commissione et citra necessitatem baptizans sit irregularis ibid. an laicus ibid. quis ordo servandus inter plures praesentes IV. 743. peregrinorum filii a quibus baptizandi 741. an liceat offerre baptizandum haeretico 744. Quando baptizandus est infans IV. 745. ubi 746. An duo possint simul baptizare 747. An baptismum iterans sit irregularis IV. 749. seq. VII. 423. An possit et debeat baptizari infans in utero II. 911. IV. 727. an foetus abortivus, monstrum IV. 751. 753. An liceat baptizare filios infidelium: quae responsa ss. Congrr. IV. 754. seqq. an liceat pueros bello captos reddere non baptizatos parentibus infidelibus 758. an liceat baptizare pueros expositos 760.

Baptismus sub conditione quando et quomodo conferendus IV. 753. seqq. qui constare possit pueros expositos fuisse baptizatos 760. quid de baptismo obstetricum ibid. an rursus baptizandi baptizati ab haereticis IV. 761. an aliquando qui ex fidelibus nati ibid. an sufficiat tastimonium unius 762. formulae baptismi conditionati 763.

Baptismi ceremoniae, quae servandae, ubi, quando IV. 764. seqq. an liceat baptismum sollemnem extra ecclesiam conferre 764. quid de filiis regum ibid. an ubi deest ecclesia conferendus sit baptismus sollemnis in domo privata ibid. quid si nequeant omnes adhiberi ceremoniae ibid. quae omittendae ob imminens mortis periculum ibid. ubi supplendae omissae ibid. an gravis obligatio adhibendi ceremonias IV. 765. quid de chrismate ibid. an baptismus semper sit conferendus sollemniter, ibid. quae causae excusantes ibid. an baptismus conditionatus sit dandus sollemniter 766.

Baptismo adultorum quae *instructio* praemittenda IV. 767. quomodo recipiendi venientes ab haeresi IV. 768. V. 22.

Baptismo patrini cur adhibeantur IV. 770. actus et officium patrini IV. 770. VI. 651. an lege requirantur IV. 771. qui, quot esse debeant, possint IV. 771. 773. VI. 644. conditiones, ut quis sit patrinus IV. 772. seqq. an designatio facta a parentibus sit essentialis 772. seq. quae cognatio contrahatur a patrino et quibuscum IV. 771. VI. 644. seqq. quid si plures designentur et omnes tangant IV. 773. VI. 647. quid si nemo sit designatus et plures teneant ibid. quid si designati a parentibus reiiciantur a parocho IV. 774. an debeat esse patrinus eiusdem sexus cum baptizando IV. 777. VI. 648.

An in baptismo privato adhibendus sit patrinus IV. 775. an hic contrahat cognationem IV. 776. VI. 652.

An liceat per procuratorem exercere patrini munus et quis cognationem contrahat IV. 777. VI. 649. an haereticus patrinus contrahat cognationem IV. 782. VI. 650. an infidelis, VI. 650.

An cognatio contrahatur cum solum supplentur ceremoniae, cum baptismus sub conditione confertur IV. 776. VI. 651. an contrahat qui ex errore unum tenet pro alio VI. 652. an multiplicetur cognatio si quis plures alicuius filios suscipiat VI. 653.

Quinam reiiciantur a munere patrini IV. 778. 782. an coniuges, an parentes 779. quid si proles sit illegitima 782. an parentes suscipientes prolem contrahant cognationem IV. 780. seqq. VI. 653. an baptizantes VI. 653. quid si communitati deferatur munus patrini IV. 783.

An peccet graviter parochus admittens plures patrinos quam duos IV. 784. an baptizans sollemniter absque patrino ibid. an admittens non designatum a parentibus ibid.

Bellum quid sit, defensivum, offensivum, qua auctoritate liceat II. 939. seq. conditiones belli iusti, causae eiusdem 940. seq. quid debeat iusto bello lacessitus 943. ad quid rex teneatur antequam indicat 944. seq. an ius debeat esse certum ibid. quid si adversa pars offerat satisfactionem post initum bellum 945. quid in iusto bello exigi potest a victis 946. seq. an teneatur aliquando rex cessare a iusto bello 948. an liceat auxiliares adhibere infideles 949.

Quid de milite offerente se ad quodlibet bellum II. 950. quid de subdito 951. cognoscente iniustitiam belli 952. quid si cognoscat iam inita militia ibid. quid si miles dubitet, an sufficit auctoritas principis 951.

Quid liceat in bello iusto II. 953. seq. an fides data servanda 956. quid liceat captivis ibid. quid militibus ibid.

Ad quam restitutionem teneantur duces et milites in bello iniusto III. 394. an qui designati ad militiam ab ea se subtrahunt, ad aliquid teneantur erga sorte exemptos 400. v. *Irregularitas ex delicto, ex defectu.*

Benedictio *nuptialis* v. *Nuptiae.* Vestium sacrarum ad quem spectet, an ad superiores regulares, ad abbates IV. 1080. an Episcopus delegare possit suam facultatem ibid. benedictio pixidis, lunulae etc. IV. 1089. benedictio mulieris post partum, cinerum candelarum, palmarum, ignis, ovorum, similium IV. 494. benedictio super populum ibid.

Beneficiatus v. *Beneficium.*

Beneficium *Principis* I. 459. beneficium *ecclesiasticum* quid sit IV. 241. an ipse fundus sit beneficium ibid. an beneficiatus sit plusquam usufructuarius ibid. an beneficium postulet perpetuitatem ibid. Beneficium propter *officium*, cuiusmodi sit istud IV. 242. unde sumitur titulus beneficii ibid. an ius beneficii sit quid spirituale ibid. an et cuius auctoritate erigendum est beneficium IV. 243. an quaelibet cappellania sit beneficium ibid. conditiones necessariae ad beneficium 244. seq. an possit laicus percipere fructus beneficii IV. 244. an possit aliquis sibi ipsi conferre beneficium ibid. an beneficium sint *decimae, distributiones quotidianae, perceptoriae, commendae* IV. 244. seq. an *vicaria perpetua* 245. an *praestimonia* 354. quis sit collator beneficii 249. regula nona cancellariae huc spectans ibid. Beneficium regulare, seculare, simplex, duplex 246. seq. an canonicatus sit duplex ibid. quodnam sit beneficium tenue IV. 348. ad quid teneatur illud habens 349. quae interpretatio in beneficiis facienda I. 468.

Beneficium quomodo acquiratur, *nominatio, electio, praesentatio* IV. 248. seq. v. *Patronatus.*

Qualitates requisitae ad obtinendum beneficium, an requiratur actu *tonsura* IV. 272. an illegitimi possint admitti 273. quid si defectus sit occultus ibid. an filii clericorum, presbyterorum 274. quomodo illegitimi habiles fiant et ad quid ibid. quid Episcopus possit 275. *Honestas* morum requisita, *scientia*, *potentia* exercendi per se ipsum curam 276. aetas 276. 286. An sit irrita collatio facta excommunicato, suspenso, carenti qualitatibus requisitis, criminoso infami IV. 277.-279. VII. 262. seq. 347. an irregulari VII. 406. quid valeat formula *ipso iure sit privatus* IV. 279.

Quae sit obligatio eligendi digniores IV. 280. seqq. unde sumendi digniores Episcopi 281. an secus facta collatio sit valida, quid si intercessit concursus 282. quid si agatur de beneficiis simplicibus 283. an patronus debeat praesentare digniorem IV. 258. ad quid teneatur eligens indignum vel minus dignum III. 20. seq. quid si indignus concurrat cum digno, dignus cum digniore IV. 285.

An accipiens beneficium debeat habere animum clericandi IV. 287. quid si beneficium sit curatum ibid. quomodo hac in re peccetur V. 944. seqq.

Beneficiorum multiplicitas an licita IV. 288. seq. beneficia incompatibilia ibid. an dispensatio intercedere possit ibid.

Beneficia quomodo amittantur, an propter matrimonium, etiam invalidum, propter professionem religiosam IV. 306.-308. quando beneficium ingressi religionem est alteri restituendum 308.

Beneficii resignatio, quid sit, quotuplex IV. 309. v. *Simonia confidentialis*, qui resignare possint, qui acceptare: quomodo facienda resignatio 310. seqq. quae in manibus Papae facienda 311. an resignatio cum reservatione pensionis 312. An resignans in favorem alterius debeat quaerere digniorem IV. 313. quae causae acceptandae resignationis Episcopatus, inferiorum beneficiorum 314. an resignatio sit publicanda 315. resignatio triangularis, quadrangularis 318. resignationes reciprocae parentum clericorum in favorem filiorum 317.

Beneficiorum permutatio an liceat, quibus sub conditionibus, cuius auctoritate IV. 316. seqq. permutatio inter beneficium et pensionem 319. an liceat permutare beneficia compensata redituum inaequalitate 320. quid si beneficium iure proprietatis possideatur 321. quid de conditione, ut expensae bullarum solvantur a recipiente 322. quid de clericis vendentibus fructus futuros beneficii VII. 326. not.

Beneficium quocum ordinari quis possit, quale esse debeat V. 951. seq. an resignari possit 952. v. *Ordo*.

Beneficium collaturus Episcopus an ei possit pensionem imponere, et quomodo IV. 324. seq. an novum onus 327. an sibi applicare fructus beneficii vacantis an causae piae 327.

